Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
8
14 — B
16
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu.

8. 11. B 16

34. 2. 29

Google

DE ERRORIBVS Nouorum Arianorum LIBRI DVO.

Aduerſus reſponſum Valentini Smalcij, quod dedit pro nouis Arianorum ſuorum monſtris.

8 · 14 · R · 14

Auctore MARTINO SMIGLECIO Societatis IESV, S. Theologiæ Doctore.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.
Anno D. 1615.

Digitized by Google

δ · 14 · B · 16

Digitized by Google

Illuſtriſſimo Domino,

D. FOELICI A DRO-BNIN KRYSKI, SVPREmo Regni Cancellario, Predecenſi, Kowelenſi, &c. &c. Capitaneo.

Author fœlicitatem.

TOT HODIE HÆRESVM PORTENTA, & *ſchiſmata, Eccleſiæ vnitatem conantur diſcindere, Illuſtriſſime Domine, vt de nobis illud veriſſimè dici poſſit, nos eſſe eos in quos fines ſæculorũ deuenerunt. Nimirũ hæreſes eſſe oportere monuerat Apoſtolus; verùm & illud inſuper vſu compertum eſt, temporum lapſu profanas illas ſectarum nouitates & numero plures, & impietate atrociores exiſtere; vt quemadmodum Eccleſia Dei quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſq; ad perfectam diem, ita Sathanæ ſynagoga errores erroribus cumulans eouſq; ſuccreſcit, donec menſuram impleat impietatis. Id agimus quidem tot iam ſæculis Catholici, vt pullulantia monſtrorum illorum capita ancipiti verbi Dei gladio à dextris & à ſiniſtris detruncemus, ſanctiſſimorum & grauiſſimorum Patrum exemplo, qui in hac arena ſuis quiq; ætatibus vno nobiſcum ſpiritu, & vna fide decertârunt. Verùm haud ſcio an vnquam aliâs laborioſius fuerit hoc certamen, quàm iſto ſæculo infælici, an vſquam alibi, quàm in hac noſtra Polonia: nam & cæteræ ætates ſingulis ferè cum hæreſibus habuêre negotium, noſtra cum ſexcentis; & reliquæ Prouinciæ aut vna, aut aliquot ſingulæ ſectis diſtrahuntur, in hoc autem Regno veluti ſentina omnium hæreſum vltimæ feces & retrimenta conſederunt. Eſt quidem id omnibus vbiuis gentium hæreticis procliue, vt cùm à ianua, quod aiunt, ſemel aberrârint, ex aliis deinceps in alios errores: at nullibi impune magis & impudenter infinita illa nouandi libido, quàm inter ho-*

Digitized by Google

mines noſtros ſeſe prodit & effundit. In hoc tamẽ errorũ omniũ vndequaq; confluxi, nihil tetrius aut ſpurcius inuenio Racouiana Arianorum colluuie, quam ego Camarinam annis abhinc aliquot eo conſilio cœpi commouere, vt qui diſſimulatis execrandis dogmatibus, in ſimpliciorum animos ficta pietate irrepebant, cominus & preſſius tenti cogerentur intimos fœdiſſimarum hæreſum receſſus aperire; eoq; Chriſtomachos illos impuli quærendo & diſputando, vt multò longius vltra maiores ſuos, antiquos Arianos, impietate progreſſi, Dei Filio non di[illegible] modo, ſed redemptoris munus, & ſacerdotium, ali[illegible]uas, per ſummum ſcelus detractum irent. Animaduerto ſanè me Augiæ ſtabulum ingreſſum eſſe, & vltrà quã cogitatione percipere potuerim, errores refellendos in dies multiplicari: dabo tamen operam quantùm conniti viribus Dei ope potero, vt ne quando miſeris illis ad ſalutis viam reducendis, aut cæteris ad cautelam videar defuiſſe. De nouis ergò Arianorum iſtorum monſtris cùm ante hoſce aliquot annos ſcripſiſſem, extitit nuper ex eorum grege non nemo, qui turpiſſimas hæreſum facies ſcripturæ ſacræ coloribus conaretur oblinere, adeò ineptè quidem, vt ſi Hecubam non iam vetulam, ſed canem fucis & ceruſſa depingeret. Stringendũ tamen calamum rurſus putaui aduerſus illas laruas impietatis, vt iis detractis, auctores ipſos ſuorum monſtrorum pudeat, ſi non omnino depuduerunt. Tibi verò potiſſimùm Domine Illuſtriſſime, opus hoc meum dicandum putaui, quòd Reipublicæ noſtræ vulnera nulli potiùs detegenda ſint, quàm illi, qui ea ſit in patriam caritate vt curare velit, ea in hoc Regno auctoritate, vt poſſit. Reipublicæ, inquam, vulnera hæreſes dixi, quod tu ipſe facilè mihi aſſentieris, qui ad clauũ poſitus ſatis vſu ipſo cõpereris, quantùm Religionis diſſidia Rempub: labefactent, animoſq; ciuium in rebus & deliberandis diſtrahant, & gerendis diſſocient; vt certiſſimò ſciam, Religionis integritatem, præ cæteris omnibus ſibi cordi eſſe & fore. Neq; ſanè aliud à te exigit familiæ tuæ ſplendor, auita fide & ſtirpis antiquitate clariſſimæ, ex qua totidem veræ Religionis propugnatores prodierunt, quot in huius vnquam Regni Senatu dixêre ſententiam. Neq; tu aliud hactenus præ te tuliſti, cuius integritas, fides in Deum & Patriam per

omnes

omnes honorum gradus ſemper enituit; vt quo te altiùs ſua in Rempublicam præclara merita ſubuexerunt, tantò impenſius fidei & ſtatus publici vnitatem ſartam tectam eſſe velis, & cures. Priuata in Societatem noſtram beneficia à te profecta non commemoro, quæ ſunt ſanè plurima & maxima, quibus neq; huius libelli inſcriptione, neq; vlla alia grati animi ſignificatione ſatis poſſumus reſpondere. Sed nimirum publicam Eccleſiæ Dei cauſſam ago, non priuatam noſtram, neque te vt vnicum, ſed communis Chriſtianorum matris filium compello, ad cuius dignitatem tuendam, quod facis hactenus, quidquid induſtria, prudentia ſingulari & authoritate vales, etiam atq; etiam æquum eſt te conferre. Vale. Datum Caliſsij in Collegio Karnkouiano Societatis IESV, *13. Decemb. 1614.*

Digitized by Google

Errores Arianorum centum, ex libro Smalcii excerpti, qui in his duobus libris cõſutantur.

ERRORES DE DEO.

1. Deum verum non eſſe vnum.
2. Deum verum, non eſt neceſſe eſſe ſummum.
3. Dei nomen non eſſe naturæ, ſed poteſtatis.
4. Dei nomen non eſſe proprium ſed commune.
5. Dei poteſtatem non diſtare infinitè à poteſtate rei creatæ.
6. Homines & Angelos eſſe veros Deos.
7. Deum verum poſſe eſſe dependentem & ſubordinatum.
8. Non eſſe certum, Deum propter Diuinam naturam colendum eſſe.
9. Coli pro Deo poſſe, eum qui naturâ Deus non ſit.
10. Si Deus non haberet voluntatem nos iuuandi, non deberetur ei cultus
11. Non vnum tantùm Deum colendum eſſe. (Diuinus,
12. Plures Deos in lege noua colendos eſſe.
13. Primum & maximum mandatum de vno Deo colendo, ſolùm ad tempora legis veteris pertinere, & in lege noua abrogatum eſſe.
14. Legem illam Diuinam de Diis, qui non fecerunt cælum & terram, exterminandis, non pertinere ad tempora noui teſtamenti.
15. Vnum tantùm Deum colere, eſt Iudaicum quid, & abnegatio Chriſtianæ religionis.
16. Parum curandum eſſe Chriſtianis, quid Prophetæ dicant de cultu Dei vnio.
17. Poſſe Deum præcipere, vt quicunque hominum vel Angelorum pro Deo colatur.

ERRORES DE CHRISTO.

18. Chriſtum non eſſe naturâ Deum.
19. Chriſtum non eſſe ſummum Deum & independentem.
20. Chriſtum non eſſe abſolutè æqualem Deo.
21. Chriſtum non eſſe vnum Deum cum Patre.
22. Chriſtum eſſe Deum minorem, & quà Deus eſt, ſubiectum Patri.
23. Chriſtum eſſe alterum Deum & pro altero Deo colendum.
24. Chriſtum tota vita ſua fuiſſe ſemi Deum & ſemi Dominum.
25. Chriſtum etſi vicarius generalis Dei ſit, eſſe verum Deum.
26. Chriſtum ante Reſurrectionem non fuiſſe perfectè Chriſtum, nec perfectè Dei Filium, nec perfectè Deum.
27. Chriſtũ verum Deum dici propter poteſtatẽ, non propter naturam Diuinã,
28. Chriſtum non poſſe dici naturâ Deum, ſine gloriæ Patris imminutione.
29. Chriſti poteſtatem non eſſe abſolutè parem Diuinæ poteſtati.
30. Chriſti poteſtatem, non eſſe poteſtatem primi principii, ſed cauſæ mediæ & inſtrumentalis.
31. Chriſtum non habere poteſtatem, rem vllam creandi.
32. Chriſti poteſtatem non abſolutè æternam futuram eſſe.

33. Per

Digitized by Google

33. Per Chriſtum non eſſe abſolutè omnia.
34. Chriſtũ in vſu ſuæ poteſtatis, quam vt homo accepit, non dependere à Deo.
35. Chriſtum ante mortem, ſummam in homines poteſtatem non habuiſſe.
36. Chriſtum ante mortem caruiſſe poteſtate Spiritum ſanctum largiendi, & vitam æternam hominibus dandi, & immortalitatem conferendi.
37. Chriſtum ante mortem non potuiſſe homines imperio Diaboli eximere, & à morte liberare, cùm ipſe mortalis eſſet.
38. Chriſtum ante mortem, nullam in cælo poteſtatem habuiſſe, nec Angelis quidquam præcipere potuiſſe.
39. Poteſtatem iudicandi non fuiſſe datam Chriſto ante Reſurrectionem.
40. Chriſtum ante Reſurrectionem deſignatione Regem fuiſſe.
41. Chriſtum tota vita ſua imperfectam ſapientiam habuiſſe, multáque verè ignorauiſſe.
41. Chriſtum vere & abſolutè ignorauiſſe diem iudicii.
42. Chriſtum non omnium prouidentiam hominum habere.
43. Chriſtum non ſolùm permittere, ſed & procurare poſſe, vt homines in grauiſſimos errores ruant.
44. Chriſtum ante Reſurrectionem, Diuinitatem verè reipſa habuiſſe, nullo modo probari poteſt.
45. Chriſtum ante Reſurrectionem non fuiſſe Deum Angelorum.
46. Chriſtum ante Reſurrectionem non fuiſſe Dominum Angelorum.
47. Neque Dæmonum.
48. Neque omnium hominum, ſed aliquorum tantùm.
49. Verbum non eſſe Carnem factum; & oppoſitum dicere, errôrem eſſe.
50. Chriſtum à ſua natiuitate non fuiſſe plenum gratia & veritate.
51. Errorem circa Chriſti eſſentiam nõ tollere, ſed obſcurare fidem in Chriſtũ.
52. Chriſtum formam ſerui, id eſt mancipij, aſſumpſiſſe.
53. Chriſtum formam Dei amiſiſſe, & æqualitatem cum Deo depoſuiſſe.
54. Chriſtum tota vita ſua non eſſe dignum ſedere ad dexteram Dei.
55. Chriſtum in morte deſijſſe eſſe Filium Dei.
56. Chriſtum in cruce non fuiſſe Dominum gloriæ.
57. Chriſtum nõ eſſe verè & propriè ſacerdotem, ſed metaphoricè & impropriè.
58. Chriſtum non obtuliſſe verum ſacrificium, ſed metaphoricum.
59. Dicere, Chriſtum in cœna ſacrificium obtuliſſe, eſſe extremam amentiam.
60. Quæ Paulus de ſacrificio Chriſti docet, impropriè & figuratè accipienda eſſe.
61. Chriſtum in cruce, ſeipſum non ſacrificaſſe, nec obtuliſſe Deo pro nobis.
62. Falſum eſſe, Chriſtum in terris purgationem peccatorum feciſſe.
63. Chriſtum in cælis primùm factum eſſe Pontificem, & ibi ſacrificium ſuum primum obtuliſſe.
64. In Chriſti ſacrificio, nullum locum eſſe volũtati Chriſti, ſed tantùm Patris.
65. Chriſtum non verè nos redemiſſe.
66. Chriſtum non eſſe ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech quoad ritum ſacrificandi.
67. Chriſtum paſſione ſua & morte non meruiſſe ſuam exaltationem.
68. Chriſtum, niſi paſſus & mortuus fuiſſet, gloriam ſuam titulo Filii Dei, conſecuturum non fuiſſe.

69. Chri-

Digitized by Google

69. Chriſtum propter ſuam æqualitatem, potuiſſe iure ſedere ad dexteram Dei, falſiſſimum eſſe.
70. Chriſto poſt Reſurrectionem donatam eſſe tandem Diuinitatem.
71. Seſſionem Chriſti ad dexteram Dei, eſſe Chriſti Diuinitatem.
72. Chriſtum in cælo non verè interpellare pro nobis.
73. Chriſtum bis aſcendiſſe in cælum, ſemel in vita; ſecundò poſt mortem.
74. Ante Chriſti Reſurrectionem neminem fuiſſe obligatum, adorare & colere Chriſtum pro Deo.
75. Chriſtum pari abſolutè cultu cum Deo colendum non eſſe.
76. Chriſti in cælo & in terra regna eſſe diſtincta.
77. In nouo fœdere nuſquam dicitur, cæli Deo abſolutè, cultum Diuinum deberi.
78. Cum fide falſa poſſe homines Deo placere & ſaluari.

ERRORES DE SANCTIS.

79. MARIAM Reginam cæli & terræ appellare, & per eam omnia impetrari poſſe, credere, idololatricum eſt.
80. Ioannem Apoſtolum idololatram fuiſſe, cum Angelum adoraret.
81. Sanctos vita functos nullo modo exiſtere, id quod de tota illorum ſubſtantia intelligendum eſt.
82. Chriſtum ſuorum fidelium vita functorum non futurum memorem, niſi die iudicii, cùm poſt mortem non exiſtant.
83. In Angelis Religionem & liberum arbitrium locum non habere.
84. Angelos ante Reſurrectionem non fuiſſe obligatos Chriſtum adorare.
85. Angelos non eſſe miſſos ad ſalutem hominum procurandam, ante ſalutem reuelatam à Chriſto.
86. Sanctorum cultum eſſe idololatriam.
87. Chriſtum poſt finem mundi nullius memorem futurum.
88. Animas hominum vnà cum corporibus per mortem perire.
89. Die iudicii non ſolùm corpora reſurrectura, ſed & animas nouam exiſtentiam accepturas.
90. Corpora non eadem reſurrectura die iudicij, ſed alia longè perfectiora.

ERRORES CÆTERI.

91. Melchiſedechum panem & vinum non ſacrificaſſe.
92. Nihil homines poſſe mereri apud Deum.
93. Per Sacramenta hominibus gratiam conferri tantùm non blaſphemia eſt.
94. Chriſtum ad Sacramenta vſurpanda, homines ſub amiſſione vitæ æternæ obligaſſe, ipſiſſima falſitas eſt, ſi cœnam Domini excipias.
95. Perſonam formaliter eſſe naturam indiuiduam.
96. Perſonam & naturam non diſtingui.
97. Subſiſtentiam à natura non diſtingui.
98. Repugnare rationi vnā numero eſſentiam eſſe in pluribus perſonis.
99. Implicare contradictionem, aliquem, ſibimetipſi aliquid dare, vel à ſemetipſo aliquid accipere.
100. Angelis qui ſunt Dij cæleſtes, diuinum cultum tribui poſſe, & reipſa tributum fuiſſe in veteri fœdere, neminem inficiari poſſe.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

Quatuor cauſæ propter quas Ariani, veri Chriſtiani dici non poſſunt. Caput I.

Pontificios non eſſe Chriſtianos ineptè à Smalcio probari, vbi & tria eiuſdem grauia abſurda referuntur. Cap: II.

Ariani plures Deos eſſe colendos abſurdè & ſine vllo ſcripturæ fundamento docent. Cap: III.

Arianos aut ſcripturas de vno vero Deo abnegare debere, aut Chriſtum vnum cum Patre Deum confiteri. Cap: IV.

Dei nomen non eſſe poteſtatis ſed naturæ, eſſeq́; proprium non commune, contra Smalcium probatur. Cap: V.

Si Chriſtus ſtatuatur Deus dependens & ſubordinatus, Deus verus dici non poteſt. Cap: VI.

Si Chriſtus pro vero Deo colendus ſit, nullo modo Deum diuerſum dici poſſe, ſed vnum cum Patre Deum. Cap: VII.

Exponitur D. Pauli locus de vno Deo Chriſtianis colendo, & à calumniis Arianorum defenditur. Cap: VIII.

Cultum Diuinum, ei ſoli qui natura Deus eſt, tribui poſſe, ex ſcripturis oſtenditur. Cap: IX.

Ratione oſtenditur, ei qui naturam Diuinam nō habet, cultum Diuinum non deberi. Cap: X.

Refelluntur ea quæ de diuino cultu abſurdè à Smalcio aſſeruntur. Caput XI.

Grauiſſimè peccare Arianos, cùm Chriſtum eſſe natura Deum negant. Cap: XII.

Arianos nullo modo ſe tueri poſſe, quin Ethnicis meritò annumerentur, quòd duos Deos colendos introducant. Cap: XIII.

Sanctorum cultus defenditur, & Smalcij Ethniciſmi de animarum corporumq́; interitu referuntur. Cap: XIV.

Commune Catholicorum argumentum, ad probandum Chriſtum eſſe vnum cum Patre Deum, à Smalcij cauillationibus defenditur. Cap: XV.

Verba illa: Ego & Pater vnum ſumus: non poſſe niſi de vnitate naturæ intelligi; oſtenditur. Cap: XVI.

Catholica verborum Chriſti: Ego & Pater vnum ſumus: expoſitio comprobatur. Cap: XVII.

Non repugnare rationi vnam numero eſſentiam eſſe in pluribus perſonis. Cap: XVIII.

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI.

Perperam Ariani Chriſti Diuinitatem poteſtate definiunt. Cap: I.

Abſurdè Arianos poteſtatem & Diuinitatem imperfectam Chriſto tribuere ex ſcripturis docetur. Cap: II.

Refelluntur ea quæ aduerſus perfectam Chriſti Diuinitatem & poteſtatem à Smalcio afferuntur. Cap: III.

Chriſtum ante mortem, Angelorum Dominum non fuiſſe, impiè à Smalcio aſſeritur. Cap: IV.

Ex æqualitate Chriſti cum Patre, perfecta Chriſti poteſtas demonſtratur. Cap: V.

Chriſtum æqualitatem ſuam abſolutam cum Patre, ex vnitate virtutis & operationis, probare cõtra Arianos oſtenditur. Cap: VI.

Quomodo Chriſtus poſt Reſurrectionem dicatur factus Dominus. Caput VII.

Errores Arianorum de Chriſti poſt Reſurrectionem exaltatione refelluntur, & locus ad Philip: ab eorundem cauillationibus vindicatur. Cap: VIII.

Chriſtum meruiſſe ſuam exaltationem, ex verbis Pauli oſtenditur, & ſimul errores Smalcij de eadem re confutantur. Cap: IX.

Poteſtatem iudicandi Chriſto ante Reſurrectionem datam eſſe, immeritò negant Ariani. Cap: X.

Chriſtum in terris ſacrificâſſe, & ſacerdotem fuiſſe contra impias Arianorum voces defenditur. Cap: XI.

Aduerſus Chriſti in cruce ſacrificium, Arianorum obiecta diluũtur. Caput XII.

Chriſtum

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

Chriſtum verè & propriè eſſe ſacerdotem, non metaphoricè & impropriè, contra impium Smalcij dogma demonſtratur. Caput XIII.

De regia Chriſti poteſtate errores Arianorum refelluntur. Caput XIV.

Chriſto veram ignorantiam imponunt per ſummam blaſphemiam Ariani. Caput XV.

De ſeßione Chriſti ad dexteram Patris, errores Smalciani deteguntur. Caput XVI.

Concluditur Arianos multis modis indignè de Chriſti Diuinitate ſentire. Caput XVII.

Digitized by Google

DE ERRORIBVS Nouorum Arianorum.

LIBER PRIMVS.

Quatuor cauſæ, propter quas Ariani, veri Chriſtiani dici non poſſunt.

CAPVT I.

MVlta ſunt, quæ Arianos veros Chriſtianos non eſſe demonſtrant: primum quòd à primæuis illis, hoc eſt veris Chriſtianis penitus diſſentiant: deinde quòd verum Chriſtum non agnoſcant, ſed quem ſibi ipſi confinxerunt: tùm quòd ab Apoſtolis ipſis vnà cum Ebione, & Cherinto hæreſis condemnati ſunt: deniq; quòd ea de Chriſto & Deo ſentiant, quæ Chriſtiano homine prorſus indigna ſunt. Nam quod ad primum attinet, per ſe manifeſtum eſt, quod à vero diſſentit, verum nequaquam eſſe. Veritas enim vna eſt, & ſemper ſui ſimilis, & vt cum Apoſtolo loquar: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Eph: 4. 5. Quare ſicut id quod à veritate diſcrepat, verum non eſt: ita quod à vera fide diſcrepat, fides non eſt, ſed error, & fidei oppoſita hæreſis. Cùm igitur Ariani, à veris illis Chriſtianis, quales primæui illi fuerunt, qui ex ipſis Apoſtolicæ doctrinæ fontibus, fidem veram hauſerunt, penitus diſſentiant, conſequens eſt illos veros Chriſtianos non eſſe. PRIMA CAVSA.

Etenim dubium non eſt, Apoſtolos veram de Chriſto fidẽ in mundum vniuerſum induxiſſe. hoc enim eſt illud magnum pietatis myſterium: *Deus apparens in carne*, quod Apoſtolus ait, *prædicatum eſſe gentibus, creditum mundo.* 1. Tim: 3. 16. Quid verò primis 300. annis mundus vniuerſus de Diuina Chriſti natura ſenſerit, vel illud argumento eſſe poteſt, quòd cùm primum Arius, Chriſtum eiuſdem cum Patre

 naturæ

Digitized by Google

naturæ, ſeu conſubſtantialem eſſe Patri negare cœpiſſet, tanta in vniuerſo orbe Chriſtiano commotio facta eſt, vt ex omnibus terræ partibus trecenti, decē, & octo Epiſcopi, rei nouitate, & indignitate permoti, tanquam ad commune incendium extinguendū confluxerint, & Arij dogmate peſtifero cōdemnato, quæ eſſet totius populi Chriſtiani de Chriſto fides, abundè ſatis proteſtati ſunt.

Mundus ab Apoſtolis de Chriſti diuina natura fidē accepit.

Eam porrò fidem non tunc primùm orbis Chriſtianus didiciſſe credendus eſt, ſed ab ipſis Apoſtolis, & primæuis illis Chriſtianis hauſtam acceptamque, totis illis 300. annis conſtanter retinuiſſe. Quis enim obſecro alius mundū vniuerſum ea fide imbuit, quam tunc Nicœni Concilij PP. nomine orbis & populi vniuerſi Chriſtiani profeſſi ſunt? Etenim ſi quis alius præter Apoſtolos eam fidem induxiſſet, certè & auctor eius & initium aliquod proferri, & nominari poſſet. nam neq; res tanta, à mundo vniuerſo, ſine vllo auctore, credi potuit: neq; ſi quiſquam eius auctor fuiſſet, præteriri à ſcriptoribus Eccleſiaſticis potuiſſet: qui cùm ſectas omnes, & hæreſes trium illorum ſeculorum perſecuti diligentiſſimè ſint, nequaquam huius ſectæ vel auctorem, vel ſaltem initium aliquod annotare neglexiſſent. Cùm enim id in rebus leuioribus, longeq; minoribus, accuratè ſatis præſtiterint, quomodo rem tantam, quæ vniuerſum mundum affecit, hoc eſt Fidei Chriſtianæ, in toto mundo mutationem negligere, aut diſſimulare potuiſſent? Cùm igitur nullus alius auctor, nullumq; aliud eius initium aſſignari poſſit, neceſſe eſt, vt ea in Apoſtolos Apoſtolorumq; tempora referatur. Veriſſimè enim ab Auguſt: ſcriptum eſt, 4. contra Donatiſtas. cap: 24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi ab Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime credi.* Aut igitur fides de Chriſto Catholica ſine initio fuit, aut initium ab Apoſtolis ſumpſit.

Et verò ſoli Apoſtoli vniuerſum mundum fide Chriſtiana illuſtrarunt, & quæ ab Apoſtolis fides in mundum inducta eſt, ea deinceps omnibus conſequentibus ſeculis, ſecundùm promiſſa Dei, & prædictiones ſcripturarum, toto mundo retineri, & illibata conſeruari debuit. quod vti in Catholicam de Chriſto Deo fidem optimè conuenit, ita in Arianam non conuenit, quam nec totum orbem occupaſſe, neque omnibus ſeculis fuiſſe, docent abundè Concilij Nicœni tempora, cùm eam tanquam rem nouam, & ante non auditam, totus mundus exhorruit.

Deinde

Digitized by Google

Deinde & illud magnum argumentum eſt primæuæ de Chriſto fidei, quòd ijdem ſcriptores Eccleſiaſtici, oppoſitæ ſectæ, quæ Chriſtum ſolum hominem, non natura Deum aſſerebat, & authorem, & initium adnotàrunt, Ebionem inquam & Cherintum, qui Apoſtolorum tempore hoc peſtilens dogma diſſeminare cœperunt, ita vt contra eos D. Ioannes, & Euangelium ſuum conſcripſerit, & eoſdem in ſuis epiſtolis grauiſſimè perſecutus ſit. Ipſum verò dogma ab vniuerſo fidelium cœtu pro hæreſi habitum, auctores pro Hæreticis. Ita Irenæus, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, Hieronymus: vt ex eo appareat, primæuam Eccleſiam, & diuinam Chriſti naturam agnouiſſe, & eos qui illam oppugnarent pro Hæreticis habuiſſe. *Hæreſis Ebionis & Cherinti, diuinã Chriſti naturã negantis.*

Accedit quod dubitari non poteſt, eam fuiſſe primæuæ Eccleſiæ fidem, quam illius ſeculi PP. cæterorum fidelium Duces, & lumina tenuerunt, & ſcriptis conſignàrunt: eos enim cæteri ſequebantur. Atqui horum Patrum, de Diuina Chriſti natura teſtimonia tam illuſtria ſunt, vt ea nemo, niſi præoccupatæ opinionis, in dubium reuocare poſſit. Legi ea poſſunt apud Bellarmin: 1. de Chriſto, cap: 10. & apud Centuriatores, qui in ſingulis Centurijs conſentientẽ Patrũ de Chriſto vero Deo doctrinam, magna cum diligentia adnotàrunt. Nõ igitur dubiũ eſſe poteſt, eã quoq; fuiſſe & primæuæ Eccleſiæ fidẽ.

Vanum verò eſt, & futile, quod opponit Smalcius, in Symbolo Apoſtolorum, quod primæua illa Eccleſia ſequebatur, nihil de Diuina Chriſti natura haberi, quaſi verò quæ de Filio Dei vnico, Domino noſtro, in Symbolo Apoſtolorum habentur, non poſſint, aut non debeant, de Diuina Filij Dei natura accipi: ſine qua, nec verus Dei Filius, nec vnicus, nec Dominus ſecundùm ſcripturas dici poteſt, vt & nos alibi demonſtrauimus, & primi illi fideles, ab ipſis Apoſtolis viua voce Symbolum exponentibus didicerunt. Cuius hoc ſignũ eſt, quod cùm à toto Chriſtiano cœtu, in toto mũdo Symbolum eo ſenſu receptum eſſet; non alius eius ſenſus auctor, quàm Apoſtoli; non aliud initium, quàm Apoſtolorum tempora aſſignari poſſint. Et niſi primæui illi Chriſtiani eo ſenſu Symbolum ex doctrina Apoſtolorũ intellexiſſent: nequaquam ea de Filio Dei fides ad noſtra vſq; tẽpora, in vniuerſo mundo propagata fuiſſet. Oportuiſſet enim interceſſiſſe auctorem aliquem, qui & Apoſtolicam de Chriſto fidem è toto mundo auferret, & eam in falſam, doctrinæq; Apoſtolicæ repugnantem, commutaret; qui cùm nullus proferri poſſit, neceſſe eſt eam fidem, ad Apoſtolicam ipſam doctrinam referre. *Symbolũ Apoſtolorũ diuinam Chriſti naturam indicat.*

Digitized by Google

Authores occulti. Referre quidē conatur Smalcius in aliquos occultos poſt Apoſtolorum tempora auctores: At quo id argumento confirmat, niſi vaniſſimæ ſuæ ſuſpicionis indicio? qua ratione quaſuis fabulas, & ſomnia, atq; mendacia, non erit difficile confingere atq; venditare. Etenim ſi hi auctores verè occulti ſunt, quomodo Smalcio occulti nō ſunt: aut ſi Smalcio quoq; occulti ſunt, quomodo ei conſtare poterit, illos aliquando fuiſſe? Nam ſi ab ipſis Apoſtolorum temporibus dicat Pſeudoapoſtolos, & Antichriſtos exoriri cœpiſſe in Eccleſia, id Smalcium minimè iuuabit. Nam iſtorum Pſeudoapoſtolorum nomina, & hæreſes, à ſcriptoribus Eccleſiaſticis obſeruatæ & ſcriptis conſignatæ ſunt. In quo numero vti non ponuntur ij, qui Diuinam in Chriſto naturam agnoſcebant; ita expreſsè recenſentur, ij qui cum Arianis, Chriſtum ſolùm hominem, nullaq; natura Diuina præditū, prædicabant. quemadmodū & nos infra ex D. Ioannis epiſtola probabimus. Quocirca dicendum eſt illos Pſeudoapoſtolos non aſſeruiſſe Diuinam Chriſti naturam, ſed negaſſe: nec dogma Catholicū, ſed Arianum inducere cœpiſſe: reliquoſq; fideles omnes in contraria de Chriſto ſententia fuiſſe.

Pſeudoapoſtoli parētes Arianorū.

Quòd ſi ſcripta Apoſtolica vrgeat, quaſi doctrinæ de Chriſti natura Diuina contraria, probare primùm debet ſcripta Apoſtolica, nō ſenſu Catholico, ſed Ariano, tùm ab Apoſtolis edita, tùm à primis illis fidelibus accepta, atq; intellecta fuiſſe. quod cùm ab illo probari non poſſit, nos eo interim argumento demonſtramus, noſtrum ſenſum, Apoſtolicum ſenſum eſſe, & in primæua Eccleſia fuiſſe: quòd is ſenſus vniuerſæ Eccleſiæ cùm ſit traditus, alium auctorem præter Apoſtolos non habeat: neq; enim vt dictum eſt, quiſquam poſt Apoſtolos mundum ab Apoſtolica doctrina ſeduxit, & in contrarios induxit errores: neq; idem in mundo omnibus ſeculis ſentirēt omnes, niſi eoſdem omnes ſequerentur auctores, nempè Apoſtolos; quos ita ſenſiſſe, & docuiſſe, totius mundi acceperunt traditione. Non igitur quærat à nobis Smalcius, quis fidem facturus ſit, noſtram de Diuina Chriſti naturâ doctrinam, ab Apoſtolis fidelium mētibus impreſſam eſſe. Res enim ipſa loquitur, cùm ad nullum alium auctorem referri poſſit; ad Apoſtolos, à quibus doctrina de Chriſto in mundum vniuerſum propagata emanauit, referendam eſſe; ab ijſq; primæuorum fidelium mentibus inditam, atq; impreſſam eſſe: alioquin aut auctor talis doctrinæ, poſt Apoſtolos in medium proferendus, aut ab Apoſtolis ipſis

Digitized by Google

lis ipſis initia, & progreſſus veritatis huius deducendi erunt; id quod iam non ſemel inculcatur, & vim vrgendi haud mediocrem obtinet; aſſenſum verò apud prudẽtes facilè inueniet, ne dicam extorquebit.

Porrò addi poteſt & aliud, ad colligendam primæuæ Eccleſiæ de Chriſto fidem, argumentum. Etenim neceſſe eſt in primæua Eccleſia, aut eam fuiſſe de Chriſto fidem, quæ Diuinam illi naturam aſſignat, aut eam quæ tollit. Hæc verò cùm eſſe non potuerit, conſequens eſt illam fuiſſe. Ex ſcripturis enim certum eſt, fidem Chriſti ab Apoſtolis primùm inductam, deinceps permanere in toto mundo omnibus ſeculis ad finem vſq; mundi, debuiſſe. Ita enim, vt alia omittam, à Malachia prædictum legimus: *A ſolis ortu vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Et Pſal: 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Alioqui, ſi fides Chriſti interiret, aut anguſtiſſimis terminis concluderetur, ipſum Chriſti regnum, quod in fide fundatum eſt, periret, & æternum non eſſet, contra ſcripturas, quæ Chriſti regnum, qua amplitudine ei promiſſum eſt, æternum fore, & nunquam deſtruendum teſtantur. Fieret etiam, vt dæmon, cuius imperiũ Chriſtus paſſione ſua & morte ſuſtulit, Chriſtum ſuperaret, & regno ſuo pelleret, portæq; inferi præualerent aduerſus eum. Si igitur fides Diuinam Chriſto naturam negans, vera & Apoſtolica eſſet, permanere vtiq; in toto mundo ab Apoſtolorum temporibus omnibus ſeculis debuiſſet. quæ felicitas cùm ei nunquam poſt Apoſtolorum tempora obtigerit, neq; ipſis Apoſtolorum temporibus proculdubio contigit. Vera igitur, & ab Apoſtolis, mentibus fidelium impreſſa non fuit.

Aliud argumentum.

Apoſtolica doctrina perpetuò durat

Hoc argumentum non ſoluit Smalcius, cùm defectionem à fide, ipſis Apoſtolorum temporibus inchoatam, totum mundũ occupâſſe concedit: idq; tribuit, vel peccatis hominum, ob quæ à Deo deſerũtur; vel tyrannidi conſcientijs hominum illatæ. Etenim nulla hominum, vel malitia, vel tyrannis atq; potentia, Diuinas promiſſiones euacuare poteſt. quare nec promiſſiones Chriſto factas. Sic enim Paulus docet, Rom: 3. 3. *Numquid incredulitas eorum, fidem Dei euacuauit? Abſit. eſt autem Deus verax, omnis homo mendax, ſicut ſcriptum eſt; vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Quare nec promiſſiones Chriſto factas de regni eius perpetuitate, vlla vis, & malitia hominũ euacuare potuit, aut poterit vnquam. Quamuis autem priuatos homines, qui-

Defectio generalis à fide nunquã fuit.

Digitized by Google

nes, quibus nil tale promiſit Deus, ſæpè ob peccata deſerit, vt eos in errores induci patiatur. 2. Theſſ. 2. 10. tamen Chriſtum, & ei promiſſiones factas, ob vlla peccata hominum, non deſeret vnquam.

Simile eſt illud quod ait: Dici non poſſe etiam tum Chriſti fidē interijſſe: tùm quia non eſt, inquit, dubium aliquos fideles extitiſſe: tùm quia fides de Diuina Chriſti natura, obſcurat ſolùm, nō autem per ſe & ex natura ſua illam tollit. Etenim quibus documentis aç teſtimonijs probabit Smalcius, aliquos ſemper in Eccleſia fuiſſe, qui Diuinam Chriſti naturam negarent. Sed eſto. ſi fides Chriſti ad paucos aliquos redigeretur, regnum Chriſti interijſſe prorſus dicēdū eſſet: ſicut ſi Rex aliquis regno ſpoliatus, ad pauculos aliquot ſubditos redigatur. Hoc enim non eſt regnare, paucis aliquibus hic & illic ſparſis præeſſe, ſed prouincijs integris & regnis cum poteſtate præſidere. *Error circa Chriſti naturam, fidem de CHRISTO tollit.* Neq; verò dici poteſt, eum qui eſt circa Chriſti naturam errorem, obſcurare duntaxat Chriſti fidem, non tollere. Siquidem is error, ſi eſſentiam Chriſti tollit, etiam Chriſtum tollat neceſſe eſt; aut faciat eſſe alium quoad eſſentiam, quàm reuera ſit. Quocirca & fidem in verum Chriſtum tollit, & transfert in alium, qui reuera Chriſtus non eſt, vt mox dicemus.

SECVNDA CAVSA. At non eo ſolùm nomine Ariani, non ſunt Chriſtiani, quòd à veris, & primæuis illis Chriſtianis diſſentiant, ſed etiam quod cùm Chriſto eſſentiam negant, Chriſtum negent. nam nec Chriſtus eſt Chriſtus ſine ſua eſſentia: nec qui Chriſtum negat, Chriſtianus vllo modo dici poteſt. *Ariani eſſentiā Chriſti negant.* Et verò cùm Ariani, Chriſti Diuinam naturam negant, quid aliud quàm eius eſſentiam negant? ſine qua non magis Chriſtus eſt Chriſtus, quàm ſine eſſentia hominis homo. Talē enim Chriſtū nobis Apoſtoli prædicarūt, qui Deus eſſet & homo: talē mūdus vniuerſus ex Apoſtolorū prædicatione credidit, credetq; ſemper.

At enim, inquit Smalcius, etiamſi negetur Chriſti Diuina eſſentia, quia tamen humana non negatur, non negari abſolutè Chriſti eſſentiam. Verùm quis non videt, quòd ſi Chriſti eſſentia ſit Dei, & hominis eſſentia, in vna perſona coniuncta, eum qui alterutram negat, abſolutè Chriſti negare eſſentiam? Sicut enim qui vel corpus hominis negat, vel animam, licet alterum affirmet, is abſolutè hominem non affirmat, cùm nec ſolum corpus, ſit homo, nec ſola anima, ſed per vtramq; horū eſſentiā, hominis eſſentia cōſtituitur: ita cū vtraq; Dei & hominis natura, Chriſti eſſentiā conſtituat; qui alte-

Digitized by Google

qui alterutrā negat, abſolutè Chriſti eſſentiam negare dicēdus eſt.

Accedit, quòd etſi Ariani Chriſtum, illum hominem de Maria natum ſe credere glorientur, reuera tamen non illum hominem, ſed alium credunt. ille enim homo, eſt idem qui Deus, & Diuina perſona in humana natura ſubſiſtens. Ariani verò talem perſonam hominis illius non agnoſcunt, ſed aliam pro ipſa ſubſtituunt, ac ex conſequenti alium hominem, & alium Chriſtum credunt, quem ſibi ipſi confinxerunt. Ait quidem Smalcius, poſſe ſuo modo dici, Chriſtum habere naturam Diuinā, & humanam, propter immortale, & Diuinū dominiū in res omnes; verū non de tali natura hic agitur, quæ ſit Diuinæ perfectionis aliqua participatio, ſed quæ ſit ipſa Dei eſſentia.

Ariani Chriſto diuinum honorem ſol-lunt. Parum verò refert, quòd Ariani ſe Diuino honore Chriſtum afficere glorientur. id enim verbis ſolùm aiunt: re autem ipſa non præſtant. non enim poteſt Chriſtum is Diuino honore colere, qui ei Diuinam naturam negat. *Quid ſit diuinus honor.* Diuinus enim honor ſolùm ratione Diuinæ naturæ debetur. Vt enim Deus, non niſi ratione Diuinæ ſuæ naturæ Deus eſt: ita Diuino honore non colitur, niſi ratione Diuinæ naturæ colatur. Deū enim colere eſt Diuinā in eo naturam agnoſcere, & adorare. Diuinitas verò illa, quæ eſt extra naturam Diuinam, quanta quanta ſit, Diuinum honorem non meretur; cùm ſit participatio ſolùm quædam Diuinæ perfectionis & infra Deum; & quæ vmbra tantummodo eſt Diuinitatis, ſi ad Deū referatur. Quòd ſi propterea præſtandus ſit Diuinus cultus; innumeri Dij, tàm ex hominibus quàm ex Angelis colendi eſſent: nempè quotquot in ſcriptura propter participatam Diuinam ſimilitudinem dicuntur Dij. omnes enim iſti vnius generis ſunt; quippe Dij per participationem. Etſi alij alijs magis participent Dei ſimilitudinem: ex eo tamen non ſequitur alios colendos, alios non colendos, ſed ſolùm minus, vel magis colendos, prout magis, vel minus Diuinam ſimilitudinem participant.

Quocirca duplici ratione Ariani in Chriſto colendo peccant; tùm quod infinito honore, qui ei ob Diuinam naturā debetur, ipſum ſpoliant; tùm quòd ob fictam Diuinitatē, ei honorē tribuunt. Vera enim Chriſti Diuinitas, eſt Diuina eius natura: omnis alia Diuinitas, eſt ſimilitudo quædā & participatio Diuinitatis, non ipſa vera Diuinitas. nunquam enim ſimilitudo rei, eſt verè res ipſa. Quare cùm pro Diuina natura, aliam Chriſto Diuinitatē attribuunt, quid aliud quàm confictam à ſe Diuinitatem illi tribuunt.

Digitized by Google

Quod verò ait Smalcius, Chriſtum non pari omnino cũ Deo honore coli, ſed tamen tali, qui ſit eiuſdẽ generis cum Diuino. quid hoc eſt aliud, quàm fucus ipſe? Etenim ſi Diuinitas non ſit eiuſdẽ generis in vtroq;, quomodo poteſt eſſe eiuſdẽ generis Diuinᵛ cultus? cultus enim Diuinus propter Diuinitatem tribuitur. Non eſſe autem eiuſdẽ generis Diuinitatem Chriſti & Dei, (qualem iſti ſtatuunt) per ſe manifeſtum eſt. Nam Chriſti Diuinitas ſecundùm eos, eſt poteſtas eius Diuina participata, Dei verò Diuinitas eſt ipſa eius natura: propter Diuinam enim naturam Deus eſt Deus. Hæc autem non eſſe eiuſdem generis, nemo eſt qui non videat. Verùm hæc, & alia ad idem ſpectantia, fuſiùs contra Smalcium infra demonſtrabuntur.

Socini de Trinitariis indicium.

Nunc verò decretum Socini parentis horum Arianorum in medium adducam. is enim in Refutatione *Wuieci*, c. 9. fol: 484. ait, longè præſtare Trinitarium eſſe, quàm Chriſto Diuinum cultum nõ tribuere, eumq; qui Chriſtum Diuina ratione non colit, nullo modo Chriſtianum dici poſſe. Si igitur decreto Socini ſtandum eſt, conſequens eſt, Smalcium cum ſuis, Chriſtianũ non eſſe; quippe qui Chriſto Diuinum honorem, vnà cum natura Diuina neget, & non niſi falſum honorem, in conficta à ſe Diuinitate fundatum, ei tribuat.

TERTIA CAVSA.

IAM tertio loco probandum eſt, Arianos vnà cum Ebione, & Cherinto ab Apoſtolis, hæreſis condemnatos, ac propterea veros Chriſtianos non eſſe. qui enim è Chriſtianorum cœtu tanquam hæreticus exterminatus eſt, ad cœtum Chriſtianorum non pertinet.

Ariani hæreſis condemnati à D. Ioanne Apoſtolo.

Etenim ex D. Ioannis epiſtolis conſtat, tempore Apoſtolorum quoſdam pſeudoprophetas fuiſſe, qui errores de Chriſto diſſeminarent. His igitur D. Ioannes tria tribuit. 1. Quòd negarent IESVM eſſe Chriſtum. Ita enim ait, 1. Ioan: 2. 22. *Quis eſt,* inquit, *mendax, niſi is qui negat, quoniam* IESVS *eſt Chriſtus. hic eſt Antichriſtus.* 2. Quòd ſoluerent IESVM. Ita enim ait, 1. Ioan: 4. 3. *Omnis ſpiritus, qui ſoluit* IESVM, *ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* 3. Quòd negarent IESVM

Hæreſis Ebionis & Cherinti.

Chriſtum in carne veniſſe: vt ibidem ait S. Ioannes. Hos igitur pſeudoprophetas fuiſſe, Ebionem & Cherintum, tota antiquitas teſtatur. ij enim & tempore Apoſtolorum fuerunt, & eam de Chriſto doctrinam tradiderunt. Etenim docebant IESVM eſſe ſolùm hominem, in eumq; poſt 30. annos deſcendiſſe Chriſtum ſeu Filium Dei, in ſpecie columbæ, in eoq; requieuiſſe, & miracula patraſſe, tandẽq; in morte ab eo receſſiſſe. Ita Ignatius in epiſtola ad Philadelphien.

Irenæus

Digitized by Google

Irenæus lib: 1. cap: 25. & 26. Tertullianus lib: de Carne Chriſti, & lib: de Præſcriptionibus. Euſebius lib: 3. hiſt. cap: 27. Hieronym: de viris illuſtribus, Auguſt: hæreſi 10. Caſſian: 1. de incarnat. & alij.

Ex qua Ebionis, & Cherinti doctrina intelligitur, primùm illos negâſſe IESVM eſſe Chriſtum, quia alium eſſe IESVM, nempe purum hominem, ex MARIA natum dicebant; alium Chriſtum, nempe Filium Dei, qui in ſpecie columbæ in Chriſtum deſcendit voce de cœlo lapſa: *Hic eſt Filius meus.* & in eo habitauit. Neq; enim ita deſcendiſſe dicebant, vt fieret idem, quod IESVS per vnionem perſonæ, ſed tantùm vt in eo habitaret; diſertèq; Irenæus loco citato ait, ſecundũ ſẽtẽtiã illorũ hæreticorũ, Verbũ non eſſe factũ Carnẽ. Similiter ſecundùm eandem doctrinam diſſoluebant IESVM, tùm quia illum ſeparabant, à Chriſto per annos 30. tùm quia etſi in baptiſmo illum quodammodo vnirent cum Chriſto, id tamen ad inhabitandum tantùm, non verò ita, vt eundem dicerent IESVM, quem Chriſtum: negabant enim IESVM eſſe Chriſtum.

Ex quo patet, quid ſit apud S. Ioannem, ſoluere IESVM; nempe dicere IESVM, non eſſe Chriſtum: eos enim qui negabant IESVM eſſe Chriſtum, dicit D. Ioan: ſoluere IESVM. qui ergo dicunt IESVM eſſe Chriſtum, non ſoluunt IESVM, ſed agnoſcunt eius vnitatem cum Chriſto, quæ vnitas non eſt naturæ, ſed perſonæ. *Quid eſt ſoluere Ieſum?*

Deniq; ex eadem doctrina, negabant IESVM Chriſtum in carne veniſſe. Solùm enim IESVM, quem hominem tantùm eſſe credebant, dicebant in carne veniſſe, & ex MARIA natum. Chriſtum verò, quem Filium Dei, & naturam quandam ſpiritualẽ ſtatuebant, non veniſſe in carne, ſed ſolùm deſcendiſſe in viſibili eſſentia in IESVM, ſub ſpecie columbæ, vt in eo habitaret.

Ex quo patet, quid ſit apud D. Ioannem in carne venire; non enim eſt ſolùm in carne habitare, ſed fieri, & eſſe carnem. Eos enim qui negabant IESVM eſſe Chriſtum, ait negâſſe Chriſtum veniſſe in carne. Illi enim non negabant IESVM veniſſe in carne, neq; negabant Chriſtum in carne habitâſſe, poſtquam deſcendit in IESVM; ſed negabant eundem eſſe IESVM, cum Chriſto, & Chriſtum cum IESV. Et quidem IESVM eſſe carnem dicebant, Chriſtum verò naturam ſpiritualem, & incorpoream; quippe Dei Filium. Vnde S. Ioannes, eos qui negabant IESVM eſſe Chriſtum, ait, negâſſe IESVM eſſe Filium Dei. 1. Ioan: 2. 23. & pro eodem habet D. Ioannes IESVM *quid in carne venire?*

eſſe Chriſtum, & IESVM eſſe Filium Dei. Chriſti enim nomine intelligebant Filium Dei, qui cùm deſcenderet in IESVM in ſpecie columbæ, Pater dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus.*

Triplex decretum D. Ioannis contra Arianos. Primum.

Ex quo infero Arianos vnà cum Ebione, & Cherinto, à D. Ioanne triplici decreto, & ſententia lata condemnatos eſſe. Primum D. Ioannis decretum eſt, eos qui cũ Ebione, & Cherinto negant IESVM eſſe Chriſtum, eſſe mendaces, & Antichriſtos. Atqui Ariani cum Ebione, & Cherinto negant IESVM eſſe Chriſtum, ergo decreto D. Ioannis mendaces ſunt, & Antichriſti.

Dixi Arianos negare IESVM eſſe Chriſtum cum Ebione, & Cherinto, hoc eſt eo modo quo negabat Ebion, & Cherintus. hi enim eo ſolùm negabant IESVM eſſe Chriſtum, quia negabant hominẽ illum de MARIA natum, eſſe naturalem Filium Dei, natura Diuina, & ſpirituali præditum. hoc enim nomine Chriſti intelligebant, diuerſam naturam, & ſubſtantiam ab homine illo; quam de cœlo in baptiſmo deſcendiſſe aiebant, & voce de cœlo lapſa, dictum eſſe Filium Dei. non negabant autẽ IESVM eſſe Chriſtum, eo modo quo Ariani affirmant, nempe per poteſtatis Diuinæ participationem, ad nos ſaluandos, & regendos. Quocirca non poſſunt ſe ab hoc Apoſtoli decreto, & ſententia lata excipere: quòd ipſi affirment IESVM eſſe Chriſtum, per poteſtatis Diuinæ participationem. hoc enim modo nec Ebion aut Cherintus negabant: ſed illo alio modo, quo Ebion ac Cherintus negabant, & ipſi negant; nempe hominẽ illum IESVM eſſe quoq; Chriſtum, id eſt, eſſe quoq; naturæ ſpiritualis & Diuinæ, quæ ſit natura Filij Dei. Ita vt in hoc puncto ſint pares Ariani Ebionitis, & Cherintianis.

Ex quo etiam decreto, & ſententia S. Ioannis concluditur, Catholicos omnes verè de Chriſto ſentire, cùm eum non ſolùm IESVM ſeu hominem natura, ſed & Chriſtum, hoc eſt Filium Dei, Diuina natura præditum credunt, & confitentur. Si enim ex ſententia Ioannis, IESVS non eſſet, ille Chriſtus Diuina natura præditus, non potuiſſet eo nomine reprehendere Ebionitas, & Cherintianos, quòd id negarẽt. quod igitur illi malè negarũt, Catholici optimè affirmãt.

Secundum.

Alterum decretũ D. Ioannis eſt. Omnis ſpiritus, qui ſoluit IESVM, eo modo quo Ebion, & Cherintus, ex Deo non eſt, ſed Antichriſtus eſt. Atqui Ariani eo modo quo Ebion, & Cherintus ſoluũt IESVM. ergo Decreto, & ſententia S. Ioannis, ex Deo non ſunt, ſed

ſunt An-

Digitized by Google

ſunt Antichriſti. Minorem probo. Ebion enim,& Cherintus eo ſenſu ſoluebant IESVM, quia ſolùm negabant eſſe Chriſtum, modo explicato. Separabant enim Chriſtum à IESV, & Chriſtum antè fuiſſe in cœlo, IESVM verò in terra. In baptiſmo verò Chriſtum deſcendiſſe quidē in IESVM, vt in eo habitaret, ſed nō fuiſſe eūdē cū IESV.

Atqui hoc modo Ariani ſoluunt IESVM, ſeparando IESVM, à filij Dei natura; in eoq; ſolùm ab Ebione,& Cherinto differunt, quòd Ebion,& Cherintus concedebat Filium Dei natura Diuina præditū, diſtinctum ab homine IESVM. Ariani verò, talem Filium Dei, qui naturam Diuinam habeat, non concedunt. Neq; tamen propterea ſe à decreto Apoſtoli eximere poſſunt: quia cum Ebione, & Cherinto in eo conueniunt, quòd ſoluant IESVM. quemadmodū enim ab Ebione,& Cherinto ſoluitur IESVS, quia ſeparatur à natura Diuina Chriſti,& Filij Dei: ita & ab Arianis ſoluitur IESVS. quia ſeparatur à natura Diuina Chriſti,& Filij Dei.

In eo verò Ebione,& Cherinto deteriores ſunt; quòd Ebion,& Cherintus ſoluebant quidem IESVM à Chriſto,& Filio Dei; ſed Filium Dei natura Diuina præditum eſſe non negabant. at Ariani & ſeparant IESVM, à Filio Dei natura Diuina prædito,& talem Filium Dei, qui ſit natura Diuina præditum exiſtere negant: in quo duplici pœna ſunt digni: altera quam cum Ebione,& Cherinto merentur, quòd ſoluunt IESVM, & ſeparant à Filio Dei natura diuina prædito. Altera, præ Ebione,& Cherinto, quòd talem Filium Dei dari,& exiſtere negent, quod Ebion,& Cherintus non negabant.

Ariani deteriores Ebione & Cherinto. & in quo.

Quòd verò id ſecundum malè Ariani negent, idipſum verbis D. Ioannis doceo. Is enim propriè dicitur ſoluere IESVM, qui ſeparat ab illo id, quod illi conuenit: qui enim ſeparat à IESV, quod illi non conuenit, non ſoluit IESVM, ſed rectè ſentit de IESV. Cùm igitur eos, qui negant IESVM eſſe Chriſtum, dicat Apoſtolus ſoluere IESVM, eo ipſo indicat Chriſtum conuenire IESV; talē inquam Chriſtum, qualem negabant Ebion,& Cherintus, qui eſſet natura Diuina præditus. Deinde ſi nullus eſſet talis Chriſtus, qui eſſet natura Diuina præditus, optimè negaſſent Ebion,& Cherintus, IESVM eſſe talem Chriſtum, quia nimirum ille Chriſtus eſſet confictus, non reuera in rerum natura exiſtens, maleq; eo nomine reprehenderetur à Ioanne, quòd id negarent, quod omnis ratio ſuadet negandum. figmēta enim omnia de re negari meritò poſſunt. Deniq; D. Ioannes non

Digitized by Google

hoc reprehendit in Ebione, & Cherinto, quòd talis Chriſtus, qualem illi ſtatuebant, & de quo loquebantur, non detur in rerum natura, (quo argumento totus illorum error optimè, & à fundamentis confutatus fuiſſet,) ſed admiſſo illo Chriſto, de quo illi loquebantur, hoc ſolum reprehendit, quòd illum ſepararent à IESV, & negarent IESVM eſſe Chriſtum.

Ex quo patet eodem decreto Ioannis, Ebionẽ quidem, & Cherintũ ſemel condemnari, Arianos verò bis, id eſt, ex duplici cauſa.

Tertium decretum D. Ioannis in Arianos.

Tertium decretum & ſen tentia D. Ioannis, eſt in epiſt: 2. 7. *Qui non confitetur Ieſum Chriſtum venisse in carne, eo modo quo Ebion, & Cherintus non confitebantur: hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.* Atqui Ariani eo modo, quo Ebion & Cherintus, non confitentur Chriſtum in carne veniſſe, ergo decreto Ioannis ſunt ſeductores, & Antichriſti. Etenim Ebion, & Cherintus, negabant Ieſum Chriſtum veniſſe in carne, quòd Ieſum ſine Chriſto veniſſe in carne Diuina dicerent, negando IESVM eſſe Chriſtum, id eſt Filium Dei natura præditum hunc enim eſſe extra carnem, & non niſi 30. anno à natiuitate IESV deſcendiſſe in carnem; neq; tamen factum eſſe carnem, ſed tantùm in carne habitaſſe aiebant. Atqui Ariani quoq; Ieſum, ſine Chriſto, id eſt Filio Dei, natura Diuina prædito, docent veniſſe in carne. ergo cum Ebione, & Cherinto, negant Ieſum Chriſtum veniſſe in carne, ac ex conſequenti, decreto, & condemnatione D. Ioannis inuoluũtur. Qui igitur Chriſtiani haberi, & dici poſſunt, qui & non ex Deo, & mendaces, & ſeductores, & Antichriſti à Diuo Ioanne pronunciantur?

Smalcii impudentia.

Mirari verò ſatis non poſſum impudentiam Smalcij, qui eo argumento, ſolos Arianos, eſſe verè Chriſtianos probare nititur, eo quòd illi ſoli Ieſum Chriſtum in carne veniſſe fateantur. quia non alium præter, vel ante eum, qui in carne venit, agnoſcunt.

Debuit ſanè aduertere, quid ſit apud Ioannem, Ieſum Chriſtũ in carne venire, & quo ſenſu id ab Ebione & Cherinto, quos ibi D. Ioannes perſtringit, negabatur. vt enim oſtenſum eſt, illi hæretici, eo ſenſu negabant Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, quòd Ieſum, eſſe Chriſtum negarent, & non Chriſtum, ſed Ieſum tantùm veniſſe in carne dicerent. Chriſtum verò eſſe carnis expertẽ, nec vnquam eſſe carnem factum. Hæc autem ipſiſſima eſt Arianorum aſſertio. quare tantùm abeſt, vt illi ſoli IESVM Chriſtum in carne veniſſe cõfiteantur,

Digitized by Google

fiteantur, vt etiam ipſi ſoli poſt Ebionem, & Cherintum, negent Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. neq; enim illi negabant IESVM in carne veniſſe, quem purum hominem eſſe fatebantur. Sed Chriſtũ, quem carnis expertem, & Diuina natura præditum ſtatuebant, negabant factum carnem, & ſic negabant totum IeſumChriſtum, (hoc eſt, qui eſſet IESVS, & Chriſtus ſimul) in carne veniſſe.

Poſtremò probandum eſſet contra Arianos, eos tàm indignè de Deo, & de Chriſto ſentire, vt vel eam ipſam ob cauſam, Sacroſancto Chriſtiano nomine ſint prorſus priuandi. Quis verò neſciat Arianos id vnum agere, vt funditus Religionẽ Chriſtianam euertant? Et quidem aliæ hæreſes, quædam tantùm Religionis capita conuellunt, ſoli Ariani omnia; vt nihil de Deo, de Chriſto, de Sacramentis, de ſalute animarum poſt mortem, de peccatorum remiſſione, & vita æterna, à fidelibus credatur, quod iſti non impugnent, & conuellere nitantur, vel ſaltem in dubium adducere, ita vt plus à ſolis Arianis Eccleſia Dei detrimenti capiat, quàm ab alijs omnibus ſimul hæreticis. Id ita eſſe quiſq; intelliget, ſi hæc noſtra legere voluerit. Propoſitum enim nobis eſt in hoc opere, ex innumeris Arianæ hæreſis erroribus, eos tantùm perſequi, & refellere, quos Smalcius in ſua reſponſione, bono ſatis numero, nobis ſuggeſſit. Quæ ſola talia ſunt, vt homines iſtos, nihil fidelis & Chriſtiani hominis in ſe habere, luculenter oſtendant.

Arianorũ hæreſis omnium pernicioſiſſima.

Pontificios non eſſe Chriſtianos ineptè à Smalcio probari; vbi etiam tria eiuſdem grauia abſurda refelluntur. CAP: II.

ÆGrè admodum fert Smalcius, ſe ſuoſq; à Chriſtiano nomine arceri. Retorquet itaq; idem in Pontificios, & vt clauum clauo pellat, quatuor ſatis inſulſa argumenta proponit. Verùm tardè nimis opus hoc aggreditur Smalcius. iam enim à 1600. annis, hoc eſt, à Chriſti & Apoſtolorum temporibus, atq; ab ipſa Chriſtiani nominis origine, Pontificij poſſeſſione huius nominis vbiq; terrarum gaudent. idq; tàm conſtanter vbiq;, & ſemper hucuſq; retinuerunt, vt nemo, vel inimiciſſimus inuentus ſit, qui id in dubium reuocauerit: adeò vt ſi iure agendum eſſet, vel ipſa præſcriptionis lege Pontificij, contra Arianos, palmam dubio procul obtinerent.

Catholici ſemper Chriſtiani.

Non ita Ariani ſe tueri poſſunt, quos mundus vniuerſus, & quotquot habitá ſunt in Eccleſia Concilia generalia, ab huius nomi-

nis communione excluſerunt, & tanquam hæreticos, in Chriſtianorum numero, nullo modo habendos decreuerunt. Repugnat & in ea re Smalcius Magiſtro ſuo, & Parenti Socino, qui in Refutatione *Wuieci*, fol: 484. Trinitarios meritò Chriſtianos eſſe affirmat: modo, inquit, Præcepta Chriſti conſeruent, nec vlla ratione eos perſequantur, qui Trinitarij non ſunt. Non igitur, quoad fidem, Trinitarios cenſet non eſſe Chriſtianos: nam illa conditio, quam ſatis ineptè apponit, ad mores potiùs, quàm ad fidem facit. Mores autem bonum Chriſtianum, fides verum facit, maliq; Chriſtiani ſunt veri, licet non boni Chriſtiani.

Smalcius Socino ſuo contradicit.

Addit præterea Socinus. non eſt, inquit, dubitandum, quin Deo minus diſplicerent Omouſiani Trinitarij, quàm vulgus Arianorum; imò quin illi, ſi alioqui piè viuebant, ei accepti eſſent, hi verò omnino inuiſi. Qua igitur fronte Smalcius, contra Magiſtri ſui decreta, eos non vult eſſe Chriſtianos, quos ille meritò Chriſtianos dicit, & quidē ſine dubio magis Deo acceptos? Sed iā quid dicat, audiamꝰ.

Tria obiecta Smalcij. Primum ſoluitur.

Pontificios non eſſe Chriſtianos, quòd Chriſti humanam eſſentiam negent. Perſonam enim, inquit, in Chriſto non humanam, ſed Diuinam ſtatuunt. quid inſulſius? Nam ſi Pontificij, cum Arianis delirarent, in confundenda ratione perſonæ, & naturæ, poſſet vtiq; Pontificijs id iure obijci. At norunt Pontificij perſonam, à natura diſtinguere; aliamq; eſſe rationem perſonæ, aliam naturæ tàm disertè docent, vt cœcus planè ſit, vel bardus, qui hæc in ſcriptis Pontificiorum non legat, vel non intelligat.

Ineptè igitur infert Smalcius, Pontificios eſſentiam humanam Chriſti negare, eo quòd perſonam humanam negent. Nam vti perſonam Diuinam in Chriſto agnoſcunt, ita naturam humanam in perſona Diuina collocatam, tanta aſſeueratione adſtruunt, vt negantibus id, & anathema dicant, & eos pro hæreticis habeant.

Alterum.

Sed pergit Smalcius, Pontificios non eſſe Chriſtianos, quia præter Deum, Diuino honore alia colunt. Nam & Hoſtiam, inquit, Sacramentalem, vt Deum adorant, & Virginem MARIAM, Reginam cœli appellant, & ab ea omnia impetrari poſſe credunt. Id autem eſſe idololatriæ vitium, ex eo, inquit, apparet, quia Iſraelitæ idololatriæ nomine, à Deo puniti ſunt, quòd vitulum adoraſſent, quem tamen verum Deum eſſe non credebant.

Inepta Smalcij argumentatio.

Verùm ex hac argumentatione, potius inferendum eſſet Smal-

Digitized by Google

cium, terq; quaterq; ineptum eſſe. quis enim non manibus ipſis ineptitudinem argumentationis ipſius palpare poteſt? Anné ſi Pontificij in hoſtia ſacramentali, iuxta Chriſti ipſius verba, carnem & ſanguinem veri Dei & hominis adorant, quidquam aliud præter Deum adorare credendi ſunt? Non enim carnem vt carnem, ſed vt Dei carnem, & Deo vnitam adorant. quod nihil aliud eſt, quàm Deum in carne, non carnem in carne adorare. Si Pontificij, (vt Ariani faciunt) Chriſtum, verum Deum eſſe, non crederent, nequaquam poſſent Diuinum cultum Euchariſtiæ exhibere. At cùm ab hac infidelitate penitus abſint & abhorreant, meritò in Euchariſtia Chriſtum, vt verum Deum; carnem verò eius, non vt Deum, ſed vt veri Dei carnem adorant.

Hoſtia ſacramentalis adoratio.

Deinde, itané abſurdum Smalcio videtur, Regis cœli & terræ Matrem, Reginam cœli nuncupari? Si enim cùm quiſpiam filius Rex eſt, matrem quoq; eius, reſpectu filij (quippe quæ filium Regẽ habeat,) Reginam dici poſſe & debere: nemo eſt qui dubitet, quod inconueniens eſt, cùm Filius Dei cælorum Rex ſit, Matrem quoq; Reginam cœli nominari? Neq; verò ea re illam Filio exæquamus. Etenim non ob Diuinam poteſtatem, qualis in Filio eſt, ſed ob ſingularem illam dignitatem, qua Mater Regis cœli eſt, & Filium Regem cœli habet, eam Reginam cœli nuncupamus. Ex qua dignitate, illa etiam conſequitur, vt nihil ſit in cœlo & in terra, quod non quidem per ſe, ſed per Filium non poſſit. Nam neq; filium quidquam negare matri conuenit; neq; matrem quicquam petere, quod non ſit filio ipſi gratiſſimum. Quod ſi Paulus omnia ſe poſſe in eo, qui illum confortabatur, non eſt veritus aſſerere, quid abſurdi erit dicere, Matrem Dei, omnia per Filium ſuũ poſſe? & demum cùm in Apoc: c. 2. 27. omni vincenti promittatur in præmium, poteſtas regendi gentes in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringendi; quis eam regẽdi poteſtatẽ Matri Dei denegare audebit, niſi rationis expers ſit?

Mariæ Virginis cultus & inuocatio defenditur.

Eiuſdem dignitas & poteſtas.

Iam verò, cùm per eam omnia nos impetrare poſſe credimus, tantum abeſt, vt ei Diuinitatem attribuamus, vt etiam vel hoc ipſo negemus: ſiquidem impetrare non eſt Dei, ſed eius, qui Deo eſt inferior, quiq; Dei gratia & beneficio opus habet. Quocirca ſi Virginẽ MARIAM eam credimus, quæ impetrare à Deo omnia poſſit, eam longè Deo inferiorem credimus. tantò tamen cæteris omnibus Deo gratiorem, & ad impetrandum aptiorem, quantò Matris Dei dignitas, cæ-

Digitized by Google

tas, cæteris omnibus dignitatibus antecellit, cùm prçſertim nihil niſi in nomine Filij ſui petat, vt vel ex eo appareat, eā cū omnia in nomine Filij ſui impetret, ſine vllo Filij præiudicio impetrare. Ex quibus omnibus apparet Pontificios, MARIÆ Diuinum cultum non deferre. Cùm autem Smalcius addit Iſraëlitas ob idololatriam à Deo punitos, etiamſi vitulum verum Deum fuiſſe minimè crediđiſſent, an non manifeſtè ſuam inſcitiam demonſtrat? Quis enim ignorat Iſraëlitas vitulo illi conflato dixiſſe: *Hi ſunt Dij tui qui eduxerunt te de Ægypto.* Exodi 32. 4. ac proinde merito, ob idololatriam à Deo punitos eſſe. quod ſanè exemplum vti ad Virginem MARIAM minimè accommodari poteſt; quippe cui nos nullam Diuinitatem, nullum Diuinum honorem tribuimus: ita Smalcium extra oleas vagari clarè oſtendit.

Tertiū Smalcij obiectum reijcitur.

Addit Smalcius, Pontificios Chriſtum verum non agnoſcere, nec honorare, quòd in eo perſonam humanam non agnoſcant. Quaſi verus homo à perſona, & non potiùs à natura dicendus ſit. Etenim ſicut forma, cuicunq; ſubiecto communicetur, verè illud denominat tale: ita natura humana Diuinæ perſonæ communicata, verè illa denominat hominem. Id verò ad maiorem hominis illius dignitatem pertinet, cùm pro humana, Diuina perſona ſubſtituitur. Nam vti longè Diuiniori ratione, homo ille ſubſiſtit in perſona Diuina: ita Diuiniorem honorem & cultum promeretur; nempe talem & tantum, quantus Deo ipſi tribuendus eſt, quoq; maior excogitari non poſſit. Quem honorem cùm Ariani Chriſto detrahant, infiniti ſceleris rei meritò cenſeri debent.

Toti orbi Chriſtiano Smalcius aduerſatur.

Deniq; Pontificios non eſſe verè Chriſtianos, probat ex eo, quòd abſurda credant, vnam numero eſſentiam exiſtere in tribus perſonis: Deum immortalem hominem factum & mortuum eſſe, panem in Corpus Chriſti tranſſubſtantiari: quaſi non longè abſurdius ſit, ipſa non credere, quæ orbis Chriſtianus vniuerſus, omnibus ſeculis conſtanter ex Scripturis credidit: quæq; non ſolùm abſurdorum loco nō duxit, ſed tanquam ſacroſancta Religionis Chriſtianæ myſteria veneratus eſt. Abſurda quidem ea videri poſſunt, ſed rudibus ac ſtipitibus, & truncis, qui res ſubtiliùs non expendunt. At ſapientibus & doctis veriſſima ſemper viſa ſunt, & Diuinis literis maximè conſentanea.

Illa po-

Digitized by Google

Illa potiùs pro abſurdis cenſere debuit Smalcius, in quæ hîc in ipſo quaſi limine turpiter impegit, quorum

Primvm eſt; Chriſtum non omniū prouidentiam habere. *Dogmata Smalcij tria portentoſa.*

Altervm; Chriſtum non ſolùm permittere, ſed & procurare poſſe, vt homines in grauiſſimos errores ruant.

Tertivm; cum fide de Deo & Chriſto falſa, dummodo quis rectè viuat, poſſe Deo placere & ſaluari.

Quis hæc errorum portenta æquis auribus ferat? etenim cùm Smalcius ait, Chriſti prouidentiam propriè loquendo, ad neminem ſpectare, niſi qui eius ſit, nec quidquam Chriſtum cuiquam promiſiſſe, niſi ſibi obedientibus, an non ſcripturas omnes de Chriſti Redemptione euertit? vnum enim ex duobus concedendum eſt: aut Chriſtum non omnes & ſingulos homines redemiſſe, aut ſi id ſaluis ſcripturis dici non poteſt, omnium & ſingulorum prouidentiam habere maximam. *Primum reijcitur.* *Omniū prouidentiam Chriſtus habet.*

Et verò ſacræ literæ teſtantur, Chriſtum dediſſe ſemetipſum redemptionem pro omnibus. 1. Timoth: 2. 6. & ipſum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. 1. Ioan: 2. 2. Deum dediſſe Filium, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioan: 3. 16. Nullus igitur eſt à Chriſti cura, & prouidentia exceptus: omnes Chriſtus vita ſua cariores habuit, pro omnibus idem redemptionis pretium prouidit, nempè ſanguinem ſuum; quo ſi omnes vti vellent, omnes ſalutem conſequerentur. Neq; verò ſolùm redemptionis pretium omnibus propoſuit, ſed etiam vt omnibus applicetur, omneſq; fiant redemptionis ſuæ participes, vult & procurat. Nam & omnibus gratiam ſuam offert, & ad ſe inuitat, ac vocat. Matt: 11. 28. Omnes inquam, non ſolùm obedientes, ſed etiam quos ſcit vocationi ſuæ rebelles, & repugnantes, & inobedientes futuros. *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Matt: 23. 27. imò reprobis ac ingratis ſæpè plura beneficia ad ſalutē ſpectantia confert, quàm ijs quos ſcit gratos, & obedientes futuros. Etenim Iudæis ingratis tot ad ſalutem media obtulit, quot Tyrijs & Sydonijs, quos gratos fore ſciebat, non obtulit. Sic enim ait Chriſtus: Matt: 11. 22. *Si in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent.* Si igitur ingratos, & inobedientes *Omnium ſalutem procurat, etiam rebellium, ingratorum & reproborum.*

Digitized by Google

Quòd pereāt multi mortales, nō eſt defectus prouidētia, ſed malitia pereuntium.

dientes Chriſtus ad ſe vocat, & ſalutem eorum procurat, quomodo verum eſſe poteſt, ſolùm eorum qui ſibi obediunt, curam & prouidētiam habere? Etſi enim ſoli obedientes fructum eius prouidentiæ percipiunt, nempè ſalutem; tamen etiam inobedientibus ea cura, & prouidentia impenditur Chriſti beneficio, ex qua idem ſalutis fructus, ſi per ipſos non ſtaret, prouenire poſſit. Quòd ſi re ipſa ſalutē non percipiant, non defectus prouidentiæ eſt, nec aliquid prouidentiæ deeſt, ſed vitio, & malitia hominum fit, vt reſpuant ea ſalutis media, quæ ex ſingulari prouidentia illis à Chriſto offeruntur. Si media ad conſequendam ſalutem neceſſaria non darentur omnibus, prouidentiæ vitium eſſet; at cùm ea ſingulis dantur, quæ ſatis ad ſalutem ſunt, & tamen non omnes per illa conſequantur ſalutem, nō prouidentiæ, ſed hominum, vti medijs & prouidentia nolentium, vitium eſt. Prouidentia enim in procurandis medijs ad finem neceſſarijs poſita eſt, ad conſequendum verò finem re ipſa, etiam voluntas hominis requiritur. Etenim ſi medicus ægroto curam omnem impendat, nihilq; eorum omittat, quæ ad morbum pellendum, & valetudinem obtinendam neceſſaria ſunt; ægrotus tamen ea omnia reſpuat, quæ illi à medico offeruntur: nemo medici prouidentiæ notam aliquam inuret, ſed ægrotum accuſabit. quod idem de Chriſti prouidentia exiſtimandum eſt. Neq; enim ea, quæ circa homines eſt prouidentia, id requirit, vt inuiti & repugnantes trahantur, ſed vt ſi velint, per media ſibi oblata, finem conſequi poſſint.

Prouidentia propriè quæ?

Neq; verò dicere poteſt Smalcius, eam prouidentiam quæ circa eos eſt, qui ſalutem non conſequuntur, eſſe impropriè prouidentiam. Nihil enim iſti prouidentiæ deeſt, quod ad eſſentiam quaſi prouidentiæ requiratur. Nam prouidentiæ proprium eſt, conſecutionem finis, per media apta & idonea procurare, nulla vi facta libertati, qua poſſit quis, ſi velit, & media reſpuere, & conſecutionem finis impedire. Si igitur ex defectu prouidentiæ ſeu mediorum, finis obtineri non poſſet, ea prouidentia eſſet imperfecta: at ſi media ſint per ſe ſufficientia, aliquis tamen medijs vti nolit, is vitio ſuo, non defectu prouidentiæ finem non aſſequitur. Neq; enim aliquid ex parte prouidentiæ deficit, ſed ſolùm ex parte voluntatis, quæ ad ſalutem conſequendam, non minus quàm prouidentia requiritur. Sic profectionem paranti ſufficienter prouidetur, ſi equus & ſumptus neceſſarius offeratur; neq; tamen, ſi is ad locum non perueniat, aliquid

ex proui-

ex prouidentia defuit, ſed defuit propria ipſius voluntas, ſine qua profectio inſtitui non potuit. Non poteſt igitur Chriſti prouidentia circa inobedientes impropria nuncupari: ſiquidem nihil illi deeſt, quod ad prouidentiam propriè ſpectet. Id verò quod deeſt, ad hominis voluntatem & libertatem pertinet, ſine qua Dei prouidentia effectum in nobis non ſortitur. Quare in eam ſolùm illa ſalutis non conſecutio referri debet.

Secundum Smalcij dogma portentoſum ac impium.

Chriſtus non procurat vt in errores grauiſſimos ruant homines

ALTERVM abſurdum eſt longè grauius, & cum maiori Chriſti iniuria coniunctum, cùm Chriſtum non permittere ſolùm, ſed & procurare poſſe aſſerit, vt homines in grauiſſimos errores ruant. quid Diuina Chriſti bonitate magis indignum dici potuit! qui eo fine potiſſimùm in mundum venit, vt nos à malo liberaret, & ab erroribus ad veritatis viam reduceret. Et verò ſi procurare ruinam noſtram poteſt, non poterit haberi profectò, illa de ſumma eius bonitate, & nimia eius in nos charitatem opinio. non enim ad bonitatem & charitatem ſpectat ruinam procurare, ſed arcere; non impellere ad malum, ſed à malo retrahere; præſertim cùm eo fine venerit in mundum, vt nos prorſus ab omni malo vindicaret. Totam etiam doctrinæ Chriſti veritatem ruere oportet; etenim ſi ſemel ſtatuatur Chriſtum procurare poſſe, vt in errorem ruamus, tota eius Euangelica doctrina in dubium reuocabitur, ne fortè tunc cùm eam nobis maximè commendat, in ea ruinam & exitium nobis paret. Vt enim rectè à D. Auguſt: lib: contra mendacium, cap: 4. & 18. & in lib: de mendacio, cap: 8. ſcriptum eſt, quomodo credendum eſt ei, qui putat quandoq; eſſe mentiendum? Nam & tunc fortè mentitur, cùm præcipit vt ei credamus. Quo verò modo nos lege ſua ab omni malo præcipit abſtinere, ſi ipſemet procurat, vt nos malis obligemus. Nihil dico de ſapientia Chriſti, quam iſto dogmate peruerſo & impio, euerti penitus eſt neceſſe. Neq; enim ſapientis eſt errorẽ in operibus ſuis admittere, ſed vitare; non procurare, ſed tollere. Error enim omnis ſicut rationi; ita & ſapientiæ aduerſatur.

Tertium dogma Smalcij & ſimul Socinij refellitur.

TERTIVM abſurdum non ita clarè Smalcius proponit, ſed multò clariùs Magiſter eius Socinus in Refutatione Wuieci, fol: 484. cùm ait, æquè Trinitarios ac Arianos acceptos eſſe poſſe Deo, etiamſi de Deo contraria ſentiant, & credant. Quid abſurdius! Etenim ſi Paulus pronunciat, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo; falſa autẽ fides, eſt nulla fides, cùm falſum, ſit non ens, qui fieri poteſt, vt cum

Digitized by Google

blaſphemare; cum blaſphemia verò quis Deo placere & ſaluari poteſt? Deinde cùm hæreſim illam Cancro, peſtilenti vlceri comparet, an non oſtendit hæreſim, morbum eſſe animæ peſtilentem, qui & animam quam inficit occidat, & eodem veneno alios quoq; inficiat. quod etiam alijs verbis exponit, cùm ait: Subuerterunt quorundam fidem. Sicut igitur grauiſſimum ſcelus eſt ſubuertere fidem aliorum, ita & errores quoſuis circa fidem docere. Ergo ex ſententia Pauli omnis hæreſis, & circa fidem error, malum mortiferum eſt, cum quo nec Deo placere, nec ſalutem conſequi quiſpiam poſſit.

...dum.

...malum mortiferum.

Eadem eſt D. Ioannis de eadem re ſententia, quæ hæreticos omnes, & ex Deo non eſſe, & Deum non habere, & antichriſtos, & ſeductores eſſe, certiſſimaſq; fidelium peſtes, & idcirco ſumma contentione vitandos, atq; nec in domum recipiendos; nec ſalutatione honorandos in ſuis epiſtolis affirmat. Certè ſi hæreſis tam graue malũ nõ eſſet, non vtiq; tam grauibus verbis ab Apoſtolo damnaretur.

Hæretici quales ſint iudicio Ioannis?

Quòd ſi Apoſtolico decreto tam graue malum eſt, qui fieri poteſt, vt tantum malum, vel placeat Deo, vel non diſpliceat? Siquidẽ Diuinam veritatem nobis cælitus ad ſalutem reuelatam ſubuertit, & contrarios ei errores introducit. Porrò id D. Ioannis decretum, cùm præcipuè eos inuoluat, qui Ieſum eſſe Chriſtum, id eſt, æternum Dei Filium negabant, vt cap: præcedenti docuimus: facilè perſpicitur, Arianos, qui in eodem errore verſantur, in ſua falſa fide, nec Deo placere, nec ſaluari poſſe.

Eiuſdem Apoſtoli decreto, Ariani ſaluari i ſua perfidia nequeunt.

Neq; verum eſſe, quod ait Smalcius, errorem circa naturam Chriſti, Diuinam fidem in Chriſtum non tollere, ſed obſcurare, cùm Paulus erroribus quibuſuis circa fidem admiſſis, fidem totam perire, & ſubuerti doceat. Cùm enim vna in nobis fides ſit, qua omnia credimus, ea cùm in nobis perit, tota fides Diuinitus infuſa nobis, perit, & ſolũ humana quædã de reb⁹ fidei opinio in nobis manet.

Error circa Chriſti diuinam naturã tollit prorſus fidem.

Aliud quoq; ex aduerſariorum reſponſione abſurdum cõſequitur. eum qui circa fidem errat, non peccare. Nam ſi peccat, in re graui peccat, & letale crimen admittit. Cum letali autẽ culpa, nec Deo placere, nec ſaluari quiſquam poteſt Secundùm enim Chriſti ipſius decretum, qui non crediderit, condemnabitur. Quod decretum, quia de credendo Euangelio accipiendum eſt, tàm ad eos pertinet, qui totum Euangelium non credunt, quàm qui aliquam eius partem. Vtriq; enim Euangelio non credunt. quælibet enim veritas Diuina nobis reuelata, Euangelium eſt.

Secundum abſurdum.

Digitized by Google

vocant, ſalutem impedire; non verò circa alia, quæ non ſunt fidei fundamenta. Hi enim primùm in eo errant, quòd non diſtinguant inter ignorantiam rerum fidei, & errorem circa fidem. Licet enim non omnes omnia ſcire tenentur explicitè, quæ diuinitus nobis reuelata ſunt. plurima enim ſunt, quæ commune fidelium vulgus ignorat, neq; tamen idcirco in ſalutis diſcrimine verſatur, tamen ea quæ reuelata ſunt, vel oppugnare, vel falſis opinationibus deprauare, ſcelus eſt graue, & Diuinis præceptis aduerſum, ac ex conſequenti à ſalute excludens. Etſi enim præceptum Dei affirmatiuum, vt Theologi rectè docent, nos ad omnia expreſsè credenda non obliget: negatiuum tamen, hoc eſt, ne quid contrarium rebus à Deo reuelatis credamus vel affirmemus, obligat omnes. Summa enim Deo fit iniuria, ſi falſa eſſe credantur, quæ Deus reuelauit, Deoq; error & falſitas tribuatur. quod B. Iudas Apoſtolus in ſua epiſtola Canonica, meritò blaſphemiam appellat. *Quæcunq;*, inquit, *ignorant, blaſphemant.* Vti & Paulus de Hymæneo, & Alexandro idem affirmat, 1. Tim. 1. ℣. 20. hoc igitur cum omnes hæretici faciant, Diuinam enim veritatem in ſcripturis reuelatam, in aliqua parte oppugnant, & fidei contraria ſentiunt: idcirco tanquam blaſphemi, & Diuini præcepti violatores, regnum Dei non poſſidebunt, etiamſi circa præcipua, & fundamentalia, vt ipſi vocant, fidei dogmata non errent.

litur in eadē materia.

Aliud ignorātia rerum fidei, aliud error circa Fidem.

fides falſa, ſumma Dei iniuria.

Porrò quamuis fideles non omnia à Deo reuelata ſcire, atque explicitè credere teneantur: tenentur tamen implicitè ſaltem, & in præparatione animi omnia credere: vt nec contraria rebus reuelatis ſentiant, & animo ſint parati, etiam ea quæ ignorant, poſteaq; conſtiterit ea à Deo reuelata eſſe, firma & Catholica fide credere.

Qui fideles omnia credere tenentur.

Deinde non ſatis explicant, quid ſit circa fidei fundamenta errare. Nam ſi præcipua quædam fidei noſtræ obiecta, & articulos, quos explicitè credere ad ſalutem eſt neceſſarium, vocant fidei fundamenta, quia ſunt fundamenta ſalutis, id dici quidem poteſt: At minimè verum eſt, circa alia poſſe quem citra ſalutis præiudicium errare, & ijs contraria pertinaciter ſentire. hoc enim eſſet Dei veritatem euertere, & falſitatis notam Deo inurere. Verè enim, qui ea etiam quæ fidei fundamenta eſſe non creduntur, pertinaciter negauerit, hæreticus eſt & blaſphemus. Ignorari quidem ea citra ſalutis iacturam poſſunt: at ijs contraria ſentiri non poſſunt. Tota enim fidei ratio ſubuertitur, ſi Deo in quacunq; re dicenti fides nō adhibeatur; cùm

Circa fidei fundamenta errare quid ſit?

Non minus credendum

Digitized by Google

Deo in maximus, atq; in minimus. tur; cùm non minor ſit Dei autoritas & veritas, cùm parua, quàm cum magna reuelat, nec minus dignus eſt in illis, quàm in his, vt ei fides habeatur. Deniq; totam Dei in dicendo autoritatem ruere neceſſe eſt, ſi vel in tenui aliqua re in dubium reuocetur.

Quocirca ex hoc principio rectè Theologi colligunt, eum qui in vno aliquo Fidei articulo, fidei contrarium pertinaciter ſentit, totam fidem, quæ Dei donum eſt, in pœnam ſuæ infidelitatis amittere, & humana tantùm ratione circa reliquos articulos verſari, in nulloq; hæretico eſſe Fidem Diuinam, etiam circa illos articulos, in quibus non errat: Ijs enim non alia ratione, quàm Turcæ, Iudæi, gentiles, aſſentitur. Indignus enim eſt Fidei dono, qui vel in vna re Deo fidem non habet. Ac vt is qui vno tantùm peccato letali Deum offendit, omni illico Diuina gratia ipſum ſanctificante, ſpoliatur, & mox eſſe ſanctus, ac filius Dei deſinit. Quia cùm in aliquo mandatum Dei tranſgreditur, & Dei amicitiam, & charitatem violat, indignus eius gratia cenſetur: ita qui in vno à ratione veræ fidei recedit, indignus eſt cui Deus Diuinum fidei donum communicet, aut communicatum conſeruet.

Nullus hæreticorum Fide gaudet Diuina.

Ex quibus manifeſtum eſt, turpiſſimè Arianos Racouienſes errare, cùm nihil ad ſalutem intereſſe putant, ſi in alijs articulis, qui fundamentales non ſint, erretur. Id enim Diabolicum inuentum planè, eò ſpectat, vt omnibus contra fidem erroribus via ampla pateat, & omni timore Diuini iudicij depoſito, homines ſe in quoſuis errores præcipitent, neq; cùm in ſuis erroribus perſiſtunt, ſe aliquod ſalutis periculum incurrere arbitrentur. Quod tamen & cum ſcripturis, & cum ratione pugnare, ſatis oſtendimus. Nam & in ſcriptura omnes, qui in quacunq; re ſe Diuinæ voluntati opponunt, hæretici, & blaſphemi habentur; & ratio ipſa docet Diuinæ veritati contraria ſentire, eſſe ſcelus per ſe æterno ſupplicio dignum.

Turpiſſimus error Racouienſis catus & pernicioſiſſimus.

Faceſſant igitur Arianæ nugæ, & omnes intelligant, ignorari quidem aliquas veritates, à Deo reuelatas, ſine ſalutis damno poſſe: ijs verò contraria pertinaciter ſentiri, ſine certo damnationis diſcrimine minimè poſſe. Dico pertinaciter, vt eos non inuoluam, qui ſine pertinacia & temeritate errant, quod neſciant, quid ea de re, vel ſcriptura ſtatuat, vel doceat Eccleſia Catholica; animo tamen ſunt parati, ſi alterutrum illis conſtiterit, ſua opinione cedere. Eiuſmodi enim neque hæretici cenſendi ſunt; quia non ſunt in errore pertinaces,

Pertinacia in errore Fidei hæreticũ facit.

Digitized by Google

pertinaces. (Sola ſiquidem pertinacia in rebus contra fidem, hæreticum facit.) Neq; etiam directè contra fidem errori illi aſſentiuntur, cùm, quid fides de hoc doceat, ignorent; ſuntq; parati, fidei ſubmittere intellectum. Nemo enim fidei veritatem, formaliter loquendo, oppugnare dici poteſt, qui eam eſſe veritatem fidei neſcit.

Tales porrò non ſunt Ariani, alijq; communiter hæretici. non enim innoxiè errant, ſed pertinaciter: cùm & ſcripturas manifeſtas peruertunt, & Eccleſiæ Catholicæ docenti non obediunt: cui iuxta Chriſti decretum, qui non obedierit, haberi debet pro Ethnico & publicano.

Neq; verò blandiri ſibi iure poſſunt, quòd errores ſuos eſſe ſcripturis contrarios non videant. Etenim nulli hæretici ſuos errores eſſe ſcripturis contrarios vident, aut iudicant; neq; tamen idcirco hæretici, & ab errore immunes non ſunt; vt vel ex eo appareat, quàm debile ſit, & periculoſum fidei fundamentum, proprio, & priuato iudicio de ſcripturis decernere, publico Eccleſiæ, & eorũ omniũ qui ab Apoſtolis ad nos vſq; decurrerũt, Chriſtianorũ iudicio poſthabito. *Ariani ſquo ſibi vanè blãdiantur?*

Quanquam & illud expendendum, quæ ſint illa eſſentialia, & fundamentalia fidei capita, quæ credere ad ſalutem ſit omnino neceſſarium. Et quidem vniuerſè ita rem definiunt ea, ſine quibus nec verus Dei & Chriſti cultus haberi poteſt, nec vera pietas, eſſe fidei eſſentialia capita. Quod ſi ſano modo intelligatur, verum eſt. Cùm enim duo ſint ad ſalutem neceſſaria, & Deum colere, & rectè, hoc eſt Chriſtianè viuere, fit vt ea fidei capita, quæ ad alterutrum ſunt neceſſaria, eſſentialia & fundamentalia fidei capita cenſeri debeant. ijs enim tanquam fundamentis ſalus noſtra innititur. Vtrũq; videtur complexus Paulus ad Hebræos 11. 6. cùm ait: ***Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia inquirentibus remunerator ſit.*** Quocirca tàm ea, quæ ad veram Chriſti cognitionẽ, (ſine qua rectus Dei & Chriſti cultus haberi nõ poteſt) pertinent; quàm quæ ad peccatorũ remiſſionem, quæ per Chriſti redemptionẽ, & per ſacramenta ab eo inſtituta in nobis efficitur: præterea quæ ad iuſtificationem, & ad æternam illam, quam expectamus, retributionem ſpectant, fundamentalia & eſſentialia fidei dici poſſunt. Sine his enim vita Chriſtiani inſtitui non poteſt. *Eſſẽtialia et fũdamentalia fidei capita, quæ.*

At quæ ſint illa, quæ in particulari & determinatè ſint eſſentialia fidei capita, definire non audent. ſolùm enim dicunt ea eſſe pauciſſima.

D

Digitized by Google

ciſſima. Et verò eò anguſtiarum ſe redigunt, vt neq; de Chriſti perſona fidem neceſſariam ad ſalutem exiſtimēt, neq; de Spiritus S. perſona, nec de baptiſmi neceſſitate, nec de præſentia Chriſti in Euchariſtia. Sine his enim, inquiunt, & Chriſtum coli, & ei à nobis obediri poſſe, dummodo diuinitas eius credatur, ſine qua nec Diuino cultu colitur, nec ſpes vitæ æternæ in eo collocari poteſt. Ita enim ſuorum Racouienſium ſententiam explicat Theophilus quidam, in definitione tractatus de Eccleſia, folio 17. quæ dum aſſerunt, Turcas & Mahometanos Chriſtianis exæquant. His enim demptis, nihil plus Chriſtianos credere de Chriſto & Deo ad ſalutem oporteret, quàm Turcæ & Mahometani credunt. Nam illi & Deum & Chriſtum aliquo modo confitentur. Quorſum verò Apoſtolorum Symbolum, in quo tot in particulari credenda proponuntur?

Circa naturam Chriſti Diuinā, ſine ſalutis præiudicio errari non poteſt.

Ad hæc ab ea, quæ eſt de Chriſti Diuina natura fide, dependet & vera Chriſti cognitio, & verus eius cultus. Si enim Chriſtus Diuina eſſentia præditus credatur, aliter in eum credi, & ſperari oportebit, quàm credant, & ſperent Ariani, nempè ſumma illa, qua in Deum credimus, fide; ſumma ſpe, quæ ſoli vero & ſummo Deo debetur, ſummum etiam illi cultum, quem modò auferunt Ariani, deferre oportebit. Plurimum enim à ſe iſta diſtare, nemo eſt qui non videat. Non igitur ſine ſalutis præiudicio circa Chriſti naturam erratur, cùm ſine vera de Chriſti natura fide, nec vera Chriſti cognitio, nec verus eius cultus haberi poſſit.

Alium Chriſtum quàm ſit credunt Ariani.

Deinde ſatis perſpicuum eſt, ſi Chriſtus ſit naturà Deus, fore alium Chriſtum, & ab eo, quem Ariani credunt, diuerſum: aliam enim eſſentiam habebit, nempe Diuinam, quam is Chriſtus, (quem Ariani fingunt) non habet. quomodo igitur in re tanta ſine ſalutis præiudicio errari poteſt?

Non igitur blandiantur ſibi, neq; ſeipſos decipiant miſeri: cùm ſatis eſſe ſibi ad ſalutem arbitrantur, ſi quocunq; modo in Chriſtum credant, ſiue natura Diuina præditum, ſiue Diuina tantùm poteſtate ornatum. Error enim eiuſmodi, & diuerſum Chriſtum inducit, & diuerſum eius cultum; neq; ſolùm obſcurat veram de Chriſto fidem, vt Smalcius cenſet, ſed tollit penitus, cùm alius ſit Chriſtus, qui naturà Deus creditur, alius qui creditur purus homo Diuinis donis ornatus. Ille enim præter humanam eſſentiam, Diuinam quoq; eſſentiam & perſonam habet; neq; minus ex humana, quàm ex Diuina eſſen-

Digitized by Google

uina eſſentia conſtituitur. Huius verò talis natura non eſt. Prætereà alius Chriſto cultus debetur, ſi Deus verus credatur; alius ſi ſolùm homo Diuinis donis præditus: prior enim cultus eſt ſummus, & æqualis cum cultu vnius & veri Dei; poſterior autem infinitè ab eo diſtat, eſtq; illo infinitè inferior.

Quamobrē rectiùs Catholici Doctores Theologi diſtinguunt, duplicem neceſſitatem; alteram præcepti, alteram medij. Et quidē ea, quæ neceſſitate medij in lege noua ad ſalutem neceſſariò credenda ſunt, pauciora eſſe ijs, quæ neceſſitate præcepti credi debent; eaq; ferme ad fidem Trinitatis, & Chriſti Redemptoris reuocantur: cum hoc enim Euangelio Chriſtus Apoſtolos miſit in mundum, vt fidem Patris, & Filij, & Spiritus S. toti mundo annunciarent, & remiſſionem peccatorum per Chriſti redemptionem omnibus offerrent, hoc addito, quòd qui non crediderit, condemnabitur. Neceſſitate verò præcepti, plura omnino credenda ſunt, qualia ſunt ea, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, & alia quæ ad Sacramentorum legitimam perceptionem, & Chriſtianam pietatem exercendam neceſſaria ſunt. de qua re non attinet hoc loco pluribus agere.

Neceſſitate medij, quæ credenda?

Neceſſitate præcepti, quæ?

Ariani plures Deos eſſe colendos abſurdè & ſine vllo ſcripturæ fundamento docent. CAP: III.

ÆGerrimè fert Smalcius, ſe ſuoſq; à nobis accuſari, de plurium Deorum cultu. Videt enim quàm id per ſe abſurdum ſit, & homine Chriſtiano indignum, ita vt ſine horrore vix audiri poſſit. Verùm noſtræ accuſationis iuſtiſſima eſt ratio. Is enim qui præter Deum Patrem, alium quoq; diuerſum à Patre Deum confitetur & colit, plures Deos colere meritò cenſeri debet. Tales cùm ſint Ariani, citra omnem calumniam, plures Deos colere cenſeri debent. Etenim ſi Chriſtum non diuerſum Deum, ſed eundem cum Patre, vnà nobiſcum faterentur, nulla ratione plures Deos, ſed vnum colere dicendi eſſent. At cùm alium & alium Deum colant, nulla fit ijs iniuria, cùm de plurium Deorum cultu arguuntur, niſi fortè alius, & alius Deus, non ſint duo Dij; aut duo Dij, plures Dij dici non poſſint.

Iure Ariani accuſantur plures Deos colere.

At enim, inquit, nos eo loquendi modo non vtimur, cùm nec ſcriptura duos Deos nominet. Friuola ſanè excuſatio. Parum enim refert, ſi vos pudeat eo modo loqui, dum non pudet ea ſentire & loqui, quæ talem appellationem merentur. Alium enim & alium

Excuſatio friuola.

Digitized by Google

Deum colere, eſt plures Deos colere. Magis ſanè pudere deberet: re ipſa duos Deos colere, quàm dici, plures Deos colere. Conueniunt enim rebus nomina quæq; ſuis. Quòd verò nunquam ſcriptura dicat, plures Deos colendos eſſe, quid mirum? non enim cum Arianis ſcriptura ſentit, ſed contra ipſos. Neq; enim Chriſtum pro alio Deo coli iubet, ſed pro vno eodemq; cum Patre Deo, vt à nobis in Monſtris Arianiſmi demonſtratum eſt. Si ſcriptura alicubi, Chriſtum eſſe alium Deum diceret, vti ſine pudore Ariani aſſerunt, conſequens etiam eſſet plures Deos colendos dici debere: at cùm id non dicat, ex conſequenti nec plures Deos admittit.

Vana querimonia Smalcij.

Et fruſtra queritur Smalcius, eo conſilio, plures Deos commemorari à nobis, vt ipſos exoſos omnibus reddamus. non enim noſtra nuncupatio, ſed res ipſa per ſe abominanda, reddit ipſos exoſos, ac execrabiles. Et ſanè præſtat Arianos exoſos, & deteſtandos omnibus reddi ob ſuas execrandas hæreſes, quàm vt ipſi Chriſtum alijs exoſum reddant.

Cur deteſtãdi Ariani, neq; ideo beati.

Neq; verò eapropter beatos ſe exiſtimare poſſunt, quòd exoſi ſint omnibus hominibus. Nam ea odia ſuſtinent, neque propter Chriſti nomen, neq; propter iuſtitiam, ſed propter horrendas, & intollerandas in Chriſtum blaſphemias; cumq; pro nobis tanquam pro inimicis Deum Smalcius deprecatur, ne id nobis pro peccato imputet, æquiùs faceret, ſi prius pro ſuis blaſphemijs, quæ horũ malorum ſunt cauſa, Deum deprecaretur, & aliquando tandem cum ſuis reſipiſceret. Nam & ijs, qui ob ſua ſcelera extremo ſupplicio adducuntur, cùm pro iudicibus, quos hoſtes ſuos arbitrantur, preces fundunt, parum vtilis eſt eiuſmodi oratio.

Ex ſcriptura, Chriſtum eſſe aliũ Deum, probari non poteſt.

Proferunt illi quidem varia ſcripturæ loca, quibus non ſolùm Pater, ſed & Chriſtus colendus præcipitur. at nullum proferunt, aut proferre poſſunt, in quo Chriſtus alius dicatur Deus, vel tanquam diuerſus à Patre Deus, colendus præcipiatur. Etſi enim, ſi perſonam ſpectes, Chriſtus ſit alius, quàm Pater, naturamq; humanam diuerſam à Diuina habeat, ſecundùm quam etiam minor Patre dicitur; nullibi tamen vel alius Deus nominatur, vel Diuinitate minor, imo Diuinitate æqualis Deo aſſeritur, tàm à Paulo, Philip. 2. quàm à Ioanne, cap: 6. vt vel ex hoc ipſo appareat Arianos inſaniſſima temeritate, rem tam grauem de alio atq; alio colendo Deo aſſerere, nullo ſcripturarum Diuinarum teſtimonio.

Hicq; eſt ille nodus, quem explicare nunquam poteſt Smalcius.

Cùm e-

Digitized by Google

Cùm enim probandum illi incumberet, Chriſtum eſſe alium Deum, Diuinitate a Patre diſtinctum, idq; nullo ſcripturæ teſtimonio confirmare poſſet, ſumpſit ſibi probandum, quod nemo negat, & ad rem ipſius concludendam nihil habet momenti, nempè, Chriſtum eſſe alium quendam, quàm ſit Pater. id quod ex quinq; ſcripturæ locis liquere ait. Quis de hoc ambigit Smalci? Hocné tibi demoſtrandū erat, quod nemo diffitetur? nemo eſt qui neſciat, Chriſtum eſſe aliam quandam perſonam à Patre diſtinctam. At non eſt hoc in controuerſia, an Chriſtus ſit alius quacunq; ratione, ſed an ſit alius Deus, ſeu alius in Deitate. Illud enim tibi concedunt omnes, hoc negant omnes. Comproba hoc, & viciſti. Nos enim Chriſtum eſſe alium in perſona vltro confitemur: at eſſe alium Deum, ſeu in Deitate alium, negamus, totiuſq; inter nos controuerſiæ ſtatus eſt, non hic: An Chriſtus ſit alia quædam perſona à Patre diſtincta, ſed an ſit alius Deus, non ſolùm perſona, ſed & Diuinitate diſtinctus.

Smalcius in epiſt. id probat, quod nemo negat.

Chriſtus eſt alia perſona à Patre, nō tamen alius Deus.

SIT igitur hoc primum ad abſurdam aduerſariorum ſententiam demonſtrandam, argumentum.

Scriptura, quam aduerſarij vnicam fidei regulam ſtatuunt, nuſquam aſſerit Chriſtum eſſe alium Deum, ſeu diſtinctum à Patre Deum. ergo ſine vllo ſcripturæ fundamento, ac ex conſequenti (iuxta ipſorummet decreta) impiè & abſurdè ab illis aſſeritur. Etenim quæcunq; ab illis ſcripturæ loca afferuntur, non aſſerunt Chriſtum eſſe alium Deum, ſed abſolutè alium. Quod cùm alijs etiam modis intelligi poſſit, non poteſt ex eo deduci determinatè, Chriſtum eſſe alium Deitate, ſeu alium Deum, cùm non deſint alij modi, quibus poſſit & debeat dici alius, etiamſi Deitate non ſit alius.

Argumentū potens contra Arianos.

Neq; verò ſe tueri poſſunt Aduerſarij, ſi dicant, expreſsè quidē id non aſſeri in ſcripturis; conſecutione tamen euidenti & neceſſaria id ex eis deduci. Nam ex hoc primum conuincimus aduerſarios, nō ſcriptura, ſed humani iudicij & argumentationis fundamento, in rebus fidei, præſertim ijs, quæ prima ſunt fidei capitā, ſtatuendis, niti. Illa enim conſecutio non à Spiritu Sancto, ſed ab humano diſcurſu efficitur: ac proinde errori, (vti omnes humani diſcurſus) ſubiacet. neq; certa & infallibilis regula fidei eſſe poteſt.

Occurritur obiectioni.

Quàm debile fundamētum fidei Arianorum.

Quàm verò ſit ineuidens & falſa conſecutio, quam faciunt aduerſarij, inde liquet. ſic enim argumentantur. Scriptura, præter Deum Patrem, oſtendit quoq; alium Diuina ratione colendum, nempè

Cōſecutio eorum falſa.

Chriſtum. ergo præter Deum Patrem, oſtendit eſſe alium Deum. Hanc conſecutionem, quam aduerſarij per ſe claram, & apertam glorientur, totus mundus ſemper negauit: neq; ſolùm commune fidelium vulgus, ſed etiam doctiſſimi omnium ſeculorum Theologi, & ſapientiſſimi Patres. quod magnum ſanè indicium eſt ineuidentiæ. quod enim omnes negant, quis dixerit euidenter eſſe verùm?

à toto mundo negatur.

Ineptiſſima eſſe demonſtratur.

Et ſanè nullo modo hæc conſecutio rectè inſtitui poteſt. Etenim cùm Chriſtus alijs quoq; modis dici poſſit alius à Patre, rectè inferri non poteſt. Si Chriſtus ſit alius à Patre, eſſe quoq; Deitate alium, ſeu alium Deum. Hoc enim eſſet, vel ex genere ſpeciem inferre, qui modus inferendi ab omnibus viris doctis damnatus, & exploſus eſt: vel eſſet ex vno genere ad aliud tranſcendere. qui etiam modus concludendi, non minus ineptus eſt, quàm prior. etenim ſi quis in vno genere alius ſit, non eſt neceſſe, eundem in alio quoq; genere alium eſſe. Quare cùm etiam aduerſarij fateantur, alijs quoq; modis Chriſtum eſſe alium à Patre, (nam & aliam eſſe perſonam Patris & Filij nobiſcum confitentur, & naturam humanam in Filio agnoſcunt, quæ in Patre non ſit,) non poſſunt, niſi ineptiſſimè inferre. Si Chriſtus ſit alia perſona, & alia (quà homo eſt) natura, eſſe quoque alium Deum ſeu Deitate alium. hoc enim eſſet de genere in genus tranſilire.

Chriſtus varijs modis alius eſſe à Patre, dici poteſt.

Quòd ſi in eo vim conſecutionis conſtituunt, quòd perſona & natura nulla ratione diſtinguantur, idcircoq; ſi perſona ſit alius, eſſe quoq; alium natura oportere; ea propoſitio, à qua totum ſuum robur hæc conſecutio habet, neq; eſt à Spiritu S. in ſcripturis reuelata, neque à viris doctis & Theologis recepta, ſed eſt merum Arianorum commentum, ad defendendos ipſorum errores ab ijſdem excogitatũ. Ex quo concludere poſſumus & cogimur, non in ſcripturis, ſed in proprio capitis figmento, totam hanc aſſertionem de Chriſto diſtincto Deo, Arianos fundare: ac ex conſequenti eſſe inter cætera eorum figmenta & ſomnia referendam, non fidei Chriſtianæ annumerandam. Id verò ita ſe habere, ex his, quæ hic à Smalcio afferuntur, clariùs patebit. Affert enim quinq; ſcripturæ loca, quibus Chriſtum, alium eſſe Deum impiè probare contendit.

Chriſtũ eſſe alium Deũ à Patre, eſt merũ figmẽtum Arianorum.

Loca ſcripturæ, quibus probare co-

Primus eſt 1. Timoth: 2. 5. *Vnus Deus eſt, vnus mediator Dei & hominum Chriſtus* IESVS. Alter 1. Cor: 8. 6. *Nobis autem vnus eſt Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & vnus Dominus,* IESVS *Chriſtus, per quem omnia,*

quem omnia, & nos per ipſum. Tertius. Ioan: 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te* (Patrem) *illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum* Quartus in epiſtola Ioan: ſecunda. *Pax & gratia à Deo Patre, & Domino* IESV *Chriſto Filio Patris.* Quintus Apoc: 5. 13. *Laus, benedictio, honor, & gloria, & robur ſedenti in throno & agno.* Ex his Smalcius ait colligi, cùm duo ſint Chriſtus & Pater, (quod, ait, particula copulatiua, Et, indicari,) ſintq; duo eſſentiâ, (quod, ait, verba ipſa indicare; Deus enim & homo, Deus & agnus, nunquam eſſentiâ idē eſſe poſſunt,) conſequens eſſe, non vnum tantum Deum colendum eſſe, cùm præter hūc ipſum Deū vnū, ſit etiā homo Chriſtus colēdus.

nantur hunc errorem.

Verum in his omnibus locis ſolùm oſtenditur, Chriſtum eſſe diſtinctum à Patre, tùm in perſona, tùm in natura humana. At nullo modo vel leuiter inſinuatur, eſſe diſtinctum Deum, ſeu diſtinctum in Deitate, quod Smalcio probandum erat. quòd ſi conſecutione putat id probari poſſe, ea conſecutio inaniſſima eſt, cùm tranſeat de genere in genus, neq; ex vna diuerſitate inferatur neceſſario altera. quare neq; ex eo, quod Chriſtus ſit à Deo Patre & perſona & humana natura diſtinctus, inferre licet, eſſe quoq; Deitate diſtinctū; cùm vti dictum eſt, ex vna diſtinctione, altera inferri nequeat. In his enim locis nec vlla fit mentio diſtinctionis in Deitate Chriſti, & Dei Patris; ſed tantùm diſtinctionis in perſona & humana Chriſti natura; nec ex hac diſtinctione à Deo in perſona, & natura humana, conſequitur diſtinctio in Deitate, cùm ea ſit alterius generis.

Explicatur vniuerſim.

Chriſtus à Patre & natura humana & perſona diſtinctus, non tamen Deitate.

Quocirca cùm ait, inferri, duos eſſe Diuina ratione colendos, id non diffiteor. hoc enim extra controuerſiam eſt. Id verò ſolum in controuerſiam vocatur, an hi duo, vt vnus Deus, vel vt duo Dij, ſint Diuina ratione colendi.

Chriſtus & Pater Diuino cultu colendi, ſed vt vnus Deus.

Neq; ſatis eſt demonſtrare duos eſſe, qui ſint Diuina ratione colendi, quod certum eſt, ſed præterea oſtendendum eſt duos iſtos, eſſe duos in Deitate, & non eſſe vnum Deum. quod in his locis nulla ratione indicatur.

Neq; verò Smalcium iuuat, Deum & hominem non eſſe eſſentiâ idem. Id enim ſolùm ea ratione verum eſt; ſi Deus, qua Deus eſt; & homo, quà homo eſt; conſiderentur. neq; enim Deus propter naturam humanam, Deus eſt; neq; homo, propter naturam Diuinam, homo: alia quippe eſt hominis & Dei natura. At ſi homo, quatenus vnitam ſibi Dei naturam habet, conſideretur; vti nos ſecundùm

Smalcij obiectio vana.

ſcripturas,

Digitized by Google

ſcripturas, de homine Chriſto credimus, negari non poteſt, talem hominem ratione Diuinæ naturæ, eſſe eiuſdem eſſentiæ cum Deo.

Chriſtus ut homo eſt diuerſa eſſentia à Deo.

Non igitur ex eo, quòd ſcriptura Chriſtum hominem nominat, inferre licet eſſe omni modo diuerſæ eſſentiæ à Deo, ſed ſolùm vno reſpectu, nempè quà homo eſt, eſſe diuerſæ naturæ à Deo: ſiquidem alia eſt Dei, alia hominis natura: alio verò reſpectu, nempè quà Deus eſt, ſeu ratione Diuinitatis, eſſe diuerſæ à Deo eſſentiæ, non licet inferre. neq; enim, qui vno reſpectu eſt diuerſæ ab altero eſſentiæ, ſequitur alio quoq; reſpectu, & ſecundùm aliam conſiderationem, debere eſſe diuerſæ eſſentiæ. Inaniſſima ergo eſt Aduerſariorũ argumentatio: & ſcripturæ allatæ, nihil contra nos faciunt.

Loca ſcripturæ ſingula examinãtur.

Verùm ſingula ſcripturæ loca diligentiùs expendamus. Et quidem, quod ad primum locum attinet, Paulus ait, vnum eſſe Deum, vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum IESVM.

Primus.

Diſtinguit quidem Chriſtum ab illo vno Deo, ſed quà homo eſt, non quà Deus eſt. Idcirco enim hominem eum nominat, vt oppoſitionis & diſtinctionis ratio in humana natura eſſe intelligatur. Nulla verò fit hoc loco hominis illius, quà Deus eſt, hoc eſt in Diuinitate cum Deo comparatio. Quocirca ex hoc loco, diſtinctio Chriſti à Deo in Deitate, nullo modo colligi poteſt.

Secundus.

In altero verò loco, cùm Paulus ait, nobis eſſe vnum Deum, Patrem ex quo omnia, & vnum Dominum IESVM Chriſtum per quem omnia; ex illa particula copulatiua. Et colligi quidem poſſe, Chriſtum & Patrem eſſe perſonas diſtinctas; at diſtinctos Deos minimè. Id enim directè pugnat cum ſcopo D. Pauli. illud enim quod in eo loco oſtendere propriè vult, eſt, nobis non eſſe, niſi vnum Deũ. Si ergo Chriſtum quocunq; tandem modo diceret, eſſe alterum Deũ, ſeipſum euerteret, ſibiq; contradiceret. Scopus enim Apoſtoli eſt, oſtendere idola nihil eſſe, hoc eſt non eſſe veros Deos, vti putantur eſſe. Hoc verò ea ratione oſtendit. *Nullus*, inquit, *eſt Deus alter, niſi vnus* Quare cùm idola non ſint, ille vnus Deus, ſequitur non eſſe Deos veros: ac proinde nihil eſſe. Hæc verò ratio non concluderet, ſi præter vnum Deum Patrem eſſet quoq; alius Deus Chriſtus. Nam quamuis idola non eſſent, ille vnus Deus; non tamen idcirco non eſſent veri Dij. quia præter vnum Deum, daretur etiam alter Deus. & ſicut Chriſtus ſecundùm Arianos, etiamſi non ſit ille vnus Deus, non eſt tamen nihil; quia eſt alius Deus verus: ita nec idola ſequitur

Nullus eſt alter Deus, niſi vnus. quomodo id probat Paulus.

eſſe nihil

Digitized by Google

eſſe nihil ſeu non Deos, etiamſi non ſint ille vnus Deus. Deinde manifeſtum eſt Paulum loqui de Deo, vt idolis opponitur, ſeu de Deo vere colendo. Hunc igitur Deum colendum, ait, nullum eſſe alterum, niſi vnum. ita enim Græcè legitur, ὔδεις θεὸς ἕτερος εἰμὴ εἷς. Præter vnum ergo Deum, ait, non eſſe alterum. At ſi Chriſtus eſſet alter Deus colendus, ſeu Deus idolis oppoſitus, non eſſet verum, non eſſe alterum Deum colendum, & idolis oppoſitum, niſi vnum, ſed duo eſſent Dij colendi, duo Dij idolis oppoſiti. Similiter cùm ait, multos eſſe in mundo, hominum opinione & errore, Deos & Dominos; nobis tamen vnum eſſe Deum & vnum Dominum, non potuiſſet abſolutè Paulus, multis in mundo Dijs & Dominis, vnũ tantùm Deum Patrem, & vnum Dominum Chriſtum opponere. Eſſet enim alter quoq; Deus Chriſtus, & alter Dominus verus Pater. Non eſt igitur alius modus D. Pauli verba ſaluandi, niſi dicamus, quòd etſi duos nominauerit, quibus Dei, ac Domini nomen competit, in ijs tamen duobus vnam Dei vim, poteſtatem, naturam intellexiſſe, eoq; ſenſu vtrumq; vnum Deum, & vnum Dominum aſſeruiſſe, quòd vna ſit in vtroq; Dei natura, vis & poteſtas, & licet plures perſonæ ſint, eſt tamen vna eademq; natura.

At inquit Smalcius, Paulum, illum vnum Deum vocando Patrem ex quo omnia, negare eo ipſo alium Deum, præter Patrem. at ſimili ratione Paulus vnum Dominum vocauit Ieſum Chriſtum per quem omnia, num igitur propterea negauit, Patrem eſſe Dominum? ſicut igitur vnum Dominum dicendo, eſſe Chriſtum, non excludit Patrem à ratione Domini: ita dicendo vnum Deum eſſe Patrem, nõ excluſit Chriſtum à ratione Dei. *Inſtantia ſoluitur Smalcij.*

Futile verò eſt, quod ait Smalcius, Paulum non abſolutè dicere, vnum eſſe Deum, ſed certo reſpectu, nempè talem, qualis eſt Pater, ex quo omnia. Talis autem Deus non eſt Chriſtus. Similiter nõ abſolutè dicere vnum Dominum, ſed certo reſpectu, nempè talem, qualis eſt Chriſtus, per quem omnia. Quis enim non videt, hac ratione omnem ſententiam Pauli euerti: Vult enim Paulus probare, idola nihil eſſe, ſeu non eſſe veros Deos, quia Deus verus non eſt, niſi vnus. Ad hoc autem non ſatis eſt oſtendere, vnum eſſe Deum talem, qualis eſt Pater. Nam ſi alij quoq; ſint veri Dij, præter Patrem, etſi non tales qualis Pater, non erit abſolutè verum, vnum tantùm Deum verum eſſe, non multos. Ruitq; ratio Pauli, qua probat idola, quia *Smalcij futile reſponſum.* *Sententiam & rationem Pauli euertit.*

la, quia non ſunt ille vnus Deus, qui eſt Pater, non eſſe verè Deos, & nihil eſſe. nam etiamſi non eſſent ille vnus Deus qui eſt Pater: tamẽ ſi præter Patrem, alij quoq; Dij veri eſſent, non ſequeretur idola, non eſſe Deos veros, ex eo quòd nõ ſint ille Deus, qui Pater. Deinde etiam inter idola, vnum idolum non erat talis Deus, qualis Deus erat, aliud idolum; Iupiter (verbi gratia) non erat talis Deus qualis Saturnus; cùm ſecundùm diuerſas poteſtates, quas illi Dij in res huius mũdi habere fingebantur, diuerſi quoq; Dij ſtatuerentur. Neq; tamen idcirco dici poteſt, idolum non eſſe niſi vnum, ex eo quòd tale, quale eſt Iupiter, aut tale quale eſt Saturnus, non eſt niſi vnum. Sicut igitur idola dicuntur Dij multi abſolutè, non vnus, etiamſi vnum idolum non ſit talis Deus, qualis eſt aliud idolum: ita & Pater ac Chriſtus, eſſent abſolutè plures Dij, etiamſi Chriſtus non eſſet talis Deus, qualis & Pater. Quare cùm Deus à Paulo dicitur vnus, & nõ alius præter vnum, proculdubio intelligendus eſt dicere abſolutè vnum, & non certo tantùm reſpectu. Quia talis reſpectus non facit ad Pauli inſtitutum. Non enim Pauli inſtitutum eſt probare, vnum eſſe Deum certo reſpectu, ſed abſolutè, & omni reſpectu eſſe vnum, & nullo reſpectu poſſe dici plures Deos veros. ex vnitate enim Dei concludit idola eſſe non Deos, & nihil. Quocirca mens Pauli eſt docere, niſi quis ſit Deus talis, qualis eſt Deus ille vnus, nempe Pater, non fore verum Deum; ex quo ſequitur neq; Chriſtum fore Deum verum, niſi ſit talis Deus, qualis eſt Deus ille vnus, qui eſt Pater.

Mens Pauli quæ?

Vrgetur locus Pauli cõtra Smalcium.

Ad hæc ſi Chriſtus ſit alius Deus verus, æquè de illo dicere potuiſſet Paulus, Nobis eſt vnus Deus; nempe Chriſtus, ſicut dixit de Patre, nobis eſt vnus Deus, nempè Pater. Sicut enim vnus eſt Deus, talis, qualis Pater, ex quo omnia: ita etiam vnus eſt Deus talis, qualis eſt Chriſtus, per quem omnia. Neq; enim ſecundùm Arianos Pater eſt talis Deus, qualis Chriſtus: neq; Chriſtus talis Deus, qualis Pater. Cùm ergo hoc non dixit, argumentum eſt, non ſub illo certo reſpectu pronunciaſſe Deum eſſe vnum, ſed abſolutè. alioqui hoc modo multos Deos admiſiſſet, neq; ſuſtuliſſet multitudinem Deorũ, quam oppugnabat. Et ſicut ſecundùm aduerſarios dixit Paulus, nobis eſſe vnum talem Dominum, qualis eſt Chriſtus: ita potuit etiam dicere, nobis eſſe vnum talem Dominum, qualis eſt Pater. imò maiori ratione id dicere potuiſſet de Patre: ſiquidem Pater ſecundùm aduerſarios, maiori & excellentiori ratione eſt Dominus, quàm Chriſtus.

Cur

Digitized by Google

Cur igitur, inquies, Paulus addidit Patri, ex quo omnia, & nos in ipſum: Chriſto verò, per quē omnia, & nos per ipſum. Reſpondeo nō eo cōſilio addidiſſe, vt negaret vel Chriſtū eſſe eum, ex quo ſint omnia, vel Patrē eſſe eū, per quē ſunt omnia. Si enim per Chriſtū ſunt omnia, etiā ex Chriſto ſunt omnia, etſi ex Patre ſunt omnia, per Patrem etiam ſunt omnia. Rectè enim idem Paulus Rom: 11. 36. de eodem vero Deo dixit: *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* *Explicatur.*

Nam quod nugatur Smalcius, aliter per Deum eſſe omnia, aliter per Chriſtum, quòd per Chriſtum ſint omnia, tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem, (quod ait patere ex alijs ſcripturis) hoc autem modo per Deum omnia eſſe non dicuntur. Reſpondendum eſt, id verum eſſe, ſi Chriſtus & homo cum Patre comparetur; nam vt homo eſt, habet rationem cauſæ mediæ. At ſi quà Deus eſt, comparetur, ſic eadem ratione, ex ipſo & per ipſum, ſicut ex Patre, & per Patrem eſſe omnia dicuntur, vt infra ex ſcripturis patebit. *Explicatio Smalcij reiicitur.* *Chriſtꝰ quà homo, habet rationē cauſa media.*

Porrò hoc loco, cùm Paulus ait, per Chriſtum eſſe omnia, conſiderari Chriſtum vt Deum, non vt hominem, ex eo patet, quòd conſideratur vt vnus Dominus. non eſt enim vnus Dominus, niſi ſit idem cum Patre Dominus. Nam cùm conſtet Patrem quoq; eſſe Dominum, niſi vterq; idem ſit Dominus, non erit verum vnum eſſe Dominum. Attribuitur itaq; Patri peculiari ratione, & ex quadam accommodatione, *Ex quo omnia*; quia id illi peculiari ratione conuenit, vt ex ipſo ſint omnia, ita vt & ipſe Filius ſit ex Patre, non Pater ex Filio. quæ diuerſitas eſt ſolùm originis, non naturæ. Filio verò peculiari ratione conuenit, *per quem omnia.* Siquidem ex vi ſuæ originis eſt ſapientia, virtus, Verbum Patris, per quod facta ſunt omnia. Sapientia verò virtus, & Verbum in Deo, cùm ſit ipſa eius eſſentia, non habet rationem cauſæ mediæ & inſtrumentalis, ſed eſt ipſa Dei natura, quæ eſt agens principale. *Pater, ex quo omnia. Filius, per quem ōnia.*

At verò cùm ſic ratiocinatur Smalcius, qui dicit vnum eſſe Deum, & addit eum eſſe Patrem, & vnum eſſe Dominum, & addit eū eſſe Chriſtum, is non poteſt dicere eundem eſſe, & Deum, & Dominum. Reſpondendum eſt, eum qui ita dicit diſtinctas quidem perſonas nominare, Patrem & Chriſtum, quarum altera ſit Deus, altera Dominus; tamen quia in Deo includit Dominum, & in Domino Deum, ideo dicendo Patrem eſſe Deum, dicit quoq; implicitè eſſe Dominum: & dicendo Chriſtum eſſe Dominum, dicit implicitè eſſe *Ratiocinatio Smalcij diſſoluitur.*

Digitized by Google

Deum. & qui dicit vnum tantùm eſſe Deum, & vnum Dominum, indicatq́; duos, qui ſint Deus & Dominus, dicit conſequenter illos duos eſſe vnum Deum, & vnum Dominum.

Hoc igitur modo cùm loquatur S. Paulus, conſequens eſt, & vt Patrem dicat, vnum Deum cum Chriſto, & Chriſtum vnum Dominum cum Patre.

Particula vnus quid excludat.

Deinde particula illa excluſiua, *vnus*, excludit ſolùm diuerſum Deum, non verò aliam perſonam, quæ non ſit diuerſus Deus ſed vnus. ac ex conſequenti non excludit Chriſtum, qui non eſt diuerſus Deus, ſed ille ipſe vnus Deus. Quamuis autem Apoſtolus, illũ vnum Deum indicet eſſe Patrem, quia reuera Pater eſt ille vnus Deus: nihil tamen addit, quo ſolus Pater, eſſe ille vnus Deus intelligatur, ac proinde non excludit Chriſtum, qui non eſt alius Deus, ſed ſicut eſt vnus Dominus, ita & vnus Deus. Vnus igitur Deus, erit quidem Pater, Paulo teſte; ſed tamẽ eodẽ non excludente, nihil prohibet, quo minus ille vnus Deus, ſit etiã Chriſtus, vt ex mẽte Pauli cõcluſimus.

Cur Patri tribuatur quod ſit Deus? Filio, quòd ſit Dominus?

Indicat autem illum vnum Deum, in Patre quia talis Deus, qualis eſt Pater, eſt tantùm vnus; & Patri per quandam accommodationem peculiari ex cauſa attribuitur, quòd ſit Deus: quia non eſt Deus de Deo, vti Filius, ſed ex ſe Deus. Similiter & Filio peculiari ex cauſa tribuitur, quòd ſit Dominus; quòd per ipſum Deus, ſuum dominium & poteſtatem in nos exercet. Sicut etiam Ioannis 5. dicitur, Patrem neminem iudicare; quia non niſi per Filium iudicat, cui dedit omne iudicium.

Tertius locus D. Ioannis.

Chriſtũ diſtingui à Patre in perſona probat.

Quod ad tertium locum attinet, Ioannis 17. 3. in quo Chriſtus ait, hanc eſſe vitam æternam, vt cognoſcant te (Patrem) ſolum verum Deum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum; Dico inprimis, ex hoc loco duos Deos colligi nullo modo poſſe. Nam etſi Chriſtus diſtinguatur hoc loco à Patre, non tamen in Diuinitate, ſed in perſona. Vnde enim obſecro diſtinctio talis colligitur? An quia Chriſtus totus, quantus eſt, diſtinguitur à Patre, vt ait Socinus, ex quo infert diſtingui etiam Diuinitate. At negandum eſt, Chriſtum totum, quantus eſt, hic diſtingui à Patre, ſed ſolùm tanquam aliã quandam perſonam à Patre diſtinctam, & à Patre miſſam. Nihil enim aliud hic de Chriſto dicitur, niſi quòd ſit IESVS Chriſtus à Patre miſſus. in primo perſona diſtincta innuitur, in ſecundo humana eius natura, ratione cuius miſſus eſt in mundum. Poteſt autem Chriſtus eſſe perſona di-

Digitized by Google

ſona diſtinctus à Patre, etſi Diuinitate non ſit diſtinctus.

An quia Pater dicitur ſolus Deus; At ſi particula ſolus diſtinguit Chriſtum à Patre in Diuinitate, ſequetur Chriſtum nullo modo eſſe Deum verum. quia ſolus Pater dicitur eſſe verus Deus. Vnde non tàm diſtingueretur, quàm excluderetur prorſus à Diuinitate. Deinde particula (Solus) ſi textum Græcum ſpectamus, non coniungitur cum Patre, ſed cum Deo. σε τ̃ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν quocirca non eſt ſenſus, ſolum Patrem eſſe verum Deum, ita vt alij præter Patrem non ſint verus Deus, ſed Patrem eſſe illum ſolum verum Deum, hoc eſt illum Deum, qui ſolus eſt verus Deus. quo non excluditur alia perſona, quæ ſit ille ipſe verus Deus, qui Pater. Quòd ſi demus particulam (Solus) ad Patrem referri, ea excludet ſolùm alios Deos, vt ſenſus ſit, Patrem eſſe verum Deum, & nullum alium Deum præter ipſum eſſe verum Deum. non excludit autem Chriſtum, qui non eſt alius Deus, ſed idem cum Patre. Cùm enim quis dicitur, Solus, non excluduntur ea, quæ ſunt idem cum ipſo, ſed ſolùm, quæ ſunt diuerſa ab ipſo. Sic cùm dicitur ſolus Deus creâſſe mundum, nõ excluditur ſapientia & virtus Dei à creatione. iſta enim ad Deum pertinent, & ſunt idem cum ipſo. Similiter ergo nec Chriſtus excluditur; quia eſt idem cum ſolo Deo, & pertinet ad ipſum, vt virtus & ſapientia eius, & vt Filius eius. Addo ex hoc loco colligi potiùs oppoſitum, nempè Chriſtum eſſe vnum Deum cum Patre; Si enim ſolus is dicitur verus Deus, qui eſt Pater, ſequitur Chriſtum, niſi ſit idem Deus cum Patre, non eſſe verum Deum. quòd ſi non ſit verus Deus, erit Deus impropriè, propter ſimilitudinem cum Deo vero, ex quo tota Chriſti dignitas concidit.

Particula, Solus, explicatur.

Quartus locus 2. Ioan: 3. nullo modo probat Deum Patrem, & Dominum IESVM Chriſtum Filium Patris, eſſe diuerſos natura Deos, ſed ſolùm diuerſas eſſe perſonas: cùm hic quoad Deitatem nulla inſtituatur comparatio: ex diuerſitate autem perſonarum neceſſariò ſequi naturarum diuerſitatem, nec ſcriptura adducta docet, nec ratio perſuadet, ſed mera ſunt inuenta & ineptiæ Arianorum.

Quartus locus ſcripturæ.

Quintus deniq; locus, in quo ſedenti in throno & Agno, idem Diuinus honor defertur, potiùs vtrumq; eundem eſſe Deum conuincit, ob eundem Diuinum honorem vtriq; delatum, quàm eſſe diuerſos Deos. Etſi enim Agnus, quà Agnus ſit natura diuerſus à ſedente in throno; tamen quà illi vnus & idem honor cum ſedente in throno defer-

Quintus ex Apocalypſi.

Chriſto idẽ prorſus Diuinus honor

Digitized by Google

datur, qu. Patri.

no defertur, eadem erit in vtroq; honoris ratio. Quocirca cùm ſedenti in throno propter Diuinitatis eſſentiam honor tribuatur, ille verò idem honor Agno quoque tribuatur, proculdubio Diuinitatis naturam in Agno manifeſtè indicat.

Smalcius id impudenter negat.

Non rectè verò negat Smalcius fol: 47. vtriq; prorſus eundem honorem tribui, ſed ſimilem & eiuſdem generis. Etenim per ſe manifeſtùm eſt, non aliam laudem, benedictionem, honorē, gloriam, virtutem tribui ſedenti in throno, aliam Agno, ſed vnam & eandem ſpecie & numero benedictionem, & honorem vtrique. vtriq; idem canticum occini. Ex quo ſequitur non eſſe duos honores eiuſdem generis, quorum vnus tribuatur ſedenti in throno, alter agno, ſed eūdem prorſus numero honorem vtriq; tribui. Cùm igitur ille honor, qui ſedenti in throno tribuitur, ſit honor Diuinus & ſummus, ob Diuinam naturam ipſi debitus, etiam honor Agno tributus erit Diuinus & ſummus, ac ex conſequenti propter naturam Diuinam Agno debitus. Et quamuis diſtinguatur ſedens in throno ab Agno, quà agnus eſt, id eſt, quà homo eſt: non tamen diſtinguitur ab Agno quà Deus eſt; cùm vtriuſque, ſicut eſt idē honor Diuinus, ita & eadē Diuinitas.

Smalcius imperitè obijcit petitionem principij.

Neq; verò ea diſtinctione hominis & Dei in Agno, petimus principium, (vt imperitè Smalcius obijcere ſolet) ſed in ſoluendis aduerſariorum argumentis, oſtendimus nihil eſſe, quod ad eam expoſitionem ſcripturarum, quam illi vrgent, cogat: cùm alia quoque via, ſecundùm doctrinam Catholicam, & multò melius, ſcripturæ explicari poſſint.

Ariani in re omnium grauiſſima diſcurſu solū nituntur.

Porrò ex ijs, quæ in hoc capite docuimus, quiſq; aduertere poteſt, Arianos, dum Chriſtum eſſe alium Deum à Patre diſtinctum, affirmant, non ſcripturis id probare, ſed rationibus & conſequentijs ineptiſſimis. quæ rationes cùm non ſint in ſcriptura, nec à Spiritu ſancto, euidens eſt argumentum, eos non ſcripturæ fundamento, in re omnium grauiſſima & maxima niti, ſed proprij capitis diſcurſu. Vnde enim conſtabit illos rectè ex ſcripturis deducere, cùm totus mundus contrarium ex ijſdem ſcripturis ſemper deduxerit, & deductionem ipſorum vt ſtultam, & ſcripturæ repugnantem condemnauerit: maximè quòd ea deductio cum doctrina & traditione Apoſtolica non conſentiat. Non eſt igitur credendum Arianis, ſcripturas iactantibus. Nulli enim hæreticorum ſcripturis vim maiorem inferunt, ac ipſi: cùm ex ipſis, ea quæ planè ſcripturis contraria ſunt, pertinaciſſimè deducunt.

Vim ſcripturis inferunt.

Digitized by Google

Arianos aut ſcripturas de vno vero Deo abnegare debere, aut Chriſtum vnum cum Patre Deum confiteri. Cap: IV.

CVm Ariani probare ex ſcripturis non poſſint, Chriſtum eſſe alium Deum à Patre Diuinitate diſtinctum; etſi id ſatis proculdubio eſſet ad eorum perfidiam condemnandam; vt tamen magis error eorum pateat, alijs quoq; argumentis id confirmabimus. Ac primùm ita aduerſus eos pronunciamus: Aut ſcripturas de vno vero Deo abnegent, aut nobiſcum Chriſtum eundem cum Patre Deum confiteantur. Si enim ſecundùm ſcripturas vnus tantùm Deus verus eſt, conſequens eſt, aut Chriſtum Deum verum non eſſe, aut eſſe eundem illum Deum verum, qui Pater. Nam ſi ſit alius verus Deus, non erit verum, eſſe vnum tantùm Deum verum, ſed plures. Si verò non ſit, niſi vnus Deus verus, qui eſt Pater, ſequetur Chriſtum non poſſe eſſe verum Deum, niſi ſit idem Deus, qui Pater.

Stringũtur Ariani fortiſſimè.

Eſſe autem vnum verum Deum non plures, ita in ſcripturis manifeſtum eſt, vt nihil expreſſiùs, & pluribus dicendi formis explicatũm in ſcripturis legatur; adeò, vt qui hoc negare audeat, nihil ſit in ſcripturis, quod negari non poſſit. Etenim cùm ſcripturæ vnum Deum abſolutè prædicant, de Deo vero, non de Deo per ſimilitudinem loquuntur. Cùm enim Deus in ſcriptura, duobus tantùm modis ſumatur, vno modo verè & propriè, vt ſignificat Deum, qui eſt natura Deus: alio modo, vt ſignificat Deum per ſimilitudinem cum vero Deo: quomodo homines & Angeli dicuntur Dij, qui aliquam Dei veri ſimilitudinem participant in poteſtate, vel in alijs perfectionibus Diuinis: certè cùm ſcriptura dicit, Deum eſſe vnum, non poteſt id dicere de Deo per ſimilitudinem: ſic enim Deus non eſt vnus ſed multi; conſequens eſt igitur id dicere de Deo vero, qui non propter ſimilitudinem, ſed propter naturam Diuinam Deus ſit. ſic enim abſolutè verum eſt, vnum tantummodo Deum eſſe.

Deus in ſcriptura dupliciter ſumitur.

Porrò ſcripturæ vnum Deum eſſe, ita docent, vt præter illum non ſit alius, Deut: 4. 35. & extra illum non ſit alius, 1. Reg: 2. 2. & ante illum, & poſt illum non ſit alius, Iſaiæ 43. 10. & nullus ſit alius præter vnum, 1. Cor: 8. 4. & ita vnum, vt ſolus ſit Deus, Deut: 32. 39. nec alius ipſi ſimilis Deus ſit in cœlo deſuper, ac in terra deorſum, 3. Reg. 8. 23.

Vnũ ſolùm verum Deũ ſcripturæ clamant.

Hoc autem modo Deum eſſe vnum, vt præter illum alius Deus non ſit,

non ſit, non conuenit niſi vero Deo, qui propter naturam Diuinam, non propter tantùm aliquam eius ſimilitudinem dicatur Deus. quod enim propter ſimilitudinem tantùm dicitur tale, non eſt verè tale; quod verò propter naturam & eſſentiam tale dicitur, dicitur verè tale. vt inductione per omnia facilè liquet.

Deniq; vnum Deum credere, primum & maximum mandatum dicitur, Marci 12. eaq; veluti certiſſima nota diſtinguuntur veri Dei cultores ab idololatris, quòd illi eum Deum colunt, qui non eſt niſi vnus. Hi verò multos Deos colunt, 1. Cor: 8. 5. Poſtremo ne quod dubium cuipiam remaneret, Chriſtus ipſe, Patrem talem Deum appellauit, qui ſolus eſt verus Deus, Ioan: 17. Si igitur ſolus Deus verus, eſt ille, qui eſt Pater, omnes alij Dij ab ipſo diſtincti non erunt veri Dij. Et ſanè ſi plures Dij veri reuera eſſent, non eſſet abſolutè verum, Deum vnum eſſe: potiùs enim contrarium abſolutè verum eſſet, non eſſe vnum Deum, ſed multos.

Reſpõſio Arianorũ prima abſurda.

Premuntur nimis hoc argumento Ariani, nec modum, quo ab eo ſe expediant, inueniunt. Vt verò rem abſurdam defendant, reſponſa non minus abſurda excogitant. Primum reſponſum eſt, Deũ verum non vnum eſſe, ſed multos. nempe tot, quot in ſcriptura à Deo ipſo Dij appellantur. Omnes enim illos, veros eſſe Deos negari non poſſe, niſi Deus luſiſſe dicatur, cùm eos Deos appellauit; Ita Smalcius fol: 18. At hæc non ſine ſumma temeritate ab aduerſarijs dicuntur. Quæ enim temeritas eſt, ſine vlla ſcripturæ authoritate, contra expreſſam in ſcriptura veritatem, non vnum, ſed plures veros Deos aſſerere? quid hoc aliud eſt, quàm ſcripturas negare & euertere? Proferat Smalcius vel vnum ſcripturæ locum, in quo præter vnũ Deum, aliquis verus Deus dicatur. quod ſi proferre non poterit, temerarius planè erit, cùm rẽ tantã ſine vlla ſcripturæ auctoritate affirmare audeat. Nã etſi tàm homines, quàm Angeli in ſcriptura dicantur Dij; at veri Dij nunquam appellantur. Deinde cùm veri Dei nomen, ſoli vni Deo in ſcriptura tribuatur, Ioan: 17. 3. ita vt in eo credendo vita æterna conſtituta ſit, an non impudens audacia eſt, contra ſcripturas, veri Dei nomen, ab vno Deo vero ad alios transferre, & illud cum rebus creatis commune facere? Si enim ſint plures Dij veri, falſum erit Deum Patrem eſſe, ſolum verum Deum; falſum erit vnum tantùm eſſe verum Deum. Etſi enim alij quoq; præter vnum Deum, dici Dij poſſint, propter ſimilitudinem & participationem aliquam

Plures Deos veros aſſerunt, ſummum vnum.

Incredibilis temeritas Smalcij.

Impudens audacia eiuſdem.

Deus verus quis dicēdus eſt.

aliquam perfectionum Diuinarum, at Dij veri dici nequaquam poſſunt. Deus enim verus non dicitur, qui ſolùm propter ſimilitudinē eſt Deus, ſed is, qui propter ipſam Diuinam naturam eſt Deus, & per eſſentiam eſt Deus, non per ſimilitudinem. Si igitur ſcripturæ credimus, nulli homines aut Angeli dicendi ſunt veri Dij, cùm nec eos, Deos veros ſcriptura vſpiam nominet, nec Dei veri nomen, alteri, præterquam ſoli vni Deo, conuenire aſſerat. Particulæ enim, Vnus & Solus, excludunt multos.

Smalcius ĩuoluit rem tenebris.

Deus & quà ſummus & quà verus ē vnus tantū.

Dicit Smalcius, ſcripturam cùm verum Deum dicit eſſe vnum, de ſummo Deo intelligere, qualis Deus verus eſt vnus tantùm; non negat autem alios non ſummos Deos, eſſe veros Deos. At quid hoc aliud eſt, quàm tenebris rem inuoluere? Etenim cùm ſcriptura ait, Deum verum eſſe vnum, nullam tunc facit mentionem ſummi Dei, ſed tantùm veri Dei. quare non tantùm ſummus Deus, ſed & verus Deus ſecundùm ſcripturas erit vnus: neq; ſolùm quà ſummus eſt, ſed etiam quà verus eſt. Etſi enim verus Deus ſit quoq; ſummus: tamen hoc loco ſcriptura non dicit ſummum Deum eſſe vnum, nec conſiderat Deum, vt ſummum, ſed vt verum. Solùm enim dicit, Deum verum, quà verus, eſſe vnum. Quocirca ſeorſim & per ſe, vtrumq; debet eſſe verum, & Deum ſummum eſſe vnum, & Deum verum eſſe vnum. Neq; iſta ſunt confundenda, cùm ea non confundat ſcriptura. Vnde ſequitur non ſolùm ſummos Deos, non poſſe eſſe plures, ſed etiam veros Deos, nequaquam plures eſſe poſſe.

Premitur Smalcius.

Deinde quæro à Smalcio, vnde colligat, ſcripturam, cùm Deū verum eſſe vnum docet, de ſummo Deo intelligere? An ex re ipſa, nempè quòd Deus verus eſſe non poſſit, niſi qui ſit ſummus? At hoc totam Smalcij fabricam euertit. Si enim Deus verus non ſit, niſi ſummus, ſequitur, vt quemadmodum nō poſſunt eſſe plures ſummi Dei, ita nec plures veri Dei. An quia in alijs ſcripturis, idem Deus Pater, qui hîc dicitur verus Deus, dicitur etiam ſummus Deus? quo ſenſu videtur hîc aſſerere Smalcius. citat enim locum 1. Cor: 8. 6. in quo vnus ille Deus, qui eſt Pater, dicitur eſſe is, ex quo omnia; quod eſt eſſe ſummum Deum.

Verùm hinc ſolum ſequitur, vtrumq; per ſe eſſe verum, & ſummum Deum, eſſe vnum; & verum Deum, eſſe vnum. Siquidem vtrumq; in diuerſis ſcripturis aſſeritur. Neque cùm Chriſtus dixit, Deum verum eſſe vnum, habuit reſpectum ad Deū, quà ſummus eſt,

(id enim gratis omnino & ſine fundamento fingeretur,) ſed ſolùm habuit reſpectum ad Deum, quà verus eſt, & ſub ea ratione qua verus eſt, eſſe vnũ pronunciauit; cùm nullam ſummi, ſed tantùm veri Dei fecerit mentionem. quare vtrumq; verum eſt, & Deum ſummum eſſe vnũ, vti dicitur in epiſtola ad Corinthios, & Deum verum eſſe vnũ, quà verus eſt, vti dicitur hoc loco apud Ioannem. Dico igitur ſententiam illam Chriſti, qua pronunciat Patrem eſſe ſolum verum Deum, intelligendam eſſe ſub ea ratione, ſub qua eſt à Chriſto pronunciata.

Chriſti pronunciatum.

Cùm igitur Chriſtus dixerit, Deum verum eſſe vnum & ſolum, debet id per ſe eſſe verum, hoc eſt ſub ratione veri Dei, abſtrahendo ab omni alia ratione. Debet enim propoſitio Chriſti eſſe vera, etiamſi nihil illi aliud addatur, niſi credamus Chriſtum non ſufficienter locutum, & ea dixiſſe, quæ per ſe accepta, vera eſſe non poſſunt, & omiſiſſe id, ſine quo propoſitio vera non eſt.

Smalcij nugæ de ſcriptura intelligẽda.

Nam quod Smalcius ait, ſcripturam etiam ea intelligere, quorum non facit mentionem, id ſi accipiat, de ijs etiam, quæ nulla ratione in verbis, vel in verborum circumſtantijs continentur, ſiue actu, ſiue virtute, falſum eſt. Quis enim adeò fatuus eſt, vt credat verbis ea intelligi debere, quæ nullo modo in verbis continentur? alioqui ſequeretur per quæcunq; verba omnia intelligi poſſe, ſi non ſit neceſſe ea aliquo modo in verbis contineri & ſignificari. Si verò dicere velit, non ſolùm ea intelligi in verbis, quorum expreſſa fit mentio, ſed etiam quæ tacitè, & quodammodo virtute in verbis expreſſis continentur; id verum quidem eſt, ſed cauſam Smalcij parũ iuuat. debet enim explicare Smalcius, quomodo ſummus Deus in vero Deo tacitè continetur. Nam ſi id propterea ſit, quòd neceſſe ſit, verum Deum, eſſe quoq; ſummum Deum, ſeipſum euertit Smalcius. Sicut enim ſummi Dei, plures eſſe non poſſunt, ita ſequetur Deos veros plures eſſe non poſſe. Si verò ex eo ſit, quòd alibi idem Deus, eſſe quoq; ſummus aſſeratur, id inprimis per accidens eſt ad hanc propoſitionem. Siquidem in ea, id nec expreſſè, nec tacitè aſſeritur, ſed extra eam. Veritas autem propoſitionis non ex ijs, quæ extra eam ſunt, ſed ex ijs quæ in ipſa ſunt, ſpectari debet. alioqui quæcunq; de Deo dici poſſunt, ſequeretur, in quacunq; propoſitione de illo ea contineri & dici; Deinde quæ in aliqua propoſitione tacitè continentur, talem habent cum illa connexionem, vt ex ea neceſſariò inferri poſſint. At ſecundùm aduerſarios, ex hoc quòd Deus eſt ve-

us eſt ve-

Digitized by Google

us eſt verus, non infertur, quòd Deus eſt ſummus. Siquidem Deos etiam non ſummos, volunt eſſe veros Deos. Non igitur hæc propoſitio in illa tacitè aut virtute contineri poteſt, ex ſententia ipſorum. Deniq; etſi tacitè contineretur Deus ſummus in Deo vero, tamen in hac Chriſti ſententia non id præcipuè ſpectatur, quod tacitè in verbis eius continetur, ſed id quod expreſſe. expreſſè autem dicitur, verus Deus eſt vnus. ergo hoc ipſum verum eſt, Deum, quatenus verus eſt, eſſe vnum.

At obijcit Smalcius, in ſcriptura dici ſolum Deum eſſe ſapientem, ſolum beatum, ſolum habentem immortalitatem, Rom: 16. 27. 1. Timoth :6 15. etiamſi conſtet, alios quoq; eſſe ſapientes, & beatos. Similiter & Math. 23. 10. dicitur abſolutè vnum eſſe magiſtrum Chriſtum, cùm tamen alij etiam ſint magiſtri, licet minus excellenti modo. Ex quo infert, particulam (Solus) apponi ad denotandam maiorem excellentiam & perfectionem in illo genere; non verò ad neganda alia eiuſdem generis. pari igitur ratione, etſi ſolus & vnus Deus, dicatur verus Deus, non idcirco excludi alios, qui etiam Dij veri dici poſſunt; ſed ſolùm ſignificatur illos, non eſſe eo modo excellenti & perfecto Deos, quo eſt ille vnus Deus. *Obiectum eiusdem.*

Ad hanc obiectionem reſpondendum eſt, Deum verum dici vnum & ſolum, non propter maiorem excellentiam, ſed propter veritatem. dicitur enim ſolus Deus verus, præcipuè propter idola, quæ non ſunt minus excellentes Dij, ſed omnino Dij falſi, & nullo modo Dij. tunc enim κατ' ἐξοχὴν, hoc eſt, propter maiorẽ excellentiam, dicitur quis, ſolus talis, quando comparatur cum ijs, qui ſunt etiam tales, licet minus excellenti ratione. At cùm fit comparatio cũ ijs, qui nullo modo ſunt tales, tunc particula, Solus, non dicit maiorem excellentiam, ſed omnino veritatem. Sic ſolus Deus dicitur bonus, ſapiens, beatus, habens immortalitatem, propter excellentiã. quia alij non ita excellenti ratione ſunt tales. At verò hoc loco dicitur ſolus eſſe Deus verus, non eorum comparatione, qui minus perfecta & excellenti ratione ſunt Dij, ſed qui verè nõ ſunt Dij, vt idola. Non igitur propter excellentiam & maiorem perfectionem, ſed abſolutè, & cum excluſione aliorum Deorum abſoluta, dicitur ſolus Deus verus. Sicut cùm dicimus ſolum Deum eſſe creatorem cœli & terræ, non id dicimus propter excellentiam comparando Deum cum alijs creatoribus cœli & terræ, minus excellentibus & perfectis, ſed *Solvitur.* *Solus Deus bonus dicitur propter excellentiã. Solus dicitur Deus, propter veritatem.*

 ſimpliciter

ſimpliciter excludimus omnes alios creatores.

Ex quo patet hoc loco, Deum verum opponi falſis Dijs, & reſpectu eorum dici, ſolum Deum verum; reſpectu quorum non poteſt dici ſolus Deus propter excellentiam, ſed propter veritatem, cū illi nullo modo ſint veri Dij. id quod etiam particula ipſa, Verus, indicat; opponitur enim non veris, atq; adeò falſis Dijs. oſtenditq; in veritate, non in excellentia comparationem eſſe. Senſus igitur eſt, vitam æternam in eo eſſe conſtitutam, vt omnes idolis reiectis, cognoſcant illum verum Deum, qui ſolus eſt verus Deus; quo etiam modo S. Paulus loquitur 1. Theſſal: 1. 9. *Conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris ſeruire Deo viuo & vero.* Deum verum ſimulachris opponens.

Angeli non poſſunt dici Dij veri.

Hinc verò deducitur Angelos & homines nō poſſe dici Deos veros. alioqui non poſſet illo modo verè dici, vnum ſolum eſſe verum Deum, ſecundùm ſcripturas.

Ineptiſſima Smalcij illatio.

Ineptiſſimè verò infert Smalcius, ſequi, Deum ludere, cùm eos Deos appellat, qui Dij veri non ſint; quaſi ludere oporteat, ſi quis voce aliqua non in propria, ſed figurata ſignificatione vtatur. alioqui luſiſſe Chriſtus dicendus eſt, cùm Apoſtolos lucem mundi, & ſal terræ, & ciuitatem ſuper montem poſitam appellauit. & Paulum cùm Chriſtum Petrā & lapidē angularē nuncupauit, cùm nec Apoſtoli ſint vera lux, ſed metaphoricè; neq; Chriſtus Petra, niſi figuratè.

Dij propter ſimilitudinem nō ſunt Dij veri.

Accedit & ratio euidens. qui enim dicuntur Dij ſolùm propter ſimilitudinem & participationem, non ſunt Dij veri, ſed ſolùm is, qui naturam Dei habet, dicitur Deus verus. Quocirca cùm homines & Angeli dicantur Dij ſolùm propter ſimilitudinem, & participationem quandam Diuinitatis, non autem propter eſſentiam ipſam Diuinitatis, non poterunt dici Dij veri, ſed tantùm Dij per participationem & ſimilitudinem. Similitudo enim, quæ eſt in aliquibus tantùm proprietatibus, non in eſſentia, non facit rem eſſe veram, ſed ſimilem rei veræ. Etenim vnaquæq; res dicitur vera, à ſua natura & eſſentia. vt verus homo, verum aurum, ab hominis & auri eſſentia. Cùm igitur detur vera Dei eſſentia, Deus quoq; dicetur abſolutè Deus ab ipſa Dei natura & eſſentia: à ſimilitudine verò & participatione aliqua Diuinitatis, non dicetur Deus verus, ſed Deus per participationem; quia à Deo vero diſtat naturâ & eſſentiâ, ſolùmq; ſecundùm quid, illi eſt ſimilis participatione quadam.

Neq; diffiteor, veri nomen, in ſcriptura aliquando ijs accommodari,

Digitized by Google

modari, quæ metaphoricè dicuntur talia; ſed tunc ſenſus eſt, ipſam metaphoram, verè, id eſt non fictè illis competere. eſt enim veritas & falſitas ſuo modo etiam in metaphoris, cùm non omnis metaphora cuicunq; verè tribui poſſit: Sic Chriſtus Ioan: 1. dicitur lux vera: quia etſi metaphoricè ſit lux; tamen verè id præſtat ſpiritualiter, quod lux corporea corporaliter. Simili modo dicitur vitis vera, quòd ea metaphora illi verè competat. Porrò hæc veritas metaphorica ad noſtram rem non facit. hic enim non agimus de veritate vocum metaphoricè acceptarum, ſed de propriè acceptis vocibus. Si enim nomen, Veri, cùm vocibus proprijs non metaphoricè acceptis iungatur, non niſi ipſam rei naturam ſignificat. Quare cùm vox, Deus, non ſit metaphorica ſed propria, particulam, Verus, illi additam, ipſam Dei naturam ſignificare neceſſe eſt. quælibet enim res dicitur vera à ſua natura & eſſentia. neq; cuiquam veri Dei nomen tribui poteſt, niſi eidem natura Diuina tribuatur.

Veritas metaphorica, non facit ad rem noſtrā.

Quòd ſi Smalcius velit homines & Angelos dici veros per participationem, non abnuo. Deus enim verus per participationem, non eſt abſolutè Deus verus, ſed eo ſolùm modo, quo ea, quæ ſunt metaphoricè talia, dicuntur vera, veritate metaphorica, non propria. Nos autē hic agimus de veritate propria, non de metaphorica.

At inquit, verum aliquando opponi ei, quod imperfectè eſt tale. quod enim perfectè eſt tale, dicitur verè tale, reſpectu eius quod imperfectè eſt tale. At quid hoc ad rem? hoc enim modo Angeli non poterunt dici veri Dij, cùm imperfectè ſint Dij, & Chriſtus, cùm reſpectu Dei Patris, ſecundùm ipſos non ſit perfectè Deus, non dicetur verus Deus. quòd ſi Patrem hoc modo velit dici Deum verum, quia perfecto & excellenti modo Deus eſt, id iam paulò ante refutatum eſt. non enim propter maiorem perfectionem, ſed propter veritatem & eſſentiam dicitur Deus verus.

Obiectum Smalcij impertinens.

Multò verò minus ad rem eſt, quod obijcit, ſi Angeli metaphoricè ſint Dij; ſicut homo pictus ob exteriorem formæ ſimilitudinem homo dicitur; conſequi Angelos dici Deos pictos. id enim puerile & ſtultum obiectum eſt. Quis enim tam rudis eſt, vt neſciat, non omnē ſimilitudinem eſſe pictam. Ergo vti is, qui pictam alterius ſimilitudinem gerit, rectè dicitur pictus; ita qui citra picturam illius ſimilitudinem participat, dici non poteſt pictus; quales Angelos eſſe, qui non pictam aliquam Dei ſimilitudinem, ſed Diuinæ poteſtatis quandam participationem habent, nemo inficiatur.

Aliud eiuſdem puerile & ſtultum.

Nō omnis ſimilitudo eſt picta.

Digitized by Google

Deniq; cùm ait, poſſe Angelos non metaphoricè, ſed analogicè dici veros Deos, analogia eius generis quod eſt à cauſa. quòd ſcilicet vna vox, vni, modo excellentiſſimo tribuatur; alijs vero modo minus excellenti. Reſpondeo, iſtam analogiam eſſe in illis, quæ non ſunt verè talia; dicuntur tamen talia, quia referuntur ad id, quod eſt verè tale; quodq; eſt cauſa alijs, vt dicantur talia: vt patet ex omnibus Philoſophis, qui hactenus de analogia ſcripſerunt. Sic animal verè dicitur ſanum; cætera verò omnia dicuntur non verè, ſed analogicè ſana. quia ad ſanitatem animalis aliquo modo referuntur. Sic cibus, medicina, aura, dicuntur analogicè ſana, quia ad ſanitatẽ animalis referuntur. conducunt enim ad ſanitatem animalis: ipſa autem veram ſanitatem in ſe non habent. animal autem dicitur verè, non analogicè ſanum, quia veram ſanitatem, cuius eſſentia conſiſtit in temperie humorum, in ſe habet. Hoc igitur modo Angeli, cùm dicantur Dij ob ſimilitudinem, & participationem quandam Diuinitatis quæ eſt in vero Deo, dicuntur analogicè Dij, ac proinde non verè & propriè, ſed propter ordinem & attributionem ad Deũ verum: Cùm verò hæc analogia fundetur in ſimilitudine, vtrumque ſimul erit verum, & analogicè, & propter ſimilitudinem; ac proinde non verè ac propriè dici Deos. ſiquidem tàm id, quod analogicè, quàm id quod per ſimilitudinem dicitur tale, non verè & propriè dicitur tale; cùm ab alio, quod eſt verè tale, ſuam denominationem accipiat.

Analogia attributionis explicatur.

Angeli quomodo analogicè Dij.

Ex quibus concludo, Dei veri nomen abſolutè, & in propria ſignificatione acceptum, eſſentiam Dei denotare; cùm vnaquæq; res dicatur vera à ſua eſſentia & natura. quod nemo vel rudiſſimus ignorat. Cætera verò, quæ Dei aliquam ſimilitudinem & participationẽ habent, non autem ipſam Dei eſſentiam, non poſſunt dici Dij veri, ſed Dij per participationem & ſimilitudinem. Participatio enim & ſimilitudo rei, non eſt res vera, ſed veræ rei ſimilitudo & quæ ob ſolam ſimilitudinem dicuntur talia, impropriè & metaphoricè dicuntur talia. Hoc igitur modo, tàm Chriſtus ſecundùm Arianos, quàm Angeli, Dij veri dici non poterunt abſolutè; cùm non propter naturam & eſſentiam, ſed ſolùm propter ſimilitudinem, & participationem quandam Diuinitatis dicantur Dij. quod eſt impropriè & metaphoricè Dei nomen vſurpare.

Dei nomen

Digitized by Google

Dei nomen non eſſe poteſtatis, ſed naturæ; eſſeq́; proprium, non commune, contra Smalcium probatur. CAP: V.

SMalcius ait, Dei nomen non eſſe naturæ ſed poteſtatis, neq; naturam Diuinam, ſed poteſtatem ſignificare; ſicut nomen Regis, Domini, Creatoris. ex quo etiam ſequitur, cùm Diuina poteſtas verè conueniat & Angelis, Dei quoq; nomen verè eiſdem conuenire. atq; adeò Dei nomen eſſe commune, non proprium: quemadmodum poteſtas Diuina eſt communis non propria. Verùm id eſt futile Smalcij commentum. etenim vocis ſignificatio eius definitione explicatur. quotquot autem Deum definierunt, non poteſtatis duntaxat, ſed præcipuè eſſentiæ & naturæ infinitæ, & nullis perfectionis finibus circumſcriptæ meminerunt. Theologi cum Auguſtino Deum ab eſſentia definiunt. nempè eſſentiam infinitam, naturam incommutabilẽ. Nam & Deus ipſe Moyſi petenti, vt Dei Iſraëlis nomen explicaret, illud eſſentia non poteſtate definiuit. *Ego*, inquit, *ſum, qui ſum.* &, *Sic dices ad eos, qui eſt, miſit me ad vos.* Solius enim Dei proprium eſt, eſſe abſolutè. alia enim ſunt quidem ſuo modo, ſed non abſolutè, quia ſolùm ſunt hoc vel illud. Deus autem abſolutè eſt Ens. quia eſt omne ens, & omnem entis perfectionem in ſe continet. Adhæc alia ſunt partim entia, partim non entia, cùm non omnem rationem entis habeant: imo maiori ratione non entia, cùm longè maiori entis parte careant. Solus Deus ita eſt Ens, vt nulla ratio entis ei deſit: Alia ſunt entia, ſed non ex ſe: ex ſe enim potiùs ſunt non entia, & in æternum non eſſent, niſi ex Deo eſſent: Solus Deus ſeipſo eſt Ens, abſq; vlla ab alio dependentia: Alia ita ſunt entia, vt fuerint non entia, & eſſe poſſint non entia; Deus verò ita eſt Ens, vt ſit neceſſarium, & incommutabile ens.

Futile Smalcij commentum.

Dei nomen quomodo definitur?

à Theologis.

à Deo ipſo.

Exo: 3.

Deus abſolutè ens, neceſſariũ & incommutabile.

Similis eſt illa definitio, quam habet Aug: 1. de doctrina Chriſtiana, cap: 6. & 7. Deus, inquit, eſt id, quo nil melius & excellentiùs cogitari poteſt. hoc enim, inquit, omnes cogitando concipiunt, cùm Dei nomen audiunt. non igitur ſolam poteſtatem vox, Deus, ſignificat, ſed naturam excellentiſſimam, qua nil maius & melius cogitari poteſt. Eodem modo gentiles quoq; Philoſophi, Deũ definiuêre; quorum alij naturam, alij mentem vel animam, alij ſubſtantiam; nullus verò à ſola poteſtate definiuit. quòd omnes intelligerent, non ſolam poteſtatem ad Dei rationem pertinere, ſed alias etiam omnes perfectiones.

Ab Auguſtino.

Ab Ethnicis Philoſophis.

Deinde

Digitized by Google

Deinde per ſe manifeſtum eſt, eſſentiam infinitam eſſe Deum. quid enim eſſe aliud poteſt? Num creatum aliquid erit? At hoc enti infinito repugnat. Si verò ſit quid increatum, Deus proculdubio erit. Nihil enim eſt increatum præter Deum. Si igitur eſſentia infinita, non eſt alia quæpiam res, niſi Deus, quis negare poterit, Deum eſſe nomen eſſentiæ infinitæ?

Deus poteſtate definiri nequit. *1. Ratio.* Quòd ſi Deus eſſet nomen ſolius poteſtatis, negare proculdubio poſſemus, eſſentiam infinitam, quà eſſentia infinita eſt, Deum eſſe; quod per ſe abſurdiſſimum eſt. Etenim ſi Deus non eſſet natura & eſſentia infinita, qua nil maius ac melius cogitari poſſit, Deus proculdubio non eſſet; quia non eſſet omne bonum, & daretur aliquid
2. melius illo, nempe id quod eſſet ens infinitum. Adhæc nimis anguſtum eſt, Dei rationem poteſtate ſola definire. non minus enim ad Dei rationem ſpectant alia attributa, & perfectiones Diuinæ, vt ſa-
3. pientia, bonitas, immenſitas, æternitas. Accedit quòd, vt Theologi rectè cum Auguſtino docent: quidquid in Deo eſt, Deus eſt. non igitur ſola poteſtas in Deo, Deus eſt, ſed & ſapientia, & bonitas. quod ipſa etiam ſcriptura teſtatur. Dicit enim D. Ioannes. Deus charitas eſt, Deus lux eſt. Deniq; ſequeretur ea ratione, Dei ac Domini nomina confundi, quæ ſcriptura paſſim diſtinguit; vt cùm Patri, nomen Dei; Chriſto nomen Domini tribuit. Eius verò diſtinctionis ea eſt ratio, quòd Domini nomen ad poteſtatẽ, Dei ad naturã referatur.

Dei nomen naturam ſignificat. Ex quo patet nihil abſurdius, & contra omnium hominum ſenſum dici poſſe, quàm Dei nomen, Dei naturam & eſſentiam non deſignare. Sicut enim voce hominis, naturam hominis; ita voce Dei, naturam Dei ſignificamus, nec alia voce vtimur ad deſignandam Dei naturam, quàm voce Deus. *Cur id adeò impudenter negent Ariani?* At non eſt nouum Arianis contra communem omnium ſenſum loqui, & cum ratione inſanire. Eo verò conſilio, Dei nomen, non eſſe naturæ Diuinæ nomen, excogitaſſe videntur: vt ita faciliùs Dei nomen Chriſto, quem ſola poteſtate Deũ eſſe credunt, non natura, accommodarent.

Dei nomen eſt propriũ Iam quod ſecundo loco dicit Smalcius, Dei nomen eſſe commune, non proprium, id nulla ratione dici poſſe, primùm hoc argumento docemus. Si enim Dei nomen, non eſſet Deo proprium, Deus abſolutè non eſſet vnus. commune enim eſt, quod multis conuenit; proprium, quod vni ſoli, & nomen vnius tantùm rei, proprium eſſe neceſſe eſt; cùm igitur ſcriptura ſemper Deum eſſe vnum doceat,

conſequens

Digitized by Google

conſequens eſt Dei nomen, Deo proprium eſſe, non cõmune multis.

Neq; refert, quòd in ſcriptura homines quoq; & Angeli Dij appellantur: non enim repugnat nomen proprium vni, alijs per participationem quandam & ſimilitudinem conuenire. Sic hominis nomen, ſoli vero homini competit; homini verò picto vel ficto, non niſi propter ſimilitudinem & participationem quandam cõmune eſt. *Obiectioni occurritur.*

Nam cùm dicit Smalcius Dei nomen eſſe analogum, debet meminiſſe, etiam analoga, quæ dicuntur ab vno vel ad vnum, ſoli principali analogato verè & ſecundùm eſſentiam conuenire: alijs verò per quandam illius participationem, quatenus referuntur ad ipſum. vt exemplo ſanitatis paulò ante docuimus. Sanitas enim verè & propriè, hoc eſt quoad ſuam eſſentiam eſt ſolùm in animali; cætera verò dicuntur ſana, non niſi vt ad ſanitatem animalis aliquo modo referuntur. Dei igitur nomen vni ſoli Deo, ſecundùm propriam ſuam rationem & naturam, voce ſignificatam competit; hominibus autẽ & Angelis, non niſi propter ſimilitudinem aliquam & participationem, ſiue ea ſimilitudo ſit virtutum Diuinarum, quomodo iuſti dicuntur Diuinæ facti conſortes naturæ, 2. Petri 1. 4. propter participationem Diuinæ charitatis & virtutum, eodemq; ſenſu dicuntur Filij Dei; quia ſimilitudinem ſui Patris Dei referunt virtutũ & charitatis participatione: ſiue ea ſimilitudo ſit poteſtatis; quomodo Iudices ob Diuinam poteſtatem participatam, qua Deum repræſentant, Dij appellantur. *Dei nomen quî eſt analogum.* *Analoga ad vnum quæ dicuntur.* *quomodo homines et Angeli Dij?*

Poſſumus idem alia quoq; ratione confirmare; etenim cùm nomen aliquod alicui per ſe competit, alijs verò propter relationem & reſpectum ad ipſum, eſt cenſendum proprium illius nomen. Ita verò hîc accidit. Soli enim Deo vero per ſe competit Dei nomen; non per reſpectum ad aliquid aliud. alijs verò non competit, niſi per reſpectum ad illum vnum Deum verum. ea enim ſolùm ratione dicuntur aliqui Dij: quia Dei proprietates & ſimilitudines aliquas participant. neceſſe eſt igitur Dei nomen propriè, & in propriâ ſua ſignificatione, vni ſoli Deo competere, qui per ſe eſt Deus. alijs verò non niſi participatiuè & ſecundariò, quia aliquam Dei perfectionem participant; & quemadmodum non per ſe, ſed per participationem ſunt Dij: ita & Dei nomen non primariò, ſed ſecundariò, & quaſi per denominationem ab vno vero Deo, ſibi vendicant. *Ratione oſtenditur, Dei nomen eſſe proprium.*

Deniq; cùm Dei nomen aut naturam Diuinam, aut Diuinam ſimilitu- *Dei nomen*

Digitized by Google

quid ſignificat primariò, quid ſecundariò? militudinem ac participationem ſignificare oporteat, dici nõ poteſt, vtrumq; æquè ſignificare, ſed naturam Diuinam primariò, ſimilitudinem verò Diuinam ſecundariò: Sicut nomen hominis primariò ſignificit naturam hominis, tùm nominis ſimilitudinem. prius enim res ipſa eſt, tùm eius ſimilitudo: & ſicut à re deriuatur ſimilitudo, ita & denominatio; priuſq; nomen, rei ipſi conuenit;tùm per quandam deriuationem ſimilitudini illius rei.

Ex quo patet Dei nomen, in prima & propria ſignificatione naturam Diuinam denotare: in ſecundaria verò (quippe quæ à prima deriuatur) ſignificatione alijs quoq; Dijs, qui per ſimilitudinem & participationem Dij dicuntur: ita vt ſolus Deus ſubſtantiuè (vt ſancti Patres loquuntur) dicatur Deus: homines verò & Angeli participatiuè dicantur Dij.

quam poteſtatem Dei nomen ſignificet. Quòd ſi etiam daremus Smalcio, Dei nomen poteſtatem ſignificare, eo modo quo Regis nomen, eſt nomen poteſtatis; adhuc Dei nomen neceſſe eſſet proprium eſſe ſolius Dei veri: quia non quæcunque poteſtas Deum facit, ſed ſumma & ſuperiori poteſtati non ſubiecta. Sicut non quæcunq; poteſtas Regem facit, ſed Regia, id eſt ſumma, & quæ poteſtati ſuperiori in regno non ſubiaceat. quamuis enim poteſtas, quæ à Rege inferioribus communicatur, dici quidem poſſit regia, eo ſenſu quòd à Rege communicetur: eſt enim participatio quædam Regiæ poteſtatis; non tamen dici Regia poteſt, quòd Regẽ faciat, ſeu quòd ſit ſufficiens ad Regem conſtituendum. Quantumuis enim Rex omnem ſuam poteſtatem, in regno, quantam ipſe habeat, alicui conferat, non faciet illum Regem, ſed Proregem, ſolùm ex eo quòd illa poteſtas manet ſubiecta & ſubordinata Regi, tanquã Domino ſuperiori. *Regis exemplo illuſtratur.* Sicut enim Rex, non eſt quicunq; Dominus, ſed ſummus; & qui Superiorem in Regno non agnoſcit; ita poteſtas Regis propria, eſt poteſtas ſumma, & nulli in Regno ſubiecta. Pari ergo ratione non quæcunq; poteſtas Deum conſtituit, ſed ſumma & ſuperiori poteſtati non ſubiecta. Sicut enim Rex in regno; ita Deus in mundo toto ſummam habet poteſtatem: neq; Dei poteſtas minor eſt poteſtate Regia. Cùm igitur Regia ſit ſumma, Dei quoque propria poteſtas non erit niſi ſumma. Deinde ſi ſit ſubiecta Superiori poteſtati, erit ea poteſtas, Miniſtri Dei, vel Vicarij Dei, non ipſius Dei: proprium enim Miniſtri eſt, poteſtati Domini ſeu Superioris ſui ſubiacere, & eſſe ſubordinatum. ſicut Domini proprium eſt, ſua propria, non alterius poteſtate agere. Cùm

Digitized by Google

Cùm igitur poteſtas ſumma, & Superiori poteſtati non ſubiecta, ſit ſolius Dei ſummi propria, conſequens eſt etiam Dei nomen, quod ſolùm à ſumma poteſtate ſumi poteſt, ſoli ſummo Deo conuenire, eſſeq; illi proprium, non commune, niſi propter ſimilitudinem. Omnis enim hominum & Angelorum poteſtas, ipſis à Deo communicata, eſt ſubiecta poteſtati Diuinæ, ac proinde non ſumma; neque Deum propriè facit, ſed quaſi Deum, hoc eſt ſimilitudine Deum. Sicut Prorex licet omnem Regis poteſtatem habeat, non tamen dicitur proprie Rex, ſed quaſi Rex & Vicerex, aut Prorex.

Dei nomen, vt eſt ſumma poteſtatis, eſt Deo proprium.

Homines ergo & Angeli dicuntur Dij, non quòd ſint propriè Dij, ſed quòd ſint ſicut Dij, ob ſimilitudinem Diuinæ poteſtatis participatæ. Ex quo etiam ſequitur, ſi Chriſtus non habeat aliam poteſtatem, præter eam quam à Deo accipit, vt homo, hoc eſt Diuinæ poteſtati ſubiectam & ſubordinatam; cùm ea poteſtas non ſit ſumma, non poteſt ratione ipſius dici propriè Deus, ſed tantùm ob ſimilitudinem poteſtatis, ſicuti Deus. vt infra fuſiùs docebimus.

Si Chriſtus ſtatuatur Deus dependens & ſubordinatus, Deus verus dici non poteſt. CAP: VI.

EST & altera reſponſio Arianorū, qua ſcripturas vnū verū Deum aſſerentes, eludere conantur. Aiunt enim ſolum Deum ſummū, vnum eſſe; non ſummos autem, eſſe plures, dummodo ſint ab vno ſummo dependentes, eiq; ſubordinati, qui etiam eorum reſpectu, Deus Deorum dicatur. Ita Smalcius fol: 14. quam quidem reſponſionem in Monſtris Arianiſmi, nos efficaciſſimè refellimus eo argumento, quòd nihil magis Deo vero repugnet, eiuſq; omnem rationē euertat, quàm dependentia & ſubiectio. Si igitur Chriſtus ſit Deus dependēs & ſubordinatus, nullo modo Deus verus & (ea ratione qua Deo conuenit eſſe Dominum) Dominus dici poterit. Dependentia enim & ſubiectio, ſeruum & Miniſtrum, non Deum ac Dominum conſtituit. Etenim in eo, in quo quis dependet ab altero, ſeruus alterius & Miniſter eſt. quippe non ſui iuris, ſed alterius. quæ ſerui & Miniſtri eſt definitio: ſeruus quidem ſi in ſe ipſo dependeat: miniſter verò ſi in aliis gubernandis, hoc eſt in poteſtate, quā in alios exercet, ab alterius poteſtate dependeat. Si igitur abſurdum eſt, ſeruū & Miniſtrum, qui ſeruus & Miniſter eſt, Deum verum & Dominum dici; æquè abſurdum erit dicere, Deum dependentem, Deum verum nuncupa-

Quomodo ſcripturas eludant Ariani?

Repugnat Deo vero dependētia & ſubiectio ſeu ſubordinatio.

nuncupari. in eo enim, in quo Deus ille dependens eſt à ſummo Deo, ſeruus eius & miniſter eſt. in eo autem, in quo quis Dei ſeruus & Miniſter eſt, Deus verus non eſt; niſi idem ſit, eſſe Deum verum, & eſſe Dei veri ſeruum & Miniſtrum. Quocirca ſi Chriſtus in omni ſua Diuina poteſtate, quam in nos exercet, ſit à ſummo Deo dependens, vt iſti volunt, nullo modo, Deus verus dici poterit, talis poteſtatis reſpectu. *Inſtantia.* Quòd ſi quis opponat, minimè repugnare dari Dominos ſubordinatos, qui Dominis ſuperioribus ſint ſubiecti. *Soluitur.* ad hoc primò reſpondendum eſt, nos hîc agere non de quocunq; dominio, ſed de Dei Dominio, hoc eſt ſummo. tale enim Dominium Deo cõpetere, paulò ante Regis exemplo docuimus. Deinde dari quidẽ Dominos ſubordinatos non repugnare; ſed tales Dominos, quà ſunt ſubiecti poteſtati Superiori, non eſſe Dominos: quà verò ſunt ſui iuris, & poteſtati ſuperiori non ſubiecti, eſſe & dici Dominos ſecundùm quid.

Dominus quà ſubordinatus, nõ eſt Dominus.

Quare ſemper eſt verum, Dominum, quà Dominus eſt, non eſſe poteſtati ſuperiori ſubiectum: & quia Deo non quodcunq; Dominium, ſed ſummum competit: (ſicut & Regis Dominium non eſt niſi ſummum) idcirco repugnat Deum verum dici Dominum ſubordinatum & dependentem.

Reſponſio Smalcij fucus merus.

Reſpondet ad hoc argumentum Smalcius, ſi Dei nomine ſummus Deus intelligatur, Deum dependentem non eſſe Deum; at ſi Dei nomine, tàm is intelligatur qui ex ſe imperium habet in omnia, quàm is qui poteſtate ſibi ab alio conceſſa regnat, hoc ſenſu etiam Deum dependentem, dici debere Deum. eſt enim inquit, Dei nomen non proprium ſed commune. Sed fucum Smalcius facit; nam, vt paulò ante oſtendimus, Dei nomine, ſi propriè & verè, Deus dici debeat; eum qui ſumma poteſtate ſit præditus, & ſuperiori poteſtati non ſubiectus, intelligendum eſſe. Si verò dici Deus debeat, non verè & propriè, ſed propter ſimilitudinem & participationem Diuinæ poteſtatis, ſic alijs quoq; nomen Dei conuenire poteſt; non quòd ſint verè & propriè Dij, ſed quòd ſint, ſicut Dij ſeu ſimilitudine Dij. Etenim illud ſolùm, quòd natura tale eſt, verè & propriè tale eſt: quod verò ſolùm aliqua participatione & ſimilitudine, ab eo quod natura tale eſt, deriuata, dicitur tale, id non verè & propriè tale, ſed ſolùm participatiuè & ſimilitudinariè dicitur tale. Cùm igitur ſolus ſummus Deus ſit natura Deus, homines verò & Angeli ſolùm imperfecta Diuinæ perfectionis & poteſtatis participatione dicuntur Dij, non poſſunt vlla

Digitized by Google

ſunt vlla ratione dici Dij verè & propriè. quod enim per participationem & ſimilitudinem eſt tale, non eſt verè & propriè tale. Participatio enim ſolùm in aliqua proprietate & perfectione conſiſtit, non in tota rei eſſentia atq; natura. Ab vna verò proprietate & parte aliqua perfectionis, res non dicitur verè talis, niſi ipſam rei eſſentiã habeat. alioqui omnia quæ eſſent in aliquo ſimilia, verè eſſent & dicerentur talia. quocirca & pictus homo, qui in forma exteriori vero homini perſimilis eſt, non poteſt dici verus homo. quia externa rei ſimilitudo non ſatis eſt ad hoc, vt aliquid dicatur verè tale. & aurũ chimicum, etiamſi in quibuſdam proprietatibus auro vero ſit ſimillimũ, non dicitur verũ aurũ: quia caret auri vera eſſentia & natura.

Res verè talis, ab eſſentia dicitur talis, non à participatione ſeu ſimilitudine.

Et ſanè hactenus extitit nullus, qui licet homines & Angelos agnouerit Diuinæ poteſtatis participes, eos propterea Deos veros appellandos cenſuerit. quòd id & fidei & rationi manifeſtè repugnet. Soli Ariani Rakouienſes, ita ſunt audaces, vt audeant omnia. Cùm igitur Smalcius, duplicem illam Dei acceptionem ponit: in primo ſolùm membro propriam, in altera verò impropriam ponit: nos autẽ hîc non de Deo improprio & ſimilitudinario loquimur: ſed de Deo vero & propriè dicto, dicimuſq; Deum verè & propriè dictum, non poſſe eſſe dependentem & ſubordinatum: & Deum dependentem, Deum verum nullo modo dici poſſe. in eo enim in quo eſt Dei ſeruus & Miniſter, dici non poteſt verus Deus, aut verus Dominus. Ad hoc igitur Smalcio reſpondendum fuerat. Nam tales dici aliquo modo Deos, nihil prohibet. At dici Deos veros & propriè Deos, omni ratione repugnat. Siquidem dependere, non eſt Deum verum eſſe, ſed Dei veri miniſtrum & ſeruum. & eſſe propter ſimilitudinem Deum, non eſt eſſe verum Deum, ſed ſicut Deum.

Soli Ariani Rakouiẽſes audent oĩa.

Smalcius vbi reſpondẽdum erat, mutus eſt.

Reſpondet præterea Smalcius, Chriſtũ ob acceptam à Deo poteſtatem, eſſe quidem dependentem à Deo; in vſu tamen poteſtatis non eſſe dependentem. Nam qui poteſtate ſibi data ipſemet pariter vtitur, atq; ille qui eam dedit, is iam non dependens ab illo, neque Miniſter eius eſt, ſed vnà cum illo regnans dici poteſt & debet. quod exemplo Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis, vnà cum Patre ſuo regnantis, patere ait. Talis igitur cùm ſit Chriſtus, (ſiquidem omnia quæ ad Eccleſiam ſpectant, non minus atq; ipſe Pater adminiſtrat) ſequitur Chriſtum ea ratione, non Dei Miniſtrum, ſed vnà cum Deo regnantem & verum Deum eſſe.

Smalcius Chriſtũ independentẽ à Deo facit in vſu poteſtatis.

Digitized by Google

Verùm perſpicit iam Smalcius, Deum depēdentem quà dependens eſt, verum Deum dici non poſſe, ergo Chriſto attribuit independentiam in vſu poteſtatis, vt faciat eum independentem Deū; quòd ſua poteſtate, quam à Deo vt homo accepit, abſolutè & independenter à Deo vtatur. quod an verum ſit, videamus.

Chriſtus, quà Deus eſt eiuſdem poteſtatis cum Patre.

Etenim nos Catholici, cùm Chriſtum eſſe eiuſdem cum Patre eſſentiæ & poteſtatis credamus; conſequenter dicimus, Chriſtū quà Deus eſt, non eſſe dependentem à Patre, ſed eiuſdem cum Patre poteſtatis. Licet enim ſine Patre nihil poſſit facere, id tamen non ex defectu poteſtatis, ſed ex vnitate naturæ, & eius inſeparabilitate à Patre, credimus prouenire. quemadmodum enim naturâ ſunt inſeparabiles ab inuicem: ita & poteſtate, & operatione. quomodo locum Ioan: 5. 19. intelligendum eſſe docemus. At quà homo eſt, Chriſtū in vſu ſuæ poteſtatis à Deo dependere, ita perſpicuè Sacræ literæ docent, vt mirum ſit à Smalcio id negari potuiſſe. Etenim cùm Chriſtus in terris degeret, & poteſtate ſua in miraculis faciendis vti vellet, ad Deum Patrem ſe conuertere ſolitus erat, ipſiusq; nomen inuocabat. vti in panum miraculoſa multiplicatione, Euchariſtiæ inſtitutione, Lazari reſuſcitatione factum legimus. Hoc autem, an non eſt in vſu poteſtatis dependere à Deo? Oratio verò illa, quam ſæpenumerò ad Patrem pro diſcipulis ſuis faciebat, præcipuè verò poſt vltimam cœnam, an non manifeſtum facit, eum opem & auxilium Patris in conſeruandis diſcipulis imploráſſe, & ab eo dependere voluiſſe? Sæpè verò proteſtatus eſt, ſe opera ſua in nomine Patris, & mandato Patris facere, illiſq; duobus filijs Zebedæi clarè teſtificatus eſt, ſedere ad dexteram ſuam vel ad ſiniſtram, non eſſe ſuæ ſed Paternæ poteſtatis, ſeu quibus paratum eſt à Patre. quam etiam ob cauſam in ſcriptura ſeruus Dei appellatur, Iſaiæ 42. 2. vti D. Matth: exponit cap: 12. 18. & à Patre ſuo ipſos etiam electos & oues ſuas ſibi datas eſſe paſſim disertè confitetur. Ioan: 17. & alibi. poſtquam verò in cœlum conſcendit, & ad dexteram Patris conſedit, an non apparet vultui Dei pro nobis, & pro nobis interpellat, & aduocatum noſtrum apud Patrem agit? vt ex epiſtola ad Hebræos manifeſtum eſt. Deinde ſacrificium illud, quod tanquam ſacerdos in æternum, Deo in cœlis offert pro nobis, Hebr: 8. 3. (quod etiam aduerſarij fatentur) an non oſtendit in impertienda nobis ſalute, ipſum, quà homo eſt, à Patre ratione ſuæ poteſtatis dependere? quæ omnia indicant Chriſtum

quà homo, dependet in vſu poteſtatis à Patre, contra Smalcium.

Ideo ſeruus Dei ab Iſaia vocatur.

Chriſtum ratione poteſtatis creatæ, quam à Patre accepit, à Patre dependere, non ſolùm ſecundùm poteſtatis eſſentiam, ſed etiam ſecundùm ipſius vſum. Si igitur nullam aliam poteſtatem accepit Chriſtus à Patre, præter illam creatam, quam, vt homo eſt, obtinet à Deo, nulla ratione poteſt eius poteſtatis reſpectu dici Deus independens, cùm in vſu talis poteſtatis omni ratione à Deo dependeat.

Smalcij reſpõſio, Smalcium euertit.

Quod cùm ita ſit, Smalcij reſponſio non noſtrum argumentum diſſoluit, ſed ipſum Smalcium penitus euertit. Nam ſi ille dicendus non eſt verus Deus, ſed veri Dei miniſter, qui in vſu ſuæ poteſtatis totus à Deo dependet, vti & Smalcius tandem concedit, & res ipſa loquitur, & à nobis demonſtratum eſt; conſtat autem, Chriſtum in vſu ſuæ poteſtatis, quam vt homo à Deo accepit, omni ratione à Deo dependere & illi ſubijci; conſequens eſt, Chriſtum ratione talis poteſtatis, Deum verum non eſſe, ſed veri Dei miniſtrũ. Nam & in ciuili gubernatione, is qui nomine Regis aut Domini gubernat, & à poteſtate ſuperiori dependet, non Rex aut Dominus verus dici poteſt, ſed Prorex, vel Vicarius generalis, aut Regis ac Domini miniſter & officialis. quippe ad rationem veri Regis & Domini pertinet, ſuo, non alterius nomine gubernare, & abſoluta ac ſumma poteſtate præeſſe, nec ab alterius poteſtate dependere. Quocirca Sigiſmundus Auguſtus, meritò cum Patre Sigiſmundo regnare dicebatur; quia & Rex abſolutus creatus fuerat, & independenter à Patre gubernabat, nec iure in gubernando à Patre impediri potuit. Quod de Chriſto homine Dei reſpectu dici non poteſt. is ſiquidem, quà homo eſt, in nobis ſaluandis à Dei voluntate & gratia dependet, vt ex ſcripturis demonſtratum eſt.

Chriſtꝰ quà homo in vſu poteſtatis ẽ veri Dei miniſter.

Exemplum Smalcij de Sigiſmundo Auguſto inconueniens.

Simili ratione non diffiteor poſſe quem habere Dominum ſuperiorem, & eſſe verum Dominum diuerſo reſpectu: nunquam tamen eo reſpectu dicitur quiſpiam Dominus, quo nõ eſt ſui iuris, & in quo à Domino ſuperiori, eiuſq; poteſtate dependet: ita vt qui nullo modo ſit ſui iuris, ſed in omni ſuo iure dependeat ab alio, nullo modo dici poſſit verus Dominus. quòd ſi in aliquo non ſit ſui iuris, in alio tamen ſit ſui iuris, is ex ea tantùm parte, qua ſui iuris eſt, Dominus verus dici poteſt: quà verò parte, iuri alterius ſubiacet, ſubditus alterius dicendus eſt. Sic ciues veri Domini ſunt bonorum ſuorum: ea enim ſuo iure ita poſſident, vt à Domino ſuperiori, in eo iure impediri non poſſint: quoad gubernationem verò, & alia onera, ſubditi ſunt Dominorum ſuorum, eorumq; iuri ac poteſtati ſubiacent.

Poteſt quis eſſe & Dominus et ſeruus diuerſo reſpectu.

Digitized by Google

Verùm perſpicit iam Smalcius, Deum depẽdentem quà dependens eſt, verum Deum dici non poſſe, ergo Chriſto attribuit independentiam in vſu poteſtatis, vt faciat eum independentem Deũ; quod ſua poteſtate, quam à Deo vt homo accepit, abſolutè & independenter à Deo vtatur. quod an verum ſit, videamus.

Chriſtꝰ, quà Deus eſt eiuſdem poteſtatis cum Patre,

Etenim nos Catholici, cùm Chriſtum eſſe eiuſdem cum Patre eſſentiæ & poteſtatis credamus; conſequenter dicimus, Chriſtũ quà Deus eſt, non eſſe dependentem à Patre, ſed eiuſdem cum Patre poteſtatis. Licet enim ſine Patre nihil poſſit facere, id tamen non ex defectu poteſtatis, ſed ex vnitate naturæ, & eius inſeparabilitate à Patre, credimus prouenire. quemadmodum enim naturà ſunt inſeparabiles ab inuicem: ita & poteſtate, & operatione. quomodo locum Ioan: 5. 19. intelligendum eſſe docemus. At quà homo eſt, Chriſtũ in vſu ſuæ poteſtatis à Deo dependere, ita perſpicuè Sacræ literæ docent, vt mirum ſit à Smalcio id negari potuiſſe. Etenim cùm Chriſtus in terris degeret, & poteſtate ſua in miraculis faciendis vti vellet, ad Deum Patrem ſe conuertere ſolitus erat, ipſiuſq; nomen inuocabat. vti in panum miraculoſa multiplicatione, Euchariſtiæ inſtitutione, Lazari reſuſcitatione factum legimus. Hoc autem, an non eſt in vſu poteſtatis dependere à Deo? Oratio verò illa, quam ſæpenumerò ad Patrem pro diſcipulis ſuis faciebat, præcipuè verò poſt vltimam cœnam, an non manifeſtum facit, eum opem & auxilium Patris in conſeruandis diſcipulis imploraſſe, & ab eo dependere voluiſſe? Sæpè verò proteſtatus eſt, ſe opera ſua in nomine Patris, & mandato Patris facere, illiſq; duobus filijs Zebedæi clarè teſtificatus eſt, ſedere ad dexteram ſuam vel ad ſiniſtram, non eſſe ſuæ ſed Paternæ poteſtatis, ſeu quibus paratum eſt à Patre. quam etiam ob cauſam in ſcriptura ſeruus Dei appellatur, Iſaiæ 42. 2. vti D Matth: exponit cap: 12. 18. & à Patre ſuo ipſos etiam electos & oues ſuas ſibi datas eſſe paſſim diſertè confitetur. Ioan: 17. & alibi. poſtquam verò in cœlum conſcendit, & ad dexteram Patris conſedit, an non apparet vultui Dei pro nobis, & pro nobis interpellat, & aduocatum noſtrum apud Patrem agit? vt ex epiſtola ad Hebræos manifeſtum eſt. Deinde ſacrificium illud, quod tanquam ſacerdos in æternum, Deo in cœlis offert pro nobis, Hebr: 8. 3. (quod etiam aduerſarij fatentur) an non oſtendit in impertienda nobis ſalute, ipſum, quà homo eſt, à Patre ratione ſuæ poteſtatis dependere? quæ omnia indicant Chriſtum

quà homo, dependet in vſu poteſtatis à Patre, contra Smalcium.

Ideo ſeruus Dei ab Iſaia vocatur.

Digitized by Google

Chriſtum ratione poteſtatis creatæ, quam à Patre accepit, à Patre dependere, non ſolùm ſecundùm poteſtatis eſſentiam, ſed etiam ſecundùm ipſius vſum. Si igitur nullam aliam poteſtatem accepit Chriſtus à Patre, præter illam creatam, quam, vt homo eſt, obtinet à Deo, nulla ratione poteſt eius poteſtatis reſpectu dici Deus independens, cùm in vſu talis poteſtatis omni ratione à Deo dependeat.

Quod cùm ita ſit, Smalcij reſponſio non noſtrum argumentum diſſoluit, ſed ipſum Smalcium penitus euertit. Nam ſi ille dicendus non eſt verus Deus, ſed veri Dei miniſter, qui in vſu ſuæ poteſtatis totus à Deo dependet, vti & Smalcius tandem concedit, & res ipſa loquitur, & à nobis demonſtratum eſt; conſtat autem, Chriſtum in vſu ſuæ poteſtatis, quam vt homo à Deo accepit, omni ratione à Deo dependere & illi ſubijci; conſequens eſt, Chriſtum ratione talis poteſtatis, Deum verum non eſſe, ſed veri Dei miniſtrũ. Nam & in ciuili gubernatione, is qui nomine Regis aut Domini gubernat, & à poteſtate ſuperiori dependet, non Rex aut Dominus verus dici poteſt, ſed Prorex, vel Vicarius generalis, aut Regis ac Domini miniſter & officialis. quippe ad rationem veri Regis & Domini pertinet, ſuo, non alterius nomine gubernare, & abſoluta ac ſumma poteſtate præeſſe, nec ab alterius poteſtate dependere. Quocirca Sigiſmundus Auguſtus, meritò cum Patre Sigiſmundo regnare dicebatur; quia & Rex abſolutus creatus fuerat, & independenter à Patre gubernabat, nec iure in gubernando à Patre impediri potuit. Quod de Chriſto homine Dei reſpectu dici non poteſt. is ſiquidem, quà homo eſt, in nobis ſaluandis à Dei voluntate & gratia dependet, vt ex ſcripturis demonſtratum eſt.

Smalcij reſponſio, Smalcium euertit.

Chriſtus quà homo in vſu poteſtatis è veri Dei miniſter.

Exemplum Smalcij de Sigiſmundo Auguſto inconueniens.

Simili ratione non diffiteor poſſe quem habere Dominum ſuperiorem, & eſſe verum Dominum diuerſo reſpectu: nunquam tamen eo reſpectu dicitur quiſpiam Dominus, quo nõ eſt ſui iuris, & in quo à Domino ſuperiori, eiuſq; poteſtate dependet: ita vt qui nullo modo ſit ſui iuris, ſed in omni ſuo iure dependeat ab alio, nullo modo dici poſſit verus Dominus. quòd ſi in aliquo non ſit ſui iuris, in alio tamen ſit ſui iuris, is ex ea tantùm parte, qua ſui iuris eſt, Dominus verus dici poteſt: quà verò parte, iuri alterius ſubiacet, ſubditus alterius dicendus eſt. Sic ciues veri Domini ſunt bonorum ſuorum: ea enim ſuo iure ita poſſident, vt à Domino ſuperiori, in eo iure impediri non poſſint: quoad gubernationem verò, & alia onera, ſubditi ſunt Dominorum ſuorum, eorumq; iuri ac poteſtati ſubiacent.

Poteſt quis eſſe & Dominus et ſeruus diuerſo reſpectu.

Digitized by Google

Hæc autem non eo conſilio à me dicuntur, quòd Chriſtum Dominum negem eſſe Dominum abſolutum, & vnà cum Patre regnantem. Nos enim Catholici cùm hominem illum eſſe Deum verum credamus, & eiuſdem cum Patre naturæ ac poteſtatis: negare non poſſumus, eſſe quoq; Dominum & Regem noſtrum; ita vt non ſolùm Deum credamus, eſſe Dominum noſtrum, ſed & hominem illũ, quatenus per vnionem hypoſtaticam Deus eſt.

Chriſtꝰ quà homo nequit dici verè Deus ratione poteſtatis.

Id verò quod à me negatur, eſt, Chriſtum ratione illius poteſtatis & Dominij, quod, vt homo, accepit à Patre, Deum verè ac propriè dici poſſe. Chriſti enim, quà homo eſt, poteſtas, Diuinæ poteſtati omnino ſubiecta eſt. Dei verò propria poteſtas ſumma eſſe debet, & nulli alteri poteſtati ſubiecta.

Ariani Chriſtum nec verum Deũ, nec ſummũ abſolutè Dominum dicere poſſunt.

Quocirca cùm Ariani in Chriſto, nullam aliam poteſtatem, præter eam, quam, vt homo, accepit, agnoſcant, non poſſunt vllo modo Chriſtum verum Deum, & propriè Deum confiteri. Talis enim poteſtas ad Dei veri & proprij rationem non ſufficit, ſed ſumma & independens requiritur. Qua etiam ex cauſa, Chriſtum nec ſummũ Regem aut Dominum abſolutè dicere poſſunt, cum ſcriptura, ſed ſummum poſt Deum, & inter eos, qui ſunt præter Deum, ſummum. quomodo Prorex & Vicarius Generalis dici poteſt ſummus in Regno poſt Regem, licet abſolutè non ſit ſummus Dominus. Nos verò & quà homo eſt, Dominum eum agnoſcimus, ſed Deo inferiorem, & ei ſubiectum; iuxta illud, *Pater maior me eſt*: & quà Deus eſt, æqualem cum Patre Dominum. quòd ſi æqualem, iam non ſubiectum. Subiectio enim cum æqualitate pugnat. Tale verò ſolum Dominiũ, quod nulli ſit ſubiectum, in Deum propriè conuenit.

Scripturas pugnãtes in ſpeciem rectè conciliãt Catholici.

Atq; hoc modo ſcripturas in ſpeciem pugnantes rectè componimus: quæ partim Chriſtum in nobis gubernandis & ſaluandis, à Deo dependentem indicant: partim eſſe Dominum abſolutum, Deo ipſi æqualem oſtendunt: illæ enim de poteſtate creata Chriſti, quà homo eſt, loquuntur: hæ verò de increata & Diuina. Etenim Chriſtus, quà homo eſt, nos ſaluat orando, ſacrificando, pro nobis ſanguinem fundendo, gratiam & gloriam promerendo. quà Deus verò ſaluat nos, dum abſoluta ſua poteſtate, gratiam & vitam æternam nobis donat, vt vnus cum Patre Dominus. prior poteſtas eſt mediatoris, poſterior eſt Dei veri. Sed hæc Ariani cùm admittere nolunt, meris errorum tenebris ſe inuoluunt, & veritatis lucem nunquam videre poſſunt.

Iam cùm

Digitized by Google

Iam cùm Smalcius probat, Chriſti abſolutum & ſummum Dominium, ex eo quòd Pater omne iudicium dedit filio, Ioan: 5. 22. ſi ſolum iudicis officium ſpectat, non aduertit iudicis officium longè à Dominio diſtare. quot enim ſunt in Repub. iudices conſtituti, quorum nullus eſt verè eorum Dominus quos iudicat? Etenim iudex poteſt non ſuo, ſed Principis vel Reipub nomine iudicare; neque tunc iudicabit vt Dominus, ſed ex officio, & delegata ſibi poteſtate, & vt Domini perſonam repręſentans. Si verò ſummam iudicandi poteſtatem, qualis Deo vero conuenit, Chriſto tribuat; ratione talis poteſtatis, erit quidē Chriſtus abſolutus & ſummus Dominus, & æqualis Deo; ſed talis poteſtas non erit creata ſed increata, vt in ſequentibus demonſtrabimus. ita vt Chriſtus, & quà homo, ſit ſummus iudex poſt Deum; & quà Deus, ſit ſummus vt Deus, quia æqualis Deo.

Smalcij probatio diluitur.

Aliud eſt eſſe iudicem, aliud Dominum.

Cùm verò adducit locum 1. Cor: 15. vbi Chriſtum, regno Patri tradito, ſubditum Patri futurum legimus, quo conſtare ait, Chriſtū nunc non Dei miniſtrum eſſe, nec ſubditum, ſed vnà cum Patre regnare. Ad id reſpondendum eſt, Chriſtum, quà Deus eſt, eſſe Patri æqualem, non ſubditum, & æquali cum Patre poteſtate regnare, nēpe, ſumma illa & increata (quæ Deo propria eſt) poteſtate: quà verò homo eſt, & nunc Patri ſubiectum eſſe, & poſt diem iudicij ſpeciali quadam ratione ſubiectum fore. Etenim quamuis ſecundùm ſcripturas, Chriſti poteſtas ſit futura æterna, & regni eius non erit finis; tamen quoad eam regnandi rationem, qua nunc in Eccleſia militante regnat, prædicans in ea præceptum Patris, & leges vitæ æternæ a Patre acceptas, iiſq; homines obligans, & ſibi ac Patri ſubijciens, poſt diem iudicij regnare deſinet, non amiſſione poteſtatis, ſed quòd illo modo regnare, non ſit tunc futurum neceſſarium; idcircoq; tunc impleto numero electorum, & collectis ac Deo ſubiectis omnibus fidelibus, quaſi labore regnandi perfunctus, tradet Deo & Patri regnum; & officio illa ratione regnandi depoſito, ſubiectus, quà homo, erit Patri; nempè quoad illam regnandi rationem, à qua tunc vacabit. licet nec poteſtate regnandi, Rex eſſe vnquam deſinet; & nobiliori regnandi ratione, quæ illi eſt cum Patre communis, regnabit. Etenim nunc regnat, vt redemptor & mediator, ſalutem noſtram varijs modis procurando; tunc regnabit, vt Deus, clara ſui viſione homines felices beatoſq; reddendo. Etſi igitur Chriſtus, quatenus poteſtate ſumma & increata Eccleſiam ſuam modo gubernat,

Locus ſcripturæ de Regno, Patri à Chriſto tradendo, explicatur.

Chriſtꝰ quà homo, qua ratione poſt diem iudicij regnare deſinet.

Quomodo tunc ſubiectus erit Patri?

Chriſtꝰ quomodo nunc regnat.

non ſit ſubditus, ſed æqualis Deo Patri, non miniſter, ſed vnà cum Patre regnans: tamen, quatenus creata illa poteſtate, naturæ humanæ communicata, nos gubernat, ſic & Patris Miniſter, & Patri ſubditus dici debet. Nam etiam nunc in cœlo, orando pro nobis, interpellando, ſacrificando, merita ſua nobis applicando, ſalutem noſtrã procurat. Hac verò regnandi ratione perfunctus, ſpeciali quadam ratione dicitur, fore ſubditus Patri, vt dictum eſt; non quod nunc quoq; non ſit ſubditus, ſed quòd nunc, illa ſpeciali ratione, qua tunc ſubiectus erit Patri, nõ ſit ſubiectus. ſed de hoc plura in ſecũdo libro.

quomodo Patri miniſter dici debet.

Porrò Chriſtum, Miniſtrum Dei in ſcriptura appellari, probaueram ex loco ad Hebr: 8. 2. vbi Chriſtum, *Miniſtrum Sanctorum*, ſeu Sanctuarij cæleſtis appellat Paulus; cuius teſtimonij vim euadere ſe putat Smalcius, oſtendendo, non miniſtrum Dei, ſed Sanctorum ſeu Sanctuarij eo in loco Chriſtum vocari. quaſi verò Paulus non per modum ſummi Pontificis Chriſtum vocet Miniſtrum. ſummum verò Pontificem, Dei miniſtrum eſſe, & Deo in ſuo officio miniſtrare, eiq; ſacrificare, nemo eſt, qui dubitare poſſit.

Smalcij euaſio futilis.

Cùm verò addit, diuerſo reſpectu Chriſtum eſſe ſimul & miniſtrum & Dominum Sanctuarij. Miniſtrum, quatenus poteſtate ſibi à Deo conceſſa, cœlum adminiſtrat: Dominum, quatenus ea poteſtate abſolutiſſimè vtitur, quidquid libet in cœlo faciendo, & ad cœlum homines perducendo. id non rectè à Smalcio dici, ſic oſtendo. Nam etſi non repugnet, diuerſo reſpectu eundem dici Miniſtrũ & Dominum: cùm etiam nos Chriſtum, quà homo & mediator eſt, Miniſtrum ſalutis; quà verò Deus eſt, ſummum Dominum eſſe concedamus: repugnat tamen Chriſtum, in munere Sacerdotis ſummi, ratione cuius dicitur Miniſter cœleſtis Sanctuarij, Domini rationem exercere. Summus enim Sacerdos, orando, pro nobis interpellando, ſacrificando, munus ſacerdotale exercet: in quibus actionibus totum ſe ſubijcit Deo, non verò abſoluta auctoritate vtitur.

Smalcij pugnãtia dicit.

Iam igitur quilibet perſpicere poteſt, quàm efficax ſit noſtrum pro Chriſto contra Arianos argumentum, ſi Chriſtus Deus dependens & ſubordinatus ſtatuatur, Deum verum & propriè non eſſe, ſed Dei veri Miniſtrum, friuolaq; & inania eſſe, quæ à Smalcio ad vim argumenti declinandam afferuntur. Etenim clarè conſtat Chriſtum in omni ea poteſtate, quam aduerſarij Chriſto, vt homo eſt, communicatam confitentur (quæ poteſtas eſt mediatoris & Redemptoris) à Deo

Digitized by Google

ris) à Deo dependere, tàm in eius à Deo acceptione, quàm in omni eius vſu, vti demonſtratum eſt, in eaq; non ſummi Domini iure agere, ſed ſacerdotis & Miniſtri, Deum pro nobis interpellantis, eidemq; pro nobis ſacrificium offerentis.

Si Chriſtus pro Deo vero colendus ſit, nullo modo Deum diuerſum dici poſſe, ſed vnum cum Patre Deum. CAP: VII.

VRgentur à nobis Ariani, & quidem potentiſſimè, vt niſi Chriſto cultum Diuinum denegare velint, eum eſſe vnum cum Patre Deum fateri debeant. alioqui ſi non vnus cum Patre Deus, ſed ab eo diſtinctus ſtatuatur; plures Deos Chriſtianis colendos eſſe, fateri abſurdiſſimè, compellentur. quod, ſi illi per ſummam impudentiam temeritatemq; abſurdum non reputant: id nihilominus ita ſanctarū ſcripturarū veritati ac rationi ipſi repugnat, vt nil in religione Chriſtiana abſurdius dici aut cogitari poſſit. Etenim cùm ſcripturæ innumeris in locis vnum Deum nobis proponūt, de eo Deo loquuntur, qui à nobis cultu Diuino coli debet. ergo is, qui nobis pro Deo colēdus ſit, ſecundùm ſcripturas non eſt, niſi vnus. quare plures Deos colendos ſtatuere, eſt omnibus ſcripturis contradicere.

Ariani abſurdiſſima pro abſurdis non reputāt.

Omnib. ſcripturis cōtra dicunt.

Id verò ita eſſe, vel vnicus locus apud Marcum cap: 12. manifeſtū facit, vbi id eſſe primum & omnium maximum mandatum dicitur: *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* quid enim ſibi volunt illa verba, Deus tuus, niſi quòd, is Deus, quem pro Deo habere & colere debes, vnus eſt. Quocirca & in Deut: cap: 6. 5. (vnde hæc verba deſumpta ſunt) mox cultus vnius Dei præſcribitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* In hoc verò apud Marcū loco, cùm ſcriba edoctus à Chriſto, vnum Deum confeſſus eſſet, & non eſſe alium præter eum: eumq; ſumma illa dilectione ex toto corde colendum affirmâſſet, Chriſtus id non ſolùm collaudauit, tanquā ſapienter dictum; ſed etiam eum non eſſe longè à regno Dei pronunciauit. Quocirca vel ex hoc vno loco apparet, quanta impietate ſe obligent Ariani omnes, cùm contra primum & omnium maximum mandatum, plures Deos, præter vnum colendos proponunt.

Mandatum primum & omnium maximū de vno Deo colendo violat impudēter.

Eandem veritatem Chriſtus apud Matth: cap: 4. 10. illis verbis expreſſit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies:* Cùm enim Dæmon, Diuinum ſibi cultum arrogaret, Chriſtus legem Diuinam protulit, qua cauetur, ne quenquam liceat Diuino cultu, præter ſolùm Dominum Deum, colere.

Digitized by Google

Reſponſio Smalcij inepta & abſurda.

Reſpondet Smalcius, hæc ex lege veteri deſumpta, & de tempore veteris legis dicta eſſe: in lege enim noua præter vnum Deum, etiam Chriſtum colere iubemur. Apoc: 5. 13. *Sedenti in throno & Agno, benedictio & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Philip: 2. *in nomine eius omne genu flectatur.* Quid ineptius! Ergonè lex noua primũ & maximum mandatum euertit? Si enim plures Dij colendi ſunt præter vnum, mandatum illud longè maximum de vno Deo colendo conſiſtere non poteſt, falſũmq; erit in lege noua, vnum tantùm Deum colendum eſſe. quare & expungendum ex toto Euangelio erit tanquam legi Euangelicæ aduerſum. Vnum enim & non vnum Deum colendum eſſe, pugnantia ſunt.

Quãti Chriſtus fecerit legem veterem & mandata Dei, cõtra quàm faciunt Ariani.

Chriſtus ſanè diſertiſſimè faſſus eſt, ſe non veniſſe vt legem ſolueret, ſed adimpleret: neq; id vnquam egit, vt euerteret vel mutaret Dei mandata, ſed vt ea magis ſtabiliret & confirmaret. Ac in particulari, quod attinet ad illud, de vno Deo colendo, mandatum, id Chriſtus in lege noua, non ſolùm non abrogauit, ſed etiam confirmauit; & eſſe primum maximumq; mandatum docuit. & eos, qui illud reciperent, ſapientes, ac Regno Dei proximos eſſe declarauit. quod certè non feciſſet, ſi eiuſmodi mandatum legi Euangelicæ contrarium eſſet: neq; rectè Dæmonem ex lege veteri confutaſſet, ſi ipſe cum Euangelio legem contrariam attuliſſet. Quocirca & Paulus 1. Cor: 8. hoc mandatum de vno Deo, non ſolùm Chriſtianis propoſuit, ſed etiam tale eſſe oſtendit, quod ignorari à nemine poſſit. *Scimus*, inquit, *quia idolum nihil eſt, & quòd nullus ſit alius Deus, niſi vnus.* quomodo ergo ſoli Ariani ignorant, quòd omnes Chriſtianos Paulus ſcire aſſerit? aut quomodo Chriſtianorum proprium eſt, non vnum Deum colere, cùm Paulus aſſerat ſe, & Chriſtianos omnes, ſcire & credere non eſſe alium Deum, præter vnum. Deinde ibidem addit: *Nobis autem vnus eſt Deus.* quorum verborum is eſt ſenſus, quòd etſi Gentiles multa idola & varios Deos colant; nobis tamen, qui Chriſtiani ſumus, non licet niſi vnum Deum colere. Idem de vno Deo repetit, & 1. Tim: 2. 5. & ad Epheſ: 4. 6. Gal: 3. 20. vt nullo modo de vno Deo mandatũ, in lege noua receptũ & confirmatũ eſſe negari poſſit.

Ariani õnium Chriſtianorũ ignorantiſſimi, iuxta Paulum.

Adde quod D. Iacobus in ſua epiſtola cap: 2. 19. de eadem re ita loquitur. *Tu*, inquit, *credis, quoniam vnus eſt Deus: benè facis. & Dæmones credunt & contremiſcunt.* indicans etiam in lege noua bene credi, quòd Deus ſit vnus; eos verò qui id non credunt, Dæmonibus ipſis deteriores eſſe.

Dæmonibus

ores eſſe. qui hoc ipſum non poſſunt non credere, adeò vt etiam credendò contremiſcant. Et ſanè ſcriptura, Deum vnum, ideo nobis proponit, vt Vnum ſolùm colamus. Colere igitur plures Deos, toti ſcripturæ maximè aduerſatur. præſertim cùm eadem ſcriptura ita vnum Deum proponit, vt non eſſe alium, præter vnum affirmet: Vt nemini in mentem venire poſſet, alium quempiam præter vnũ, pro Deo colendum eſſe. *deteriores, qui Deos plures aſſerunt.*

Nam cùm aiunt, ſcripturam in lege noua, Chriſtum quoque, præter Deum Patrem colendum proponere, quis inficiatur? Verùm non hoc modo agimus, an Chriſtus etiam colendus ſit; ſed an, vt vnus Deus; vel an, vt alter Deus colendus ſit. Nos enim Chriſtum quoq; coli debere non negamus, ſed negamus pro altero Deo colendum eſſe: Pro vno verò eodemq; cum Patre Deo colendum aſſerimus. *Non eſt controuerſia an Chriſtus ſit colẽdus, ſed an vt vnus idemq; eſt Deus cum Patre.*

Quod cùm plurimis alijs ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs à nobis docetur: tùm hoc loco id potiſſimùm vrgemus, quòd ſcriptura non niſi vnum Deum colendum nobis proponat, eoq; ipſo alterum omnem Deum colendum excludit ac prohibet. aut igitur Chriſtus nõ erit pro Deo colendus, aut pro vno eodẽq; Deo coli neceſſariò debet. *Hoc Catholici cõtra Arianos probãt argumẽto inexpugnabili.*

Crepent licet Ariani, vim huius argumenti euadere, nunquam poterunt. Vt enim ſupra demonſtrauimus, etſi in noua lege oſtendantur plures, qui colendi ſint, quibuſq; veri Dei nomen competat: tamen ſimul in eadem præcipitur non niſi vnus Deus colendus; nec quidquam ſcripturis magis repugnat, quàm plures Deos colere. Si igitur, iſta duo copulanda ſunt, & vtraq; veritas admittenda, dicendum eſt ſecundùm ſcripturas, & plures eſſe illos, qui pro Deo colendi ſunt: & illos plures, eſſe vnum Deum, & pro vno Deo colendum. In alio quidem plures: in alio verò vnum. plures in perſonis: vnum in eſſentia Diuina. Et licet homo, quà homo, ſeu per naturam humanam, non ſit eſſentialiter Deus, is tamen, qui homo eſt, eſt etiam per aliam naturam eſſentialiter Deus. Hoc verò illud eſt Chriſtianæ legis proprium myſterium, non quod Aduerſarij ſomniant. nam plures Deos colere, Ethnicorum eſt, non Chriſtianorum proprium. Plures verò, eſſe vnum Deum, & pro vno Deo colendos, id eſt maximè Chriſtianorum proprium. Sic enim & vnus Deus colitur, quod ſcriptura grauiſſimè præcipit, & plures colendi ſecundùm ſcripturas creduntur. *Secũdũ ſcripturas, plures ſunt colendi, ſed nõ niſi vt vnus Deus.* *Idq; eſt myſteriũ Chriſtianæ legis proprium.*

Et quidem aduerſarij, cùm ne vnum quidem iota ex ſcriptura *Aduerſario*

 proferre

rū in Ethni-ciſmo aſſerē-do, impudē-tia & æqui-uocatio.

proferre poſſint, pro pluribus Dijs colendis, ſeu pro diuerſitate Deorum colendorum; Nos verò pro vnitate Dei innumera loca adducimus: ſunt tamen ita temerarij & impudentes, vt omnibus ſcripturis contradicere malint, quàm ſua ſententia cedere,& æquiuocationem craſſiſſimam, qua ſe & rem totam inuoluunt, agnoſcere. Cùm enim plures eos, qui pro Deo colendi ſunt, ſcripturæ teſtimonijs comprobant, eoſdem eſſe plures Deos (quod ſcriptura non dicit,ſed contradicit) inferunt; quaſi plures dici non poſſint, niſi ſint etiam Deitate plures. Nos igitur & cum ſcriptura plures eſſe colendos admittimus, & illos plures, eſſe vnum Deum, & pro vno colendos Deo, cum eadem ſcriptura affirmamus: pluralitatem ad perſonas, vnitatem ad naturam Diuinam referendo.

Alter Smalcij fucus.

Reſpondet ſecundò Smalcius. ſi ille alter Deus, ſit vni Deo ſubordinatus, verè dici poſſe vnum Deum coli; quòd ille cultus alterius in vnius ſummi Dei gloriam redundet. Verùm hic quoq; eſt alter Smalcij fucus. Etenim ſi alter quoq; Deus, etiamſi ſubordinatus, præter vnum ſummum Deum colatur, non ſolùm verum erit, ſummum Deum in Deo ſubordinato coli, ſed & ipſum Deum ſubordinatum,tanquam diuerſum Deum & diuerſo honore,atq; ob diuerſam Diuinitatem coli in ſeipſo. quare ſimpliciter verum non eſſet, vnum Deum coli, cùm reuera plures colerentur. & quamuis ad honorem ſummi Dei, Deus ſubordinatus coleretur; adhuc tamen coleretur, vt diuerſus Deus: & tanquam diuerſus,ad honorē ſummi Dei referretur. Non igitur hæc relatio ad honorem ſummi Dei efficit,vt plures Dij non colantur. Siquidem Deus ille ſubordinatus, non ſolùm propter ſummum Deum coleretur, ſed etiam propter propriam Diuinitatem, à Diuinitate ſummi Dei diſtinctam.

Si Deus alter, etiamſi ſubordinatꝰ colatur, non poterit dici vnum Deum coli.

Accedit, quòd ex ſubordinatione non ſequitur vnitas ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, neq; vnitas eſſentialis ſed accidentalis. Vnitas enim ſimpliciter, eſt vnitas ſecundùm eſſentiam: vnitas verò ſecundùm ſubordinationem, eſt vnitas ordinis. Quare ſi ſtatuatur Deus ſubordinatus alteri, ſequetur eſſe plures Deos eſſentialiter diſtinctos, ac proinde plures ſimpliciter. ſolùm verò accidentaliter,& ſecundùm quid,eſſet vnus Deus. quia ille alter ad illum vnum referretur: quæ vnitas & accidentalis eſt,& non tollit diuerſitatem eſſentialem Deorum.

Ex ſubordinatione non ſequitur vnitas ſimpliciter.

Porrò cùm ſcriptura docet, Deum eſſe vnum, loquitur de vnitate eſſen-

tate eſſentiæ, ita vt velit, non eſſe plures Deos eſſentia diuerſos Hoc enim indicant illi modi loquendi, dum dicitur Deus ita vnus, vt non ſit alius præter eum, vel extra eum, ante vel poſt eum, deniq; vt ſolus ſit Deus. Qui modi loquendi non eſſent veri, ſi plures Dij eſſentia diſtincti admitterentur: quantumuis fingerentur ſubordinati. Nã tales Dij, quoad eſſentiam, eſſent extra vnum illum Deum, præter Deum, ante Deum, eſſent deniq; alij Dij ab illo. & ſic non eſſet illo modo vnus Deus, quem ſcriptura requirit.

Ingens ſtupiditas Smalcij. Non igitur eſt ignorantia Smiglecij, exiſtimare, ſubordinata non eſſe vnum ſimpliciter, ſed ingens ſtupiditas Smalcij eſt, ea, quæ ſunt ſecundùm quid vnum, eo loco habere, ac ſi eſſent vnum ſimpliciter: & ex eo, quòd vnus Deus ſubordinatur alteri, arbitrari, eſſe vnum Deum ſimpliciter. Scriptura enim prædicat, eſſe Deum vnum ſimpliciter: Smalcius verò, ſolùm ordine eſſe vnum docet; quod eſt eſſe vnum, ſecundùm quid. eaq; vnitas ſtat cum multitudine Deorum ſimpliciter.

Implicat, Deum dici & eſſe ſubordinatum. Iam verò ita id falſum eſt, quod ab iſtis aſſeritur, vt implicet contradictionem manifeſtam, Deum dici & eſſe ſubordinatum. Nam ſi ſumma & abſoluta poteſtate præſit, erit æqualis, non ſubordinatus Deo: non enim æqualis æquali ſubordinatur, ſed inferior ſuperiori. Si verò non ſumma & abſoluta poteſtate præſit, non erit Deus, ſed Dei vicarius vel Miniſter: ſicut, qui Regno præeſt, non ſumma & abſoluta poteſtate, etiamſi omnem Regis poteſtatem habeat, non eſt Rex ſed Vicerex, ſeu Regis Vicarius.

Non õnis acceptio poteſtatis ſubordinatum facit vel inferiorem. Neq; verò propterea, quòd Chriſtus poteſtatem ſuam Diuinam accepit à Deo, dici debet ſubordinatus Deo. non enim accepit poteſtatem ſubordinatam, dependentem, minorem, ſed æqualem & eandem cum poteſtate Patris. quare ratione poteſtatis, non eſt ſubordinatus Deo, ſed eiuſdem poteſtatis cum Deo. Nam is qui poteſtatem accipit ab altero, ſed æqualem, non eſt poteſtate illo inferior; neque eſt illi ſubordinatus, quoad poteſtatem, ſed æqualis: ita vt non omnis acceptio poteſtatis inferiorem faciat, ſed ſolùm acceptio minoris poteſtatis. quod exemplo à Smalcio poſito declarari poteſt. *Exemplo à Smalcij declaratur.* Etenim ſi Sigiſmundus Pater, Sigiſmundo Auguſto reſignaſſet Regnũ, cum pari & abſoluta poteſtate, quam ipſe habuit, nemo diceret, Sigiſmundum Auguſtum fuiſſe Regem ſubordinatum Patri, ſed pari poteſtate regnantem atq; Pater. Nam ſicut Pater à ſumma illa & abſoluta

ſoluta poteſtate, dicebatur Rex; ita & Filius à pari poteſtate dicendus eſt æqualis Rex, non ſubordinatus. & licet quà filius eſſet ſubordinatus Patri; non tamen quà Rex, erat ſubordinatus Regi; cùm par pari, in eo in quo eſt par, non ſubordinetur.

Reſponſio Smalcij refellitur.

Tertiò reſpondet Smalcius, ſcripturas de vno Deo colendo; de ſummo Deo intelligendas eſſe: ita vt ſolùm ſummus dicatur vnus, non vero abſolutè Deus: ideoq; ſolùm ab ijs excludi plures ſummos Deos, non verò Deos ſubordinatos. Sed facilè refellitur atq; reijcitur. Nam ſcripturæ, cùm vnum Deum prædicant, nullam faciunt mentionem ſummi Dei, ſed tantùm Dei abſolutè, qui pro Deo colendus à nobis ſit: ſenſuſq; eſt, eum Deum, qui pro Deo à nobis colendus eſt, eſſe vnum. Et quamuis verum ſit, illum Deum, eſſe quoque ſummum, tamen hoc ibi non dicitur. Non enim omnia, quæ de Deo verè dici poſſunt, in qualibet ſententia dici neceſſe eſt. Quòd ſi conſecutione deduci id debeat, ea nō poteſt eſſe alia, niſi, quod ille Deus, qui colendus à nobis eſt, non poſſit eſſe, niſi ſummus vti ſupra deduximus. Hoc verò omnem rationem Deorum ſubordinatorum euertit. Siquidem cùm non ſint ſummi, non erunt eiuſmodi Dij, qui coli pro Dijs à nobis poſſint: verumq; vtrumq; eſſe debebit, & ſummum Deum, quà ſummus eſt, eſſe vnum; & Deum, quatenus à nobis colendus eſt, eſſe vnum.

Scriptura Deum abſolutè, prædicant eſſe vnum.

Exponitur D. Pauli locus de vno Deo Chriſtianis colendo; & à calumnijs Arianorum defenditur. Cap: VIII.

Chriſtianorū ab Ethnicis diſcrimē ſecundùm Paulum.

SCriptura non ſolùm affirmat, vnum Deum colendum eſſe, ſed etiam ea veluti nota diſtinguit Chriſtianos ab Ethnicis, & idolorum cultoribus: quòd Chriſtiani vnum tantùm Deum colant, alij verò minimè. Si ergo Chriſtiani Chriſtum pro Deo colunt; vt ab Ethnicis diſſentiant, debent eum pro vno Deo, non pro diuerſo Deo colere. Id ita eſſe, indicat vel vnicus locus Pauli, 1. Cor: 8. vbi poſtquā commemoraſſet, multos Deos & Dominos eſſe in cœlo & in terra, ſubiunxit, *Nobis tamen vnus Deus.* quorum verborum ſenſus is eſt. Alij, qui Chriſtiani non ſunt, multos Deos & Dominos colunt; nobis autem Chriſtianis, non licet niſi vnum Deum, & vnum Dominum colere. Si igitur Chriſtianos non Chriſtianis in eo opponit, quòd illi non colant multos Deos, nec multos Dominos, ſed vnū tantùm Deū ac Dominum, conſequens eſt prorſus alienum à Chriſtiana religione

eſſe, Chri

Digitized by Google

eſſe, Chriſtum tanquam alium Deum, & alium Dominum colere, ſed potiùs vnum cum Patre Deum, vnum Dominum.

Smalcij deliramēta & blaſphemia.

Quare cùm Smalcius non Chriſtianum ſed Iudaicum, & abnegationem Chriſtianæ religionis eſſe ait, vnum tantùm Deum ſummum agnoſcere, vnum tantùm naturâ Deum colere, vnum tātùm independentem; & Paulo aduerſatur, & Chriſtianos Ethnicis pares facit, in eo in quo Paulus illos diſtinguit. Verùm quia hunc Pauli locū, multis falſis interpretationibus peruertit Smalcius: erit nobis paulò copioſiùs explicādus, & à cauillationibus Smalcii vindicandꝰ.

Vnus Deus & Dominꝰ Chriſtianis colēdus iuxta Paulum. Hanc mentē ſuam exponit Paulus. Primò. Quantū abhorreant à mente Pauli Ariani.

Aio igitur, mentem D. Pauli eſſe oſtendere, Chriſtianos, non multos Deos ac Dominos colere, ſed vnum Deum ac vnum Dominum. Exponit hanc ſuam mentem inprimis ℣. 4. cùm ait. *Scimus, quia idolum nihil eſt in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus*, vel vt in Græco habetur, *nullus eſt alter Deus niſi vnus.* expreſſè igitur negat alterum Deum, ab illo vno diſtinctum. Cùm autem vnum Deum idolis opponat, qui nec Dii veri ſunt, nec pro Dijs coli poſſunt, manifeſtum eſt, illū de Deo vero, qui pro Deo coli debet, loqui; vultq; Deū verū, qui pro Deo coli debeat, nō eſſe niſi vnū. nihilq; magis à mente Pauli abhorret, quàm plures Deos, qui ſint pro Dijs veris colendi, admittere. quod etiam ex ipſius ratiocinatione colligi facilè poteſt.

Ratiocinatio Pauli.

Hac enim tacita argumentatione vti videtur Paulus. idola ſi aliquid eſſent in mundo, eſſent Dij (hoc enim nomine idolorum intelligitur) at Dij eſſe non poſſunt, non ſunt igitur aliquid in mundo, ſed nihil. quòd autem Dij eſſe non poſſunt, ex eo probat. Nullus enim eſt alter Deus, præter vnum. At idola non ſunt ille vnus Deus, ſed ab illo vno Deo diſtinguuntur, non igitur ſunt veri Dij.

Occurritur obiectioni.

Neq; dici poteſt, Paulum de ſummo tantùm Deo loqui, & ſummum tantùm Deum dicere vnum: loquitur enim vniuerſè de Deo, qui non falſò, vt idola, ſed verè pro Deo colitur, nec vllam ſummi Dei mentionem facit. Si ergo eſſent plures Dij, præter Deum ſummum, qui pro Dijs coli poſſent, neq; eſſet verum abſolutè, non eſſe alium Deum, niſi vnum; nec à Paulo rectè probaretur, idola nihil eſſe, ſeu Deos veros non eſſe, ex eo quòd non ſint, ille vnus Deus. Si enim, alij quoq; eſſent Dij veri, non ſequeretur, ſi idola non ſint ille vnus Deus, non eſſe omnino Deos veros: ſiquidem præter illum vnū, alij quoq; veri Dij eſſe poſſunt. Quocirca dicendum eſt, Paulum, nullū alium agnoſcere Deū, verum, & Diuino cultu dignū, niſi vnū;

Digitized by Google

ita vt qui non ſit ille vnus Deus, nullo modo verus Deus dici poſſit.

Secundò, mẽtem ſuam aperit Apoſtolus.

Secundò, eandem mentem, ſua exponit comparatione vnius Dei cum multis Dijs. ℣. 5. *Nam etſi, inquit, ſint, qui dicuntur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra (ſi quidem ſunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus Deus.* quibus verbis aſſerit; Alijs qui Chriſtiani non ſunt, multos Deos & Dominos eſſe poſſe. At nobis, qui Chriſtiani ſumus, non eſſe multos Deos, ſed vnum. hoc enim illa particula indicat, *Nobis autem vnus Deus*: quaſi diceret, illos multos Deos in cœlo & in terra, nobis, non eſſe Deos. Indicant etiam illa verba, *Qui dicuntur Dij.* Vt enim notant SS. Patres, illos multos Deos, non re ipſa eſſe Deos, ſed nomine tantùm, & opinione hominum. Dicuntur enim Dij, cùm tamen Dij non ſint. cùmque poſtea adiungit, *Sunt enim Dij multi*, de talibus Dijs intelligit, qui dicuntur Dij, ſeu qui nomine, non re, ſunt Dij: ex quo liquet mens Apoſtoli, nempè Chriſtianis nullo modo licere, alium Deum, præter vnum, habere & colere. ſed id eſſe proprium eorũ, qui Chriſtiani non ſunt, multos Deos colere.

Obiectio Arianorum toties inculcata.

Neq; valere poteſt exceptio de ſubordinatis Dijs. nam Paulus omnes alios Deos, vni Deo opponit; & ait illos Deos, dici quidẽ Deos; at nobis Chriſtianis, non eſſe Deos veros, ſed vnum tantùm nobis eſſe Deum verum. Illi enim Dij, ſi non ſint ſubordinati vni vero Deo, falſi Dij ſunt, ac proinde nobis Dij eſſe non poſſunt. Si verò ſint aliqui ex ijs ſubordinati, dici quidẽ Dij poſſunt. at eſſe veri Dij nõ poſſunt; cũ ſint ſolùm propter ſimilitudinẽ Dij, non propter naturam.

Tertiò mens Pauli eadẽ patet.

Tertiò eadem mens Pauli ex eo etiam colligitur, quòd eo ſenſu vult nobis eſſe vnum Deum, vt non ſit alter præter vnum. quicunq; ergo fuerit alter Deus, prætèr illum vnum; ille Chriſtianis, non eſt verus Deus. expreſſè enim Paulus addit, non eſſe alterum præter vnũ.

Smalcij interpretatio

Smalcius hæc Pauli verba duplici ratione contorquet. Nam inprimis cùm Paulus ait, multos eſſe, qui dicuntur Dij in cœlo & in terra, non vult Paulum intelligere, Deos falſos gentilium, ſed Deos veros in cœlo & in terra, nempè homines & Angelos, quos ſcriptura Deos appellat. Colligit autem hanc ſuam interpretationem, tùm ex eo, quòd Paulus indefinitè loquitur de omnibus ijs, qui poſſunt dici Dij, at non ſolùm Gentilium Dij, poſſunt dici Dij, verùm etiam alij veri Dij: tùm quia Gentiles, nullos Deos in vero cœlo poſuerunt, ſed poſt mortem in campis Eliſijs degentes; tùm denique quia alioqui Paulus confirmâſſet errorem Ethnicorum, addendo: Sicut ſunt Dij multi, & Domini multi.

Verùm

Digitized by Google

Verùm hæc interpretatio & falſa eſt, & mentem totam Pauli euertit, facitq; Paulum id aſſerere, quod expreſſè negat: Falſam eſſe, indicant duæ particulæ: vna eſt, (*Nobis autem vnus eſt Deus*) quibus verbis illos multos Deos in cœlo & terra, à nobis Chriſtianis reijcit, & ſolùm vnum Deum nobis attribuit. porrò ij Dij, quos Chriſtianis habere pro Dijs veris non licet, primo loco ſunt falſi Dij: deinde & Dij ſubordinati: qui etſi in ſcriptura ſuo modo dicantur Dij: veri tamen Dij & colendi nec dicuntur, nec ſunt: ſed tantùm ſunt Dij propter ſimilitudinem & participationem. Altera quoq; particula id indicat. de illis enim multis Dijs aſſerit Paulus, quòd dicantur Dij, hoc eſt, nomine ſint Dij, non re, vt paulò ante ex interpretatione SS. Patrũ expoſuimus. At id falſis Dijs præcipuè conuenit, quòd dicantur Dij, ſeu quòd nomine tantùm ſint Dij. nam Dijs ſubordinatis conuenit eſſe Deos, non ſolo nomine, ſed aliquo modo re (licet non omnino) propter ſimilitudinẽ & participationẽ, quam Dij falſi nullã habent.

Falſa eſſe demonſtratur.

Neq; ſolùm hæc interpretatio eſt falſa, ſed etiam totam Pauli mentem euertit. Vult enim probare Paulus duo. Primùm, idola eſſe nihil, ſeu non eſſe veros Deos, vt putantur. quia Deus verus, vnus eſt, & non eſt alius Deus, niſi vnus. cùm igitur idola, ſint extra illum vnum Deum, non ſunt veri Dij, ac ex conſequenti, ſunt nihil. Alterum eſt: *Nobis eſſe vnum Deum.* quia etſi multi ſunt Dij in cœlo & terra: tamen illi Dij non ſunt noſtri Dij; & dicuntur ſolùm Dij, non autem ſunt veri Dij. Noſter autem Deus, eſt vnus. Vtrumq; hoc argumentum Pauli ruit, ſi plures veri Dij admittantur, vt partim res ipſa loquitur: partim paulò ante demonſtratum eſt. Non igitur nomine multorum Deorum, Paulus veros intelligit, ſed vel falſos Gentilium Deos; vel certè qui tantùm ob ſimilitudinem ſunt Dij; non autem veri Dij.

Facit Paulum aſſerere id, quod adeò clarè negat.

Neque verò ratiunculæ Smalcij, quicquam concludunt. Nam quod ait Paulum indefinitè loqui, de ijs qui dicuntur Dij, reſpondendum eſt. voces quidem indefinitas eſſe: at ex circumſtantiis loci, ad eos tantùm, qui nomine ſunt Dij, determinantur. quòd ſi propter indefinitam locutionem nobis non licet determinatè de Dijs falſis, verba Pauli accipere: pari ratione non licebit Smalcio eadem determinatè de Dijs ſubordinatis interpretari. quanquam non repugnarem, ſi quis verba Pauli vniuerſè, de omnibus, qui dicuntur Dij, re autem vera non ſunt Dij veri, interpretetur. Sic enim & falſi Dij

Smalcij ratiunculæ nihil cõcludũt. Prima.

Digitized by Google

Gentiles, & Dij qui per ſimilitudinem dicuntur Dij, comprehendentur, vti dictum eſt.

Secunda. Turpis error Smalcij. Cùm verò negat Smalcius, illos Deos Gentilium fuiſſe in cœlo, turpiſſimè errat. Cùm ſcriptura teſte, Gentiles Solem, Lunam, Sydera, & omnem militiam cœli adorauerint pro Dijs, ipſiſq; ſacrificauerint. 4. Reg: 23. 5. vt mirum ſit tantum Rabinum, rem tam claram & cuiq; obuiam ignoraſſe.

Tertia. Deniq; cùm addit, illos multos Deos, vocari à Paulo verè Deos. ait enim: *Sicut ſunt Dij multi & Domini multi.* reſpõdendũ eſt, illos qui dicuntur Dij ſeu qui nomine tenus Dij ſunt, aſſeri à Paulo eſſe Deos & Dominos, quòd re ipſa ab hominibus pro Dijs haberentur: quos tamen mox reijcit, cùm addit; *Nobis tamen vnus Deus.* indicat enim, illos multos Deos in cœlo & in terra, Nobis Chriſtianis non eſſe Deos & Dominos. alioqui, ſi illi quoq; ad nos pertinerent, non minus verum eſſet, nobis eſſe multos Deos, quàm vnum, cùm tamen abſolutè Paulus loquatur: *Nobis tamen vnus Deus.*

Smalcius deprauat Pauli verba. Secundò Smalcius verba Pauli deprauat, cùm ait, Paulum illis verbis, *Nobis tamen vnus Deus,* non quemcunq; verum Deum intelligere, ſed ſummum. addit enim: *Ex quo omnia.* Vnde alios veros Deos, qui non ſint ſummi, & ex quibus non ſunt omnia, non excludit: Solumq; talem Deum, ex quo ſint omnia, ait non eſſe, niſi vnum. Nam & Chriſtus, etſi ſit Deus verus, quia tamen non eſt ſummus, ſeu is ex quo omnia, non erit ille vnus Deus, de quo Paulus loquitur.

Longè aberrat à ſcopo Pauli. Verùm longè à ſcopo Pauli aberrat Smalcius. Paulus enim duo docet. alterum eſt, Deum verum abſolutè, non eſſe niſi vnum. alterum eſt, hunc Deum vnum, eſſe Patrem, ex quo omnia. Ac primum quidem docet ℣. 4. quia nullus eſt Deus, niſi vnus. & ℣. 5. nobis *S. Pauli doctrina explicatur.* non eſſe multos Deos, ſed vnum. Poſtquam verò docuit eſſe vnum Deum, tum incipit docere, quis ſit ille vnus Deus, & ait eſſe Patrem ex quo omnia. Cùm igitur vtrumq; ſeorſim aſſerat Paulus, vtrumq; ſeorſim erit verum, nempè & Deum verum ex ratione Dei veri, non eſſe niſi vnum, omneſq; alios Deos, præter vnum, nobis non eſſe Deos veros. & præterea hunc Deum vnum non poſſe eſſe niſi ſummum. Quare prius probauit Paulus, Deum verum ex ratione veri Dei, non eſſe niſi vnum, tum deinde oſtendit: hunc Deum vnum non eſſe niſi ſummum. ita vt non ex ratione ſummi Dei, doceat eſſe vnum, ſed oſtenſo prius vno Deo, ex ratione veri Dei, docet, illum eſſe ſummum. quippe, ex quo omnia.

Quare

Digitized by Google

Quare ad obiectionem Smalcij reſpondeo, Paulum ſub ratione veri Dei, non ſub ratione Dei ſummi, dixiſſe hoc loco, Deum eſſe vnum. ac proinde hoc potentiſſimè vrgere, Deum verum non eſſe, niſi vnum. Quare cùm poſtea hunc Deum vnum, ait eſſe ſummum, quippe *ex quo omnia*; ideo id affirmat; quia Deus verus, non eſt alius niſi ſummus. Vnde contrarium potiùs ex hoc loco infertur, quàm quod infert Smalcius, nempè non alium eſſe Deum verum, niſi ſummum. Etenim cùm ſecundum Paulum, non alius ſit Deus verus, niſi vnus; hic autem Deus vnus, ſecundùm eundem ſit ſummus, conſequens eſt, non alium eſſe Deum verum quàm ſummum. *Obiectio Smalcij diluitur.* *Non eſt alius Deus verus, niſi ſummus.*

Quod autem, cùm Paulus Deum dicit eſſe vnum, conſideret Deum ſub ratione veri Dei, per ſe manifeſtum eſt. etenim loquitur de Deo, vt opponitur idolis & falſis Dijs, quemadmodum ergo idola & falſi Dij, & falſam Diuinitatem habent, & falſum Diuinum cultum: ita Deus illis oppoſitus, & veram Diuinitatem habet, & verum Diuinum cultum. Talem ergo Deum verum, dicit eſſe vnum, & non eſſe alium præter vnum. Non igitur Chriſtianis alius Deus eſt, præter ſummum, & ex quo omnia. alioqui nullo modo verum eſſet, non eſſe alium Deum, niſi vnum, ſi præter illum vnum, qui eſt ſummus, darentur Dij non ſummi. *Paulus conſiderat Deũ vnum, ſub ratione Dei veri.*

Deinde non ea mens Pauli eſt, Deum certo tantùm reſpectu, eſſe vnum, ſed abſolutè & omni reſpectu eſſe vnum, ita vt præter vnum nullus ſit alius quocunq; reſpectu. id ita eſſe, oſtendimus ſupra in cap: 3. circa eiuſdem loci explicationem. Nam ſi de certo reſpectu agatur, ſicut Paulus dixit, nobis eſſe, vnum Deum Patrem, ex quo omnia; ita potuiſſet æquè dicere, nobis eſſe vnum Deum IESVM Chriſtum, per quem omnia. Nam talis Deus, per quem omnia, ſecundùm aduerſarios non eſt, niſi vnus: Sicut Deus, ex quo omnia, non eſt, niſi vnus. Adhæc non minus verè dici poſſet: Nobis non eſſe vnum Deum, ſed duos; quorum alter ſit Deus, ex quo omnia: alter Deus, per quem omnia. Et ſicut dixit, nobis eſſe vnum Deum, ex quo omnia, ita debuiſſet dicere; non ſolùm nobis eſſe vnum Deum, ex quo omnia; ſed etiam alterum Deum, per quem omnia. Præterea apud Gentiles & idololatras, quos hic Paulus oppugnat, ſimili modo dici poſſet vnus Deus: quia talis Deus, qualis eſt Saturnus, aut Iupiter, vnus tantùm erat: Sicut igitur negamus abſolutè, Gentiles vnum Deum colere: quia etiamſi vnum Deum colant talem, quales *Secundùm Paulum Deum abſolutè eſſe vnum. primaratio.* *Altera.* *Tertia.*

 non ſunt

non ſunt alij; cum eo tamen alios Deos ab ipſo diuerſos colunt: ita etiam dicendum eſſet abſolutè, Chriſtianos non vnum Deum colere: quia cum Deo, ex quo omnia, colerent alium Deum, per quẽ omnia. Neq; id Paulus diſſimulare potuiſſet, aut debuiſſet, cùm quæſtionem de vno Deo tractaret. Quæ omnia cùm D. Paulo repugnent, manifeſtũ eſt, interpretationẽ Smalcij, ſententiæ Pauli penitus repugnare.

Chriſtus ergo eſt vnus Deus & idem qui Pater. Multò igitur veriùs Catholici Doctores, ex hoc loco Pauli deducunt, Chriſtum eſſe vnum Deum, & eundem Deum cum Patre. cùm enim tam expreſſè dicat; *Nobis eſſe vnum Deum*, conſequens eſt, Chriſtum quoque, eſſe illum vnum Deum, ex quo omnia. alioqui non vnus Deus nobis eſſet, ſed duo: alter ex quo omnia; alter per quem omnia, ſi alia Diuinitas contineatur in illis verbis, *ex quo omnia*, alia in illis, *per quem omnia.*

Smalcius diſtinguens malè Chriſtum, à Patre, refutatur. At enim Smalcius ait, Paulum diſtinguere, illum vnum Deum à Chriſto. Verùm ſi id intelligat de diſtinctione perſonæ, verũ eſt. Pater enim non eſt Chriſtus, nec Chriſtus eſt Pater: ſi de diſtincta Deitate, falſum: cùm id à Paulo ne minima quidem particula inſinuetur. & ex perſonarum diſtinctione, ſequi diſtinctionem naturæ Diuinæ, omnes Catholici Doctores conſtantiſſimè negant: neque contrarium Ariani, etiamſi rumpantur, probare vnquam poterunt.

Vrgetur fortiter interrogatione. Vnde verò Smalcius, colligere poteſt, Patrem & Chriſtum hoc loco in Deitate diſtingui? An quia Patrem & Chriſtum nominat, quos conſtat eſſe diſtinctos? At vti perſona conſtat eſſe diſtinctos; ita Deitate nequaquam: Neq; enim ex diſtinctione perſonarum, neceſſè ſemper eſt, ſequi diſtinctionem naturarum. An quia Deum vnum, Paulus indicat eſſe Patrem, ac ex conſequenti excludit Chriſtum? At etiam vnum Dominum, indicat eſſe Chriſtum; neque tamen excludit Patrem à ratione Domini.

An quia diuerſos titulos, Patri & Chriſto tribuit, dum Patrem vnum Deum, Chriſtum vnum Dominum appellat? Verùm hi tituli non ſunt ita diuerſi, vt vnus alterum non contineat. Nam & vnus Deus, eſt quoq; vnus Dominus; & vnus Dominus, eſt etiam vnus Deus. *Diuerſi tituli non diſtinguũt Patrem à Chriſto in Deitate.* Quare hi tituli non diſtinguunt Patrem & Chriſtum in Deitate, ſed potius vnum eſſe indicant. Siquidem niſi ambo, ſint vnus Deus & vnus Dominus, conſequens erit eſſe plures Deos & plures Dominos, quod Paulus nullo modo concedendum putat. quamuis igitur vni expreſsè concedat vnum titulum, alteri alterum: tamen virtute

& conſe-

Digitized by Google

& conſequenter, vtriq; vtrumq; concedit. & quidem in eodem ſenſu: quia non agnoſcit Paulus, niſi vnum Deum & Dominum, hoc eſt vnius rationis Deum, & vnius rationis Dominum. Nam ſi eſſent diuerſæ rationis Dij & Domini, non eſſet vnus Deus, & vnus Dominus, ſed plures Dij & Domini. Ex quo patet hanc titulorum diſtinctionem eſſe abſq; vllo alterutrius præiudicio.

An quia de vno Deo dicit; *Ex quo omnia*; de vno Domino, *per quem omnia*? At, vt omittam, non proximè de vno Deo dicere Paulum, ex quo omnia, ſed de Patre: ſimiliter non de vno Domino dicere proximè, per quem omnia, ſed de Chriſto: ita vt his attributis, Patrem & Chriſtum deſcribere voluiſſe Paulus videatur: vt inquam hoc omittam; illud ſaltem affirmo, hos titulos non ita diuerſos eſſe, quia vnus in altero contineatur. Idem enim Deus, ex quo omnia, eſt etiam per quem omnia. Rom: 11. & idem Dominus per quem omnia, eſt etiam ex quo omnia. Siquidem illa ratione, qua ex aliquo ſunt omnia, etiam per illum eſſe omnia, dici poſſunt; & è conuerſò, qua ratione per aliquem omnia eſſe dicuntur, etiam ex ipſo omnia dici poterunt: idq; vel ex eo patet, quod vni Deo, ex quo ſunt omnia, æquè etiã tribuitur, quòd per ipſum & in ipſo ſint omnia. Rom: 11. 36.

Quomodo Chriſtus eſt cauſa inſtrumentalis & quomodo principalis.

Nam quod Smalcius ait, per Chriſtum eſſe omnia, tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem, id iam ſupra refutatum eſt. Nam etſi per Chriſtum, quà homo eſt, eſſe omnia ad ſalutem pertinentia, tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem, ſecundùm ſcripturas concedendum eſt; ita per eundem, quà Deus eſt, eſſe omnia tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem, ſecundùm ſcripturas negandum eſt: ſed eodem planè modo, quo per Deum omnia eſſe dicuntur, per Chriſtum quoque, quà Deitate eſt illi æqualis, eſſe omnia affirmandum eſt: Quam doctrinam Paulus tradit, Coloſ: 1. 16. 20. vbi per Chriſtum, primùm omnia condita, deinde & omnia reconciliata aſſerit; condita tanquam per Verbum Patris, de quo Ioannes ait, Deus erat Verbum, & omnia per ipſum facta ſunt. Reconciliata verò per ſanguinem crucis eius. Cùm igitur, quatenus per ipſum omnia creata ſunt, ſit Deus: per Deum autem, non vt per cauſam inſtrumentalem, creata ſint omnia; hinc deducitur, per Chriſtum, quà Deus eſt, eſſe omnia; non tanquam per cauſam inſtrumentalem, ſed eo planè modo, quo per Deum ſunt omnia.

Hoc verò

Hoc verò ſenſu per Chriſtum in loco præſenti, dicuntur eſſe omnia: tùm quia, ſicut ex Patre omnia, ita per Chriſtum, eadem omnia dicuntur eſſe; niſi æquiuocè Paulus locutus eſſe credatur: tùm quia, hoc loco dicuntur eſſe omnia per Chriſtum, tanquam per vnũ Dominum. At vnus Dominus eſt idem, qui & vnus Deus; alioqui eſſent plures Domini, & ille vnus Deus, non eſſet vnus Dominus. ergo eodem modo per Chriſtum, quo per Deum, dicuntur eſſe omnia. Quocirca vtrumq; verum eſt, & per Chriſtum, quà homo eſt, eſſe omnia ad ſalutem & reconciliationem noſtram pertinentia, idq; tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem: & per eundem Chriſtum, quà Deus eſt, eſſe omnia ſimpliciter, prorſus eo modo, quo per Deum ſunt omnia; non verò tanquam per cauſam inſtrumentalem. Eadem enim omnia per Chriſtum eſſe dicuntur, quæ etiam ex Patre eſſe affirmantur: cùm nulla huius loci circumſtantia diuerſitatem indicet: & ſicut ex Deo dicuntur eſſe omnia, ſine vlla reſtrictione, quia eſt omnium Deus: ita & per Chriſtum ſunt omnia ſine vlla reſtrictione. quia ſine vlla reſtrictione Chriſtus eſt omnium Dominus. Omnia enim ſubiecta ſunt Chriſto, præter eũ, qui ſubiecit ei omnia, 1. Cor: 15. 27. quod eſt, omnia, quæ ſunt extra Deum, tàm Deo, quàm Chriſto eſſe ſubiecta.

Altera Smalcij diſtinctio Chriſti à Patre diluitur.

Sed addit adhuc Smalcius, aliam inter Chriſtũ & Patrem diſtinctionem: quòd filius aliquando erit ſubiectus Patri; Pater verò nunquam erit ſubiectus Chriſto. 1. Cor: 15. 18. Verùm hic locus non indicat, quoad Diuinitatem, Chriſti ſubiectionem, ſed ſolùm quoad naturam humanam; per quam eſt futurus plenè ſubiectus Patri, tradito regno Deo & Patri. Itaq; hanc ſubiectionem de Chriſto, quà homo eſt, omnes Patres intellexerunt: ſecundùm Diuinitatem autem Chriſtum eſſe ſubiectum Patri, nec hic, nec alibi aſſeritur: imò ſecundùm Diuinitatem æqualis Patri aſſeritur: quo omnis ſubiectio ſecundùm Diuinitatem tollitur: vbi enim eſt æqualitas, ibi non eſt ſubiectio.

Chriſtus quà Deus nunquam ſubiectus Patri,

quà homo etiam nunc eſt ſubiectus.

Porrò cùm dicitur Chriſtus tunc futurus ſubiectus Patri, poſtquam ſubiecerit ſibi omnia: videtur quaſi indicare, nunc nondum eſſe ſubiectum. quod ita accipiendum eſt, vt etiam nunc ſimpliciter humanæ naturæ reſpectu, & ratione omnis poteſtatis in humana natura reſidentis, ſubiectus ſit Patri: ſiquidem tàm humana natura, quàm omnis eius poteſtas eſt inferior Deo: Certo tamen reſpectu,

poſt

Digitized by Google

poſt diem iudicij, dicitur fore ſubiectus Deo & Patri, quia ſcilicet eam regnandi rationem, quam nunc in Eccleſia exercet, deponet; tradendo Patri regnum, vt ibidem dicitur: eoq; reſpectu ſe ſubijciet Patri, quia non regnabit ampliùs in Eccleſia militante, quam totam in cælum transferet, & Paternæ poteſtati omnia gubernanda ſubijciet. Quamuis autem quà Deus eſt, vnà cum Patre ſit regnaturus in æternum: tamen regnum illud non miniſterio humanæ naturæ, vt antè, in procuranda hominum ſalute exercebit, ſed Diuina dũtaxat poteſtate. Non enim verbi prædicatione, aut ſanguinis effuſione ſalutẽ humanam procurabit, aut inimicos ſuos expugnabit ampliùs; in quibus rebus erat Chriſti regnũ poſitũ, ſed Deus erit omnia in omnibus. *Cur poſt diem iudicij, ſed quo reſpectu?*

Adijcit aliam diſtinctionem Chriſti & Patris Smalcius. quòd de Patre Paulus dicat, ***nos in illum***: de Chriſto autem, ***nos per ipſum.*** Et illud quidem ſignificare, Deum eſſe vltimum finem & terminum felicitatis noſtræ: hoc verò ſignificat, Chriſtum medium quoddam, per quod nos Deus ad ſe perducere deſtinauit. Verùm hanc diſtinctionem nullam in Deitate facere differentiam ex eo oſtenditur: quod ſicut Patri hoc loco tribuitur, quòd ſimus in ipſum: ita ad Coloſſ: 1. 16. ab eodem Paulo de Chriſto dicitur, Omnia per ipſum & in ipſo creata eſſe. (ita enim in Græco habetur εἰς αὐτον) quæq; Smalcius diuerſa putat, Paulus in vnum coniungit, eidemq; Chriſto tribuit, quòd per ipſum, & in ipſo ſint omnia. Non igitur iſta, vt Smalcius ſomniat, naturam diuerſam in Chriſto & Patre arguunt. Siquidem vtrumq; vni, vtrumq; alteri, in ſcriptura tribuitur. *Tertia Smalcij diſtinctio Chriſti à Patre nulla eſt.*

Quare cùm nihil tale à Smalcio vel eius Symmiſtis proferri potuerit, quod differentiam Chriſti & Patris in Deitate argueret, impius & blaſphemus eſt Smalcius, cùm Chriſtum alterum Deum conſtituit, & eſſe vnum cum Patre negat. quod tamen Paulus in loco ad Corinthios hactenus explicato, & à calumnijs Smalcij vindicato, apertiſſimè affirmat. *Smalcius impius blaſphemus concluditur.*

Cultum Diuinum ei ſoli, qui naturâ Deus eſt, tribui poſſe ex Scripturis oſtenditur. CAPVT IX.

TErtium argumentum, quo vnus tantùm Deus colendus probatur, eſt: quòd Diuinus cultus, ſoli ei, qui naturâ Deus eſt, & Diuinæ tantùm naturæ reſpectu, deferri poſſit ac debeat. Cùm ergo is, qui naturâ Deus eſt, ſit vnus: ſequitur vnum tantùm Deum coli *Ratio formalis cultus Diuini quæ?*

Digitized by Google

poſſe. Si ergo Chriſto Diuinus cultus deferendus eſt, neceſſe eſt Chriſtum natura Deum eſſe, ac ex conſequenti, vnum cum Patre Deum.

Porrò Diuinum cultum non poſſe impendi, niſi ei, qui naturâ Deus eſt, primùm clariſſimis ſcripturæ teſtimonijs demonſtramus: deinde ratione manifeſta. Etenim cùm in ſcriptura vnus Deus colendus præcipitur, non ſolùm is, qui naturâ Deus eſt, intelligitur; ſed etiam, qui talis eſt, cultum Diuinum mereri indicatur. Idcirco ſoli illi ſeruiendum præcipitur. Matth: 4. 10. quia ſolus talis eſt naturæ & dignitatis. idcirco gloriam ſuam ſe alteri non daturum proteſtatur. quia ego Iehoua. nec vllus alter Iehouæ in natura & maieſtate ſimilis inueniri poteſt. Ex quo patet, honorem Diuinum nulli exhiberi poſſe, niſi ei, qui ſit natura Deus.

Locus Iſaiæ expenditur. Verùm libet dictum Iſaiæ locum magis expendere, & à falſis aduerſariorum expoſitionibus vindicare. ſic enim habetur apud Iſaiã cap: 42. 8. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum. gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus.* quo loco Deus idcirco ſe gloriam ſuam alteri Deo non daturum aſſerit, quia ipſe ſolus eſt Iehoua & Dominus. & hoc ipſius ſolius nomen eſt. vnde & eam gloriam, quæ illi, vt Iehouæ debetur, ait ſe nō daturū alteri. hoc eſt ei, qui Iehoua non ſit, ſeu alteri Deo: quia nec nomen Iehoua eſt alteri communicabile.

à Smalcio dupliciter obſcuratur. Prima inter pretatio eius. Hunc locum alioqui per ſe clariſſimum, duobus modis obſcurare Smalcius conatur. Nam in primis ait, particulam illam, *alteri,* nō denotare omnes eos, qui ſunt extra vnum illum Deum, ſed eos tantùm, qui ſunt ei contrarij. Quid ita? quia, inquit, additur: *& laudem meam ſculptilibus*: ita vt hoc ſit exegeſis ſeu interpretatio illius.

Tenebræ Smalcianæ diſpelluntur At quis Smalcio reuelauit, hoc eſſe expoſitionem illius, & non potiùs vtrumq; per ſe accipiēdum eſſe, vtrumq; per ſe aliquid ſingulare denotare. Etenim quia de ſe dixerat: *Ego Iehoua, hoc eſt nomen meum*: duo tacitè inſinuauerat, nempè, ſe & eſſe ſolum Iehouam, & verum Iehouam. ac ſi dixiſſet: ego ſum ſolus, ego verus Iehoua. idcirco duo his oppoſita intulit: quòd, nec alteri ſuam gloriam daturus ſit, quia vnus: neque laudem ſuam ſculptilibus, quia verus. ac ſi diceret: quia ego ſum ſolus & vnus Deus, ideo alteri Deo meam gloriam non dabo, alterum Deum non patiar: Et quia ſum verus Deus, falſis Dijs, ſeu ſculptilibus, laudē meã non concedam. ita vt alter Deus, vni Deo opponatur: falſus autem Deus & ſculptile, vero Deo.

Smalcius Perperam ergò Smalcius confundit in vnum, quæ Deus, vt diſtincta lo-

Digitized by Google

ſtincta loquitur, & cùm Deus duo dicat, ipſe [illegible] tantùm dicentē Deum facit. id quod etiam hoc argumento, ex verb[illegible] ſcripturæ ducto comprobari poteſt. Etenim tota ratio, ob quam ſe gloriam ſuam alteri non daturum obſtringit Deus, eſt, *quia ego Iehoua.* [illegible] ratio non ſolùm falſos Deos excludit, ſed etiam ſubordinatos: qu[illegible] nullus ex illis eſt Iehoua, quare nec Iehouæ gloria dignus. non igitur, ſolùm ſculptilia à ſua gloria excludit, ſed etiam Deos omnes ſubordinatos. Rectèq; Catholici Doctores inferunt: Si Chriſtus ſit alter Deus, vt Ariani aſſerunt, ei gloriam ſuam Deum non communicaturum fuiſſe: quod tanto magis veriſimile videtur, quòd hæc verba apud Iſaiam dicta ſint à Deo, poſtquam de Chriſto venturo, eiuſq; gloria, multa proximè pronunciauit.

confundit, qua Deus diſtinguit.

Nam cùm Smalcius ait, Apoſtolos in lege noua expoſuiſſe Iſaiā, cùm docuerunt, Deum Chriſto gloriam ſuam communicaſſe, tanquam ſibi ſubordinato Deo, negandum eſt Apoſtolos illo ſenſu, quē Smalcius vrget, interpretatos eſſe Iſaiam, nempè, Chriſto, tanquam alteri Deo atq; ſubordinato, gloriam Diuinam communicatam eſſe. Neq; enim Apoſtoli docuerunt vnquam, Chriſtum eſſe alterum Deum, nec Patri in Diuinitate ſubordinatum, ſed ei æqualem. Hoc igitur, quod apud Iſaiam negat ſe facturum Deus, nunquam Apoſtoli factum eſſe docuerunt, nempè, quòd vlli alteri Deo, Iehoua ſuam gloriam dederit. quamuis enim veriſſimum ſit, Chriſto gloriam ſuam communicaſſe, tamen non tanquam alteri Deo alterius à Iehoua naturæ, ſed tanquam vni Deo, ſeu vnius & eiuſdem naturæ cum ipſo Iehoua: ita vt vnà cum natura Diuina, gloriam quoq; Diuinam illi cōmunicauerit, ac proinde tanquam vnius naturæ Deo, non tanquam alteri Deo. quo etiam ſenſu accipiendus eſt locus Iſaiæ, cap: 48. 11. cùm ſit ei, quem tractamus, ſimillimus.

Smalcius expoſitionis falſa, & erroris ſui, Apoſtolos inſimulat perperam.

Videat igitur Smalcius, quàm verè ab ipſo ſcriptum ſit, Catholicam huius loci interpretationem, ita ab ipſius Symmiſtis profligatam eſſe, vt conſiſtere nullo modo poſſit. quid enim, præter nugas & nænias, habet Smalcius cum ſuis Symmiſtis, quod Catholicæ interpretationi, quæ per ſe clariſſima eſt, & ex verbis ipſius ſcripturæ petita, opponat?

Stulta gloriatio Smalcij.

Quemadmodū & illud quàm acutè à Smalcio negatur, nomen Iehoua, eſſe nomen incommunicabile. communicatur enim, inquit, ijs, qui perſonam eius ſuſtinent. At cur ita rudis eſt Smalcius, vt non

Ruditas eiuſdem & ineptia.

 videat ali-

Digitized by Google

videat aliud eſſe, [illegible]icari nomen alicui verè, aliud communicari figuratè [illegible], qui Dei perſonam repræſentant, nomen Iehoua, [illegible] communicari figuratè & repræſentatiuè, quis inficiatur? [illegible]communnicari, Deus ipſe diſertè hoc loco negat. quid enim [illegible] vult, Ego Iehoua, hoc eſt nomen meum, niſi quòd nullus alius verè Iehoua eſt; nullius alterius hoc nomen eſſe poteſt: meum enim tantummodo eſt, mihiq; proprium. Atq; hoc illud eſt nomen, de quo Sapient: 14. 21. dicitur, homines errore deceptos, nomen incommunicabile, lignis & lapidibus impoſuiſſe. Quare Smalcius, ſi nomen Iehoua, ijs qui Iehouæ perſonam ſuſtinent, verè communicari dicat, blaſphemus eſt: Si verò figuratè ſolùm communicari fateatur, ineptus eſt, & ad rem non loquitur; cùm hoc loco non de figurata, ſed de vera communicatione ſit quæſtio.

Iehoua nomen incommunicabile & quomodo?

Colere alterum Deum Diuino cultu eſt idololatria, Dei ipſius decreto.

Rectè igitur à nobis illatum eſt in Monſtris, ſi alteri cuipiam Deo, Dei Iehoua gloria communicata diceretur, Deum illum, fore ſculptile & falſum Deum: ſiquidem Iehouæ ipſius decreto, gloria ipſius alteri dari non poteſt. Neq; hoc eſt Spiritui ſancto, (vt nugaciter ait Smalcius) contradicere. Nullibi enim in ſcripturis, Spiritus ſanctus Chriſtum, eſſe alterum Deum, reuelauit, ſed potiùs id de Chriſto aſſerere, eſt, Spiritui ſancto contradicere & in eum blaſphemum eſſe. Quare cùm Smalcius ait, certò certius eſſe, Chriſtum eſſe alium Deum, quàm ſit ille vnus; cùm id temerè & ſine vllo ſcripturæ fundamento aſſerat, non certo certius, ſed falſo falſius id, quod Smalcius aſſerit, exiſtimandum eſt.

Incredibilis temeritas & impudētia Smalcij.

Secunda eiuſdem loci interpretatio Smalciana.

Altera quam affert Smalcius, huius loci interpretatio eſt. Deum non dare vlli alteri gloriam ſuam, ſi de ea gloria quæ illi eſt propria, hoc eſt de ſumma, ſit ſermo, eſſe veriſſimum. Talem enim gloriam, neq; ipſi IESV Chriſto Deus dedit: quia inquit, non effecit illum omnium rerum primam cauſam, quæ eſt propria gloria Dei, & ſoli Deo reſeruata. Si verò de aliqua ſimili gloria intelligatur, eam Deus alteri concedere poteſt, & re ipſa Chriſto conceſſit, dum eum omnium Dominum, hæredem & iudicem conſtituit.

Reprobatur.

Verùm per ſe manifeſtum eſt, locum Iſaiæ, de gloria Iehouæ propria, quæq; Iehouæ, vt Iehoua eſt, debetur, intelligendum eſſe. id enim indicant illa verba, *Ego Iehoua, & gloriam meam.* ac ſi diceret: quia ego ſolus Iehoua ſum, ideo gloriam meam, id eſt quæ mihi ſoli competit, alteri non dabo. Illa verò, quam fingit Smalcius gloriæ Dei ſimilem,

Digitized by Google

milem, neq; eſt gloria Iehouæ, quia non ipſi Iehouæ vero, ſed alteri, qui eſt illo longè inferior, & infinitè ab eo diſtat, debetur. Neq; eſt ſimilis gloriæ Iehouæ, ſed omnino diſſimilis, & nullo modo gloria veri Dei dici debet. quod primùm ex eo oſtendo. Nam quemadmodum ſcriptura teſte, vni Deo vero, nullus eſt ſimilis Deus: ita & gloria vnius veri Dei, nulli alterius Dei gloriæ ſimilis eſſe poteſt. Verùm enim eſt, quod toties ſcriptura ait: *Domine quis ſimilis tibi?* Pſal: 34. 10. *& non eſt ſimilis tui in Dijs Domine.* Pſal: 85. 8. *Et quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filijs Dei?* Pſal: 88. 7. Si igitur ſcriptura non ſolùm negat alium quempiam Deum, ſiue is ſubordinatus ſit, ſiue non, eſſe ſimilem Deo, ſed etiam reputat id, tanquam impoſſibile (id enim ille modus loquendi indicat. quis erit ſimilis, id eſt nec datur, nec dari poteſt ſimilis) conſequens eſt, non poſſe dari alicuius Dei gloriam ſimilem, gloriæ Dei veri. Gloria enim Dei, Diuinitatem conſequitur. Ergo cùm in Diuinitate nullus ei ſit ſimilis: etiam in gloria, gloriæ eius ſimilis eſſe non poterit.

Gloria ſimilis gloriæ Diuinæ, non eſt gloria Iehouæ. Prima ratio.

Idem quoque oſtenditur ratione; etenim non quæuis ſimilitudo cum Deo, ſed ſolùm ſimilitudo in Deitatis eſſentia, Diuinum cultũ promeretur. Cùm igitur nulla res creata, ſimilitudinem cum Deo in Deitatis eſſentia habeat aut habere poſſit, non poterit etiam ſimilem Deo gloriam habere. id ita ſe habere perſpicuum eſt; etenim omnes homines aliquam cum Deo ſimilitudinem habere conſtat. quippe qui conditi ſint ad ſimilitudinem Dei. Neque tamen ea ſimilitudo, licet ſit Dei ſimilitudo, Diuinum cultum meretur: alioqui omnes & ſinguli homines eam ob cauſam pro Dijs coli poſſent. ij etiam, qui in ſcriptura dicũtur Dij, ob participationem Diuinę poteſtatis, qua Dei perſonam repræſentant; vt ſunt Iudices & Angeli, magis quidem Deo ſimiles ſunt: & ob id maiorem honorem & reuerentiam merentur, non tamen honor is Diuinus eſt. alioqui omnes Iudices pro Dijs colendi eſſent: cuius rei ea cauſa ſola eſt, quòd iſta ſimilitudo non ſit in Deitatis eſſentia. Nam vti Deus, non niſi propter naturam & eſſentiam Diuinam, Deus eſt, & Diuinum cultum meretur; ita qui ei ſimilis non fuerit in Deitatis eſſentia, ſimilem quoq; cultum & gloriam habere non poterit. etſi enim aliæ ſimilitudines cum Deo, poſſunt eſſe ſufficiens ratio, vt homines aliquomodo dicantur Dij: tamen ad hoc, vt pro Deo colantur, nõ ſufficit quæuis ſimilitudo cum Deo, vt dictum eſt: ſed in eſſentia ſimilitudo requiritur, hoc eſt in

Secunda ratio.

Non qualibet Dei ſimilitudo Diuino cultu digna.

Sed tantùm ſimilitudo in Deitatis eſſentia.

Digitized by Google

eo, per quod Deus, eſt Deus & primum rerum principium.

Tertia ratio. Propria Dei gloria quæ? Deinde proprius Dei cultus eſt ille, quo colitur, vt primum rerum omnium principium. quoniam enim *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, idcirco ipſi gloria in ſæcula,* vt dicitur Rom: 11. 36. Ergo cùm nulla res creata in ratione primi principij, Deo ſimilis eſſe poſſit, cùm non ſolùm non omnium, ſed ne vnius quidem rei poſſit eſſe primum principium; nulla quoq; res creata ſimilem Deo cultum & gloriam habere poterit. etenim illa res creata, ſi ſit aliud principium primum, erit alter Deus ſummus; quod eſt impoſſibile: cùm Deus non poſſit eſſe, niſi vnus. Si verò ſit idem numero primum principium, is non erit iam ſimilis Deo, ſed vnus & idē Deus. quomodo nos Catholici Chriſtum eſſe Deum credimus non ὁμοιούσιον ſed ὁμοούσιον, nón ſimilē ſed cōſubſtantialem, id eſt vnius & eiuſdē ſubſtantię cum Deo.

Deus eſt primum principium bonorum noſtrorum. Ex quo patet, ad cultum Diuinum non ſatis eſſe, vt quis ſit ſecundarium principium bonorum noſtrorum: etenim ſecundarium eſſe principium non conuenit Deo: neq; enim Deus idcirco colitur, quia eſt ſecundarium principium bonorum noſtrorum, ſed quia eſt primum principium: & hæc eſt propria Dei gloria & ratio propria Diuini cultus. quare cultus quo quis colitur, vt ſecundarium principium, non eſt ſimilis cultui Dei veri, ſed diſſimilis.

Secundariũ verò principium quis? Deinde, eſſe ſecundarium principium bonorum noſtrorum conuenit hominibus & Angelis; qui tamen nullum propterea Diuinum cultum merentur. Non igitur eſt ſufficiens ratio Diuini cultus, eſſe ſecundarium principium. Nam & Apoſtoli fuêre ſecundarium principium ſalutis noſtræ, annunciando nobis ſalutem & media ad eam conſequendam, remittendo peccata, & Sacramenta, per quæ ſalus obtinetur, miniſtrando. neque tamen propterea Diuino cultu coli poterant. Deus enim non idcirco colitur, vt Deus, quia eſt quocunq; modo principium, ſed quia eſt primum principium. Quare ſi quis ſimili cultu Diuino coli debeat, neceſsè eſt, vt ſit ſimilis Deo in ratione primi principij. quod cùm fieri non poſſit, non poterit etiam quiſquam coli, cultu ſimili Diuino cultui.

Smalcij inſtantia. At enim Smalcius ait, Chriſtum, ob communicatam ſibi poteſtatem, Diuinum cultum mereri. Literæ enim, inquit, Sacræ teſtantur, Patrem Filio dediſſe omne iudicium, hoc eſt, omnem poteſtatē, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. *Soluitur.* Reſpondeo, Chriſtum nullo modo ratione poteſtatis creatæ, ſed ſolùm ratione in-

Digitized by Google

tione increatæ, quam vnâ cum natura Diuina ſibi communicatam habet, & Deum eſſe, & Diuinum cultum mereri. Etenim in ſcripturis duplicem poteſtatem Chriſto homini communicatam legimus; alteram, quâ eſt æqualis Deo, & omnia quæ Pater facit, & ipſe ſimiliter facit: alteram miniſterialem, ſecundùm quam ſubiectus eſt Patri, & Patre minor, eiuſque nomine ac virtute omnia facit.

In Chriſto poteſtas duplex.

Creata ſiue miniſterialis.

Hac ſecundi generis poteſtate Chriſtus eſt Sacerdos & Saluator, poteſtq; nos ſaluare, ſed accedens ad Deum, pro nobis orando, interpellando, ſanguinem fundendo, ſacrificando. Cùm enim hi omnes actus, miniſteriales ſint, & cum ſubiectione ad Deum, etiam poteſtas per tales actus nos ſaluandi eſt miniſterialis, non abſoluta: vti ſupra cap: 5. ex ſcripturis docuimus.

Increata ſeu Diuina atque adeò primi principij

Ratione verò prioris poteſtatis, eſt quidem Chriſtus Deus & Diuino honore dignus: verùm talis poteſtas non eſt creata, ſed increata & Diuina, Chriſtoq; cum Patre communis. Neq; enim aliquid creatum poteſt eſſe æquale Deo. vt enim Deus, eſt quid ſummum: ita poteſtas eius eſt ſumma. & id quod eſt illi æquale, debet eſſe ſummum, ac proinde Deus. Solus enim Deus, eſt ſummus: & quidquid eſt extra Deum, eſt infra Deum, ac perinde infra ſummum, & ex conſequenti non æquale Deo. Cùm igitur dicta poteſtas Chriſto homini communicata, ſit æqualis Deo, & Diuino honore digna, erit proculdubio increata, & eadem, quæ Patris; niſi enim ſit eadem, erunt duo ſumma, & duo Dij ſummi, contra ſcripturas & rationem omnem. Ex quo etiam patet, hanc poteſtatem, eſſe poteſtatem primi principij: alioqui ſi eſſet poteſtas ſecundarij principij, non eſſet poteſtas æqualis, ſed inæqualis poteſtati Dei.

eiuſdem generis eſt iudiciaria.

Porrò huius quoq; generis eſt poteſtas iudiciaria, quam Chriſto homini communicatam ait Smalcius. Eam enim & æqualem poteſtati Dei Patris, & pari honore afficiendam fatetur Chriſtus ipſe ibidem, cùm ait, Patrem neminem iudicare, ſed omne iudicium dediſſe filio. hoc eſt, Patrem nullam excepiſſe, aut ſibi reſeruaſſe poteſtatem iudicandi, ſed omnem ſuam poteſtatem iudiciariam dediſſe filio: non quòd Pater reuera non iudicet, ſed quòd ipſe per ſeipſum non iudicet, ſed per Chriſtum hominem, cum quo eadem poteſtate iudicat. hoc enim eſt, quod ibidem dicitur, filium non poſſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem, id eſt ſimul ſecum operantem.

Probatur ex

Porrò ne quis ſuſpicari poſſit, hanc poteſtatem Chriſto homini commu-

ni commu-

Digitized by Google

Verbis Chri-ſti. ni communicatam, eſſe miniſteriale, vt eſt poteſtas communis Iudicum, qui iudicant vt officiales & miniſtri iuſtitiæ, non vt Domini: ne, inquam, hoc quis ſuſpicari poſſit, ibidem additur: ſicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat: ita & Filius, quos vult viuificat. Et ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo; & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. quibus verbis ſumma & abſoluta poteſtas viuificandi omnes in corpore & in anima, qua Chriſtus in iudicio ſuo vſurus eſt, deſcribitur. Neque enim maior poteſtas cogitari poteſt, quàm ea, vt quis ad libitum & voluntatem ſuam viuificet & iudicet, & voluntas eius ſit poteſtas, velle ſit poſſe. qua poteſtate ne in Patre quidem maior poteſtas cogitari poteſt.

In Chriſto eſt abſoluta poteſtas diuina, viuificandi omnes.

Iudicis & Principis in iudicio diſcrimen.

Etenim iudices, qui miniſtri ſunt iuſtitiæ, quia non iudicant, vt Domini, non poſſunt ad libitum iudicare, vt volunt, ſed ſecundùm leges præſcriptas ſibi à Principe vel à Repub. Princeps autem, ſi iudicat vt Dominus prorſus abſolutus, iudicat prout vult: & ipſe leges condit, non ab alio leges accipit. Similiter non miniſterialis ſed ſumma eſt illa poteſtas viuificandi, cùm quis ita viuificat, vt vitam habeat in ſemetipſo, ac ex conſequēti ex ſeipſo viuificet: quia fontem vitæ habet in ſemetipſo: quam ſummam poteſtatem viuificandi, vti Pater habuit, ita & Filio parem, id eſt ſummam dedit habere in ſemetipſo. quæ poteſtas, quia illi homini Chriſto data eſt, (additur enim, *quia Filius hominis eſt,*) idcirco homo ille, eſt idem cum Patre Deus, & eandem quam Pater habet ſummam iudicandi & viuificandi poteſtatem. quare non mirum eſt, quòd propter eam poteſtatem pari cum Patre honore afficiatur.

Oppoſitio Smalcij prima.

Quòd ſi opponat Smalcius, additum eſſe: *Quia filius hominis eſt;* Reſpondeo. non ideò eſſe additum, vt creata poteſtas eſſe intelligatur; ſed quia Diuina illa & increata poteſtas eo fine homini illi communicata eſt, vt per actus illius hominis & in forma hominis exerceatur. Placuit enim Deo iudicare orbem terræ in viro, in quo ſtatuit. Act: 17. 31. Cùm rurſus opponit Smalcius, eam poteſtatem, quæ in Deo eſt, eſſe innatam; in Chriſto verò homine eſſe donatam, non innatam, ac ex conſequenti eſſe diuerſam ab ea poteſtate, quæ in Deo eſt. Primùm non intelligit, eandem rem, quæ vni innata eſt, alteri poſſe eſſe donatam; vti ſi fructus, qui arbori innati ſunt, donantur alteri vnà cum arbore: erunt ſimul innati & donati diuerſo reſpectu. ita & po-

Altera ſoluitur.

In Chriſto poteſtas quomodo innata.

Digitized by Google

ita & poteſtas, Diuinæ quidem perſonæ Chriſti innata eſt: tamen naturæ humanæ Chriſti, vnà cum perſona, donata eſt per vnionem hypoſtaticam; illa inquam innata Dei poteſtas. Porrò cùm naturæ humanæ Chriſti concedimus eſſe donatam; non tamen idem concedimus aut concedere debemus de Chriſto homine. Naturæ enim humanæ, cùm nullo modo ſit innata ea poteſtas, meritò donata dici poteſt: at Chriſto homini, qui non ſolùm naturam, ſed & perſonam includit, cùm ratione perſonę ſit ea poteſtas innata, nullo modo donata dici poteſt: cùm id donatũ dici non poſſit, quod eſt eidẽ innatũ. *Quomodo data.*

Deinde dico, nuſquam legi Diuinitatem aut poteſtatem Diuinam Chriſto homini donatam, ſed tantùm datam. id quod, is ipſe locus, quem tractamus, indicat: in eo enim legimus Patrem dediſſe Filio poteſtatem iudicandi, non donâſſe. Multùm verò diſcriminis eſt, inter dare & donare. Dantur enim etiam ea, quæ per generationem & naturalem originem dantur: Donantur verò, nõ niſi ea, quæ ex liberalitate dantur. Patrem ergo dicimus dediſſe Filio Diuinitatem & omnem poteſtatem Diuinam, ſed naturaliter & per generationẽ: ac proinde eam eſſe innatam Filio, non donatam. Nam ſi Chriſtum Filium conſideremus, vt Deum, ſic Diuinitatẽ accepit à Patre, per eam quæ ab æterno eſt generationem, ac proinde innatam: ſi verò conſideremus, vt hominem; ſic etiam Diuinitatem ſibi innatam in ſua generatione humana obtinuit: non quòd ſit innata naturæ humanæ, ſed perſonæ illius hominis. Ille enim qui ex virgine homo natus eſt, eſt is, cui eſt innata Diuinitas & omnis Diuina poteſtas: ideoque etiam, vt homo, genitus eſt cum omni poteſtate Diuina, ac ex conſequenti innatam, non donatam, habet omnem Diuinam poteſtatem. Quare ſicut ijs, quibus iure naturali & hæreditario ius regni conuenit, dicuntur naſcendo fieri reges, ſeu reges nati, quia cum ipſa generatione ius & poteſtatem regiam obtinent: ita Chriſtus cùm in ſua humana generatione ob naturam & conditionem eius perſonæ, quæ homo naſcebatur, omnem poteſtatem Diuinam conſecutus ſit, fit vt cum ea poteſtate dici debeat natus. eamque ratione ſuæ propriæ originis & generationis habere, tanquam innatam, non donatam. Per ſuam enim generationem humanam, Chriſtus & naturam humanam & perſonam Diuinam, cui eſt innata Diuinitas, aſſecutus eſt. Cùm igitur Diuina Chriſti poteſtas, non poſſit haberi niſi vel dono vel naturâ, donatam autem ei nuſquam eſſe legamus, conſequens eſt vt innatam credere debeamus. *Donata non legitur.* *Diſcrimẽ inter dare & donare.*

Digitized by Google

Arianorũ obiectio vana.

Nominis celebritas Chriſto donata, non Diuinitas.

Nam quod Ariani obijciunt, in præmium donatam eſſe Chriſto Diuinitatem. (*nomen ſuper omne nomen,* Phil: 2. id ſuo loco refellendum eſt: non enim eo loco donata dicitur Diuinitas, ſed nominis celebritas. Nam nomen Dei, quod eſt ſuper omne nomen, etiam ante habuit Chriſtus: vnde donari illi tunc non potuit: verùm hoc ſolùm donatum eſt, vt illud nomen eſſet in toto mundo ſuper omne nomen, & omne genu ei flecteretur, omnis lingua confiteretur, vt ibidem explicat S. Paulus.

Ratione oſtenditur, ei, qui Diuinam naturam non habeat, cultum Diuinum non deberi. CAPVT X.

Propria & formalis ratio cultꝰ Diuini rurſus explicatur.

NOn ſolùm ex ſcripturis, ſed etiam ex ratione ipſa manifeſtum eſt, ei, qui Diuinam naturam non habet, cultum Diuinum minimè deberi. Propria enim ratio Diuini cultus, eſt natura Diuina: ratione cuius & Deus, eſt Deus; & ſummum bonum: & omnium rerum principium: Deus enim propter id à nobis colitur, propter quod eſt Deus. Atqui propter ſolam naturam ſuam Diuinam eſt Deus; ergo propter ſolam Diuinam naturam colitur: Dei autem natura eſt illa, per quam Deus eſt, & in ſeipſo ſummum bonum; & reſpectu noſtri primum principium bonorum noſtrorum.

Cultu Diuino affici nequit, carens Diuina natura.

Ex quo ſequitur, eum qui Diuinam naturam in ſe non habeat, cauſam quoq; Diuini cultus in ſe non habere. Etenim qui naturam Diuinam non habet, ſolùm participatam Diuinitatem habere poteſt, quæ Diuinum cultum non meretur: tum quia non eſt vera Diuinitas, ſed ſimilitudo & participatio quædam Diuinitatis. Similitudo autem non eſt verè res ipſa: tum quia Diuinitas participata, hominibus etiam & Angelis cõpetit, qui tamen Diuino cultu coli nequeunt.

Dubitatio Smalcij abſurdiſſima, an Deꝰ, quà Deus, ſit colendus.

Reſpondet Smalcius, non eſſe omnino certum, cultum Diuinum deberi Deo propter eius eſſentiam: & quamuis id certum eſſet; tamen præter Diuinam eſſentiam, eſt alia quoque ratio Diuini cultus, nempè Diuina poteſtas: non quæcunq; ſed quæ par ſit Diuinæ poteſtati. qualis eſt poteſtas Chriſto communicata. Verùm hæc omnia ſicut abſurdiſſimè à Smalcio dicuntur; ita refelli facilè poſſunt. Nam cùm Smalcius dubitat, ſitné Deo propter Diuinam eius eſſentiam cultus deferendus, quid aliud dubitare videtur, niſi an Deo, quà Deus eſt, ſit cultus Diuinus tribuendus. Etenim ſi Deus propter eſſentiam ſuam Deus eſt, idem proculdubio erit, dubitare, an Deo propter

Exagitatur.

Diuinam

Digitized by Google

Diuinam eſſentiam cultus tribuendus ſit; &, an Deo, quà Deus eſt, cultus Diuinus tribuendus ſit. Quod cùm nullus vnquam non dico Chriſtianorũ, ſed ne Gentiliũ quidem, in dubium reuocare auſus fuerit, videat Smalcius quantam notã tali dubitatione ſubire teneatur.

Deus quà Deus, ſeu ob eſſentiã ſuam, cultu omni eſt digniſſimus.

Anné, ſi Deus propter potentiam ſuam cultum Diuinum meretur, propter eſſentiam non merebitur? Nũ eſſentia Diuina ita Smalcio res vilis & abiecta videtur, vt nullum cultum mereatur? aut potentia in Deo maius quiddam ſit, quàm eius eſſentia; vt illa ſola cultu Diuino afficienda ſit, hæc non item? Deniq; cùm eſſentia in Deo, ſit veluti fons ipſius poteſtatis, qui fieri poteſt, vt ipſa excludatur à cultu, cùm poteſtas non excludatur? Sed apage iſtam falſitatem & dementiam. Dico igitur, Deum eſſe Diuino cultu dignum, quà Deus eſt. Deum autem eſſe Deum, non ſecundùm poteſtatem, ſed ſecundùm eſſentiam ſuam infinitam. ergo & cultus Diuinus non ratione ſolius poteſtatis, ſed ratione eſſentiæ Deo debetur. Deo enim Diuinus cultus debetur, propter eius ſummam excellentiam: At niſi ſit eſſentia infinita, non erit quid ſummum, nec ſummus Deus, nec ſummam habebit excellentiam. Infinitum enim quid, ei ad ſummã excellentiam deeſſet, nempè infinita perfectio & eſſentia. Non igitur propter ſolam poteſtatem Diuino cultu afficiendus eſt, niſi quatenus poteſtas illa coniungitur cum infinita eius eſſentia, infinito honore digna.

Non propter ſolam poteſtatem Deus eſt colendus.

Aliud Smalcij dictum ponderatur. qui Deus ratione poteſtatis Diuinæ, Diuino cultu dignus.

Deinde & illud quomodo verum eſt, quod ſecundo loco Smalcius aſſerit, Deum, ratione ſuæ Diuinæ poteſtatis, Diuinum cultum mereri. Si enim Diuinam poteſtatem non nudè accipiat, ſed vt eſt idem cum infinita eius eſſentia (quidquid enim in Deo eſt, Deus eſt) ſic veriſſimum eſt, Diuinam poteſtatem eſſe ſufficientem Diuini cultus rationem. ſed tunc Diuina poteſtas, erit ratio Diuini cultus propter eſſentiam, cum qua eſt idem, ac proinde Diuina eſſentia erit ratio propria Diuini cultus. Si verò Diuinam poteſtatem nudè conſideret, abſtractam à Dei eſſentia, ſic nullo modo concedi poteſt, Diuinam poteſtatem mereri cultum Diuinum. Etenim nihil meretur Diuinum cultum, quod Deus non eſt; Diuinus enim cultus, is, hoc loco dicitur, quo quis pro Deo colitur. Atqui Diuina ſola poteſtas abſtracta ab eſſentia Deus non eſt; cùm non ſit eſſentia infinita: nec eſt quid ſummum, & quo maius nihil cogitari poteſt: cùm illi infinita perfectio eſſentiæ deſit. ergo ea ratione cultum Diuinum non meretur.

meretur. Sola igitur Diuina poteſtas, eſt ratio cultus Diuini, vt eſt Dei infiniti poteſtas, & vt Dei eſſentiam in ſe includit, non excludit. Ex quo infero, non eſſentiam Diuinam ob poteſtatem, ſed è conuerſo, poteſtatem ob eſſentiam Diuino cultu afficiendam eſſe.

qui omnis poteſtas honore digna.

At inquit, omnem poteſtatem eſſe honore dignam, vt in Regia & Dominorum poteſtate manifeſtum eſt. Fateor, eſſe aliquo honore dignam. ſed vt honore Diuino quis dignus ſit, Deus quoq; eſſe debet; cùm honor Diuinus ſit is, quo quis pro Deo colitur. At ſola poteſtas per ſeipſam non facit Deum, niſi adſit Dei ipſius eſſentia & natura: non igitur ſola meretur Diuinum cultum.

Smalcius ad argumentū non reſpondet.

Iam cùm ſecundo loco ait, non propter qualemcunq; poteſtatem Diuinam cultum Diuinum deberi, ſed ſolùm propter parem poteſtati Diuinæ. Primùm ad noſtrum argumentum non reſpondet. ita enim argumentamur. Si Diuina poteſtas eſt per ſe ratio cultus Diuini, omnis Diuina poteſtas erit ratio alicuius cultus Diuini: par verò poteſtas eſſet ſolùm ratio paris cultus, non abſolutè omnis cultus. id enim requirit proportio, quæ eſſe debet, poteſtatis & cultus: iſta enim ſibi mutuo reſpondere debent proportione quadam. Deinde ne in Deo quidem, eius poteſtas, eſt ratio Diuini cultus, niſi quatenus eſt idem, quod eius eſſentia, vt iam dictum eſt: quantò minùs poteſtas rerum creatarum.

Qualis poteſtas in Deo colenda?

Adhæc poteſtas, quæ in Deo eſt, & à nobis Diuina ratione colitur, non eſt qualiſcunq; poteſtas, ſed poteſtas primi principij: per quam Deus eſt is, *ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.* Rom: 11. Talis autem poteſtas, eſt eadem cum Deo, & idem quod Deus, & æquè independens, vt Deus. Ex quo patet, poteſtatem participatam, cùm non ſit poteſtas primi principij, non eſſe veram rationem Diuini cultus. cùm neq; ſit par aut ſimilis poteſtati Diuinæ; & ijs competat, qui Diuino cultu coli non poſſunt, nempè hominibus & Angelis.

Smalcius interrogatione ſtringitur.

Quod verò ad Chriſti poteſtatem attinet, quæro à Smalcio, quamnam poteſtatem in Chriſto exiſtimet eſſe parem poteſtati Diuinæ, creatamné an increatam? Si increatam, agnoſcere debebit in Chriſto cum poteſtate increata naturam quoq; increatam: hæc enim à ſe diuidi non poſſunt. Si creatam, eam eſſe lōgè inferiorem; quippe dependentem à poteſtate increata paulò ante oſtendimus, ac proinde parem poteſtati Diuinæ eſſe non poſſe. Nunc verò etiam hac ratione probamus.

Poteſtas in Chriſto cre-

Nam ſi

Digitized by Google

ata, eſt dependens, & proinde impar Diuinæ cõtra Smalciũ probatur

Nam ſi de ea poteſtate ſit ſermo, quæ eſt in homine Chriſto ad nos ſaluandos & vita æterna donandos, ea Chriſtus vtitur, cum dependentia & ſubiectione, pro nobis orando, interpellando, ſacrificando, ſanguinem fundendo. qui non ſunt actus abſolutæ poteſtatis, ſed ab altero dependentis: taliſq; poteſtas nullo modo eſt par poteſtati Diuinæ. Siquidem Deus non orando nec ſacrificando nos ſaluat, ſed ſua abſoluta & independenti ab alio poteſtate & voluntate.

Dei eſt abſoluta & independens poteſtas.

Si verò de ea poteſtate agatur, quam Chriſtus per paſſionem ſuam & mortem aquiſiuit, qua poteſt ſubijcere ſibi omnes & omnibus imperare, ab ijſq; obedientiam exigere, ac leges ad ſalutem pertinentes illis imponere; de qua pleriq; intelligunt illud Matth: 28. *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*: ea poteſtas inprimis, tàm in ſua eſſentia eſt dependens à Deo in fieri & conſeruari, quàm in omni ſuo vſu, vti dictum eſt; ac proinde impar poteſtati Diuinæ independenti.

Fundatur in abſoluto Dominio.

Deinde ea poteſtas non eſt omnino abſoluta, cùm ſit ſolo meritorum reſpectu, ideoq; par eſſe Diuinæ poteſtati non poteſt. Etenim Diuina poteſtas non aliqua merita reſpicit, neq; in eis fundatur, ſed in abſoluto iure ac Dominio. Deus enim non propter aliqua ſua merita habet in nos ius & poteſtatem imperandi, ſed abſolutè, quia Deus eſt.

Adhæc quamuis ea poteſtate Chriſtus abſolutè nobis imperare poſſit, ſalutem tamen & vitam æternam nobis non confert ex abſoluto Dominio, (hoc enim facit vt Deus) ſed vt dictum eſt, pro nobis interpellando, & ſacrificando. Vnde cùm hæc poteſtas non omnimodè, nec omni reſpectu ſit abſoluta, par eſſe Diuinæ poteſtati, quæ modis omnibus abſoluta eſt, non poteſt. Idem in poteſtate miraculorum cernere licet, qua Chriſtus inuocato Patris nomine, vti ſolitus erat; vt oſtenderet, eam ſibi, quà homo erat, & dependenter à Patre, conuenire. Deniq; cùm Smalcius per Chriſtum ait facta omnia, tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem, an non eo ipſo poteſtatem Chriſti longè imparem poteſtati Diuinæ agnoſcit? Dei enim poteſtas, eſt poteſtas primi principij, nec eſt inſtrumentalis ſed præcipua.

Falsũ Smalcij dictum, Chriſti poteſtatem Diuinæ eſſe parem quoad vſum.

Cùm verò Smalcius cum ſuis ait, eam poteſtatem, partim eſſe æqualem, partim inæqualem poteſtati Diuinæ: inæqualem quidem, quia eſt à Deo accepta. Diuina verò poteſtas, eſt innata Deo. Æqualem autem quoad abſolutum & independentem eius vſum: quòd nimirum ea Chriſtus ita abſolutè vtatur, ſicut ipſe Deus: id inquam

neque

Regum exemplum. neque ſufficit, neq; omnino verum eſt. Nam regum omnium poteſtas, quam Paulus Rom: 14. à Deo eſſe teſtatur, quoad omnem ſuum vſum, abſoluta eſt. Reges ſiquidem abſolutè imperant ſuis ſubditis, & leges imponunt: neq; tamen idcirco quis dixerit, Regum poteſtatem Diuinæ poteſtati, in ratione Regiæ poteſtatis eſſe parem. Siquidem non ſolùm à Deo per ſe dependet, ſed etiam ab eodem in omni ſuo vſu (ſi Deus abſoluta ſua poteſtate vti velit) impediri poteſt. Nam etſi Deus Regum Dominia de lege ordinaria, non perturbet aut immutet: ſi tamen id facere velit, ſecundùm potentiam ſuam abſolutam, poteſt. Pari ergo ratione, neq; Chriſti poteſtas creata, quæ eodem modo Deo ſubiecta eſt, tam ſecundùm ſe, quàm ſecundùm omnem vſum ſuum, etſi ſuo modo & certo reſpectu abſoluta ſit, par tamen Diuinæ poteſtati ſimpliciter dici non poteſt, ſed illi omni ratione ſubiecta. Pugnat enim ſubiectio cum æqualitate. Verè etiam dici non poſſe, Chriſtum ex ſuæ poteſtatis creatæ vſu non dependere à Deo, ex paulò ante dictis manifeſtum eſt: cùm conſtet ea poteſtate Chriſtum vſum, atq; etiamnum vti, cum relatione ad Deum & ſubiectione, interpellando, ſacrificando, vt dictum eſt.

Addo denique, ne tunc quidem, cùm Deus ob ſuam poteſtatem coli dicitur, poteſtas illius quacunq; ratione conſideratur, ſed ſolùm quatenus eſt ſumma poteſtas, & primum omnium principium. Hoc enim ſcriptura paſſim indicat, Rom: 11. 36. *quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula.* & Apoc: 4. 11. Illi viginti quatuor ſeniores adorantes ſedentem ſuper thronum, aiunt: *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* quod argumento eſt, niſi poteſtas aliqua ad eum perfectionis gradum perueniat, vt ſit ſumma, & primum rerum principium, Diuinum cultum nequaquam promereri, nec poteſtati Diuinæ parem dici poſſe.

Quæ poteſtas eſſe poteſt par Diuinæ?

Chriſtꝰ quali poteſtate eſt par Diuinæ?

Quocirca cùm Chriſto in ſcripturis Diuina poteſtas talis tribuatur, quæ & cultum Diuinum promereatur, & ſit æqualis Diuinæ poteſtati, nullo modo ea poteſtas creata & participata dici debet, ſed increata, & prorſus eadem quæ in Deo eſt. Nam etſi creatam & participatam poteſtatem Chriſto, quà homo eſt, non negemus; tamen eam omni ratione à Deo dependentem, & Diuinæ poteſtati ſubiectam, tàm in ipſa poteſtatis eſſentia, quàm in eius omni vſu, agnoſcimus: & idcirco eam, eſſe rationem Diuini cultus in Chriſto negamus

Digitized by Google

mus: ſed aliam increatam agnoſcimus; ſecundùm quam Chriſtus eſt, & æqualis Deo, & æquali cultu Diuino afficiendus. Qualis eſſe non poteſt, niſi ſit ſumma & increata poteſtas, atq; adeò poteſtas primi principij: niſi enim ſit ſumma, non poteſt dici æqualis: Nihil enim eſt ſummo æquale, niſi ſummum; & omne non ſummum eſt inæquale ſummo. quod ſi ſumma, erit etiam increata. nihil enim ſummum eſt, niſi increatum & Deus ipſe. Nam ſi ſit creatum, non erit ſummum. Deus enim omni re creata maior eſt. Et verò ſicut Regia poteſtas, ob quam Regius honor Regi debetur, non eſt quæcunq; poteſtas, ſed ſolum ſumma. ita vt ſi non ſit ſumma, ſed ea inferior, qualis eſt poteſtas Proregis & Officialium, nequaquam Regium honorem mereatur: Nec ij, qui eam habent, pro Regibus haberi & coli poſſunt. Ita & Dei propria poteſtas non eſt poteſtas niſi ſumma, & poteſtas ſupremi & primi principij. quare & cultus Diuinus non poteſt eſſe, niſi ſummus, nempè ob ſummam rationem primi principij, Deo oblatus. Nam ob alias rationes primi principij rebus quoq; creatis honorem impendimus: Deo autem non niſi ob rationem primi & ſummi principij.

Summa videlicet increata atq; adeò primi principij.

Poteſtas Regis & Officialiu differt.

Ex quo etiam conſequitur, omnem Diuinum honorem eſſe ſummum. etenim ne Deo quidem ipſi Diuinus honor, niſi ob ſummam eius perfectionem & poteſtatem primi principij tribuitur; nec rebus creatis ob quamcunq; perfectionem & poteſtatem tribui poteſt, niſi (vt ipſi aduerſarij docent) ſit par & æqualis Deo: par verò ſummæ poteſtati eſſe non poteſt, niſi ſumma poteſtas: nec poteſtati primi principij, poteſtas ſecundarij principij par dici vllo modo poteſt. quòd ſi par non ſit, Diuinum cultum non merebitur: alioqui omnis poteſtas Diuina rebus creatis communicata, quam conſtat non eſſe parem Diuinæ poteſtati, Diuino cultu eſſet afficienda, quod abſurdiſſimum eſt. Verùm de hac re iterum in ſequenti capite contra Smalcium pugnandum erit. nunc ſolùm diſtinctio Diuini cultus, quam communiter aduerſarij adhibent, paucis eſt refutanda.

Omnis honor Diuinus debet eſſe ſummus.

Aiunt enim, Chriſto Diuinum quidem cultum deberi, qui ſit eiuſdem generis cum eo cultu, quo Deus vnus colitur; non tamen eſſe illi æqualem. quis enim hoc abſurdè dici non intelligat? Nam ſi Chriſtus non ſit eiuſdem generis Deus, cum illo vno Deo, quomodo poteſt eiuſdem generis honore coli. eiuſdem enim generis cultus ob eiuſdem generis Diuinitatem debetur. Non eſſe autem eiuſdem generis

Diſtinctio Diuini cultus Ab Arianis cõficta refutatur. Chriſtus, ſi non ſit idem Deus cu Pa

Digitized by Google

tre, nequis eodem cultu col i. generis Deum, ex eo patet, quòd ſecundùm aduerſarios Chriſtus eſt merè creatura, nihil in ſe increatum habens. Deus autem & creatura, vnius generis eſſe non poſſunt: alioqui ſi creaturæ ſint eiuſdem
1. Ratio. generis cum Deo, conſequetur omnes creaturas pro Dijs coli poſſe: cùm ad Diuinum cultum ſufficiat, eſſe rem aliquam eiuſdem generis
2. cum Deo. Adhæc Chriſti Diuinitas ſecundùm aduerſarios eſt participatio Diuinæ poteſtatis. Dei autem veri Diuinitas, eſt eſſentia eius Diuina. Sicut igitur Deus per participationem, non eſt eiuſdem generis Deus cum Deo per eſſentiam: ita nec cultus illius, erit eiuſdem generis cum honore veri Dei.

3. Accedit quòd cultus veri Dei, eſt cultus ob rationem primi principij. Chriſti verò cultus, ſecundùm iſtos, non eſt eius generis; quia rationem primi principij in Chriſto non agnoſcunt. non igitur is cul-
4. tus dici poteſt, eiuſdē generis cū cultu Dei. Deniq; cultus ob Diuinitatem participatam non eſt verè cultus Diuinus, vt patet in hominibus & Angelis, in quibus eſt Diuinitas participata, qui tamen Diuino cultu propterea non coluntur. neq; enim Diuinitas participata eſt vera Diuinitas, ſed ſimilitudo ſolùm Diuinitatis. ergo talis cultus cū non ſit verè Diuinus, neq; in vera Diuinitate fundatus, non poteſt dici eſſe eiuſdem generis cum cultu Diuino, ſed potiùs diuerſi generis, vt pote in diuerſi generis Diuinitate fundatus.

Chriſtus æquali cum Deo cultu coli debet. Deinde illud quoq; abſurdum eſt, cùm aduerſarij negant Chriſtum æquali cum Deo cultu coli poſſe. Nam ſi credunt Chriſtum ſecundùm ſcripturas eſſe æqualem Deo, quomodo illum non æquali cultu honorandum cenſent? Qui enim ſunt æquales Diuinitate, honore quoq; æquales cenſeri debent. Adhæc ſi Chriſtus ſit æqualis Deo, erit ſummus Deus. quomodo autem ſummus Deus ſummo honore coli non debeat? quòd ſi non ſit ſummus, æqualis quoq; non erit. quod enim eſt infra ſummum, æquale ſummo dici non poteſt. Quocirca ſi Chriſtus quantus quantus eſt, ſit quid creatum, ac proinde infra Deum, æqualis Deo eſſe non poterit. omni enim re creata Deus maior eſt, ac ex conſequenti res quælibet creata minor erit Deo ac ei inæqualis. Si verò ſit æqualis vti ſcripturæ docent, non ſolùm eiuſdem generis honore, ſed omnino æquali cum Deo honore colendus erit.

Refellun-

Digitized by Google

Refelluntur ea, quæ de Diuino cultu abſurdè à Smalcio aſſeruntur. Cap: XI.

LIbet hoc loco diligentiùs refellere, quæ de Diuino cultu, partim falſa, partim impia attulit Smalcius in cap: 8. Primùm igitur aſſerit, non eſſe certum propter Diuinam eſſentiam Deo deberi cultum Diuinum: quod etſi paulò ante refutatum ſatis ſit, tamen etiam nunc facilè ratione manifeſta conuincitur. Vnicuique enim honor debetur propter ipſius excellentiam. ſumma autem Dei excellentia eſt, natura ipſa Diuina, quæ tanta eſt, vt omnem perfectionem comprehendat, & ea nil maius & melius cogitari poſſit. Quare certum eſſe omnino oportet, Deo propter excellentiſſimam eius naturam cultum Diuinum deberi. *Smalcius negans cultũ Deo ob eſſẽtiam ipſius, iterum refellitur.*

At enim inquit, niſi conſtaret, eum qui Diuinam habet eſſentiam, Diuinam etiam habere potentiam in nos omnes, & ſimul voluntatem nos iuuandi, non ſequeretur præcisè ei deberi cultum Diuinũ. O bouis non hominis vocem! Itané tibi Smalci, videtur Deus in ſe vilis, vt ſi tibi bene non faciat, & voluntatem te iuuandi non habeat, ipſe in ſe non ſit Deus, nec honore Diuino, ob ſuam ipſius infinitam excellentiam, dignus? Diſce Smalci, Dei honorem non ex tuis commodis metiri, ſed ex immenſa ipſius in ſeipſo præſtantia. Nam & ſcriptura, cùm Dei maieſtatem, qua omni honore dignus eſt, extollit, non ſolùm commemorat profuſam in nos beneuolentiam, ſed præcipuè ea, quæ naturam illam in ſe præſtantiſſimam & omnibus perfectionibus admirabilem indicant. vt quòd ſit immortalis, inuiſibilis, æternus, immenſus, magnitudinis non habeat finem, nec ſapientiæ numerum: quòd ſit primus & nouiſſimus &c. vti ex innumeris ſcripturæ locis manifeſtum eſt. *Inſtantia Smalcij ſtulta.* *Quàm vilis eſt Smalcio Deus!*

Et verò ſi Deus neminem iuuaret, nemini bene faceret, neminem ſaluare vellet, (vti reipſa dæmones damnatos ſaluare non vult) non deſineret proculdubio eſſe Deus, neq; ante mundum conditum, cùm nulla res extaret cui Deus bene faceret, dici poteſt, Deum non fuiſſe Deum. aut ſi mundum totum, omnes homines & Angelos in nihilum verteret, aliquid ei de Diuinitate decederet. & ſicut non minus tunc eſſet Deus, quàm modò cùm nobis bene facit: ita non minori honore ex ſe dignus eſſet. Non pendet igitur à nobis Deus, ſicut in Diuinitate: ita nec in honore. Quin ipſa Dei beneficentia, qua *Deus, etſi nemini bene faceret, adhuc honore digniſſimus eſſet.*

Digitized by Google

nos proſequitur, non propter nos, ſed propter eius Diuinam excellentiam & naturam, eſt Diuino & ſummo honore digna. Hoc enim in Dei beneficentia adorandum eſt; quòd illa maieſtas infinita, infinitè res omnes creatas ſuperans, ſeſe ad benefaciendum nobis demittat. ita vt ſi ea beneficentia non ab illa infinita natura procederet, eſſet quidem aliquo honore digna, non tamen Diuino, nec ſummo: hoc enim in Diuina beneficentia ſummo honore dignum eſt, quod ab illa ſumma & infinita natura proficiſcatur.

Alia inſtantia einſdē, diluitur.

Ait ſecundò, Diuinam poteſtatem Diuinum honorem mereri: ſicut regia poteſtas Regium. At quis non videt Regiam poteſtatem, ſi ab ipſo Rege exerceatur, Regium honorem mereri? ſi verò alijs officialibus vel etiam Proregi communicetur, non mereri honorem Regium, ſed Regio minorem. Regius enim honor eſt ille, quo quis pro Rege colitur. Atqui nudi officiales Regij aut Proreges, pro Regibus habendi non ſunt, eo quòd poteſtate Regia ſibi communicata gubernant: pari igitur ratione, de Diuina poteſtate ſentiendum eſt. Ea enim ſi ſit in Deo, coniuncta illi excellentiſſimæ naturæ, Diuinũ proculdubio honorem meretur. quia eſt eius, qui Deus eſt, & honore Diuino dignus, poteſtas, & propter eam Deus, qui eſt natura Deus, colitur. At ſi auulſa ſit à Deo, & rebus creatis communicetur, honore quidem aliquo digna eſt, non tamen Diuino, ſed longè inferiori. Diuinus enim honor, ei tantùm qui verè & propriè Deus eſt, debetur. Res verò creatæ propter poteſtatem Diuinam ſibi communicatam, non ſunt verè & propriè Dij; cùm naturam Dei propriè non habeant, ſed tantùm propter ſimilitudinem & participationem Dij dicuntur. Non poſſunt igitur, vt Dij coli, propriè & verè Diuino cultu: tantumq; is cultus à Diuino differt, ſicut ſimilitudo rei & res. Nam & Diuinitas quæ rebus creatis communicatur, non eſt vera Diuinitas, ſed ſimilitudo quædam & participatio ipſius.

Diuina poteſtas creaturæ communicata non meretur Diuinum cultum.

Æquiuocatio Smalciani argumenti elucidatur.

Quocirca æquiuocatio, quæ eſt in voce poteſtatis Diuinæ, tollenda eſt. Si enim dicatur, poteſtas Diuina, quæ in Deo eſt, ea proculdubio Diuinum cultum meretur. quia idem eſt, quod Deus. At ſi dicatur, Diuina participatiuè, quia eſt eius poteſtatis, quæ in Deo eſt, participatio quædam, ſic negandum eſt, eiuſmodi poteſtatem Diuinum cultum mereri, cùm non ſit ipſa Dei poteſtas, ſed rei creatæ à Deo communicata. quod non eſt intrinſecè eſſe Diuinum, ſed extrinſeca ſolùm denominatione.

Ait ter-

Digitized by Google

Ait tertiò. Chriſto homini cum Diuina poteſtate, Diuinũ quoque honorem communicatum eſſe. Verùm id, vti in ſenſu Catholico acceptum, veriſſimum eſt: ita in ſenſu, quo ab Arianis aſſeritur, falſiſſimum. fatentur enim vltro Catholici, Chriſto homini Diuinam poteſtatem talem ac tantam, qualis & quanta in Deo eſt: imò & eandem numero communicatam eſſe vnà cum Diuina naturà. Neque enim talis communicatio, abſq; Diuinæ naturæ communicatione eſſe potuit. cùm ea, quæ in Deo eſt poteſtas, ſit idem quod eſſentia & natura Dei. Quare vnà cum natura communicari debuit, & re ipſa communicata eſt per vnionem Diuinæ naturæ cum humana, in vna verbi perſona & hypoſtaſi. Et propter hanc Diuinam poteſtatẽ Chriſto communicatam, dicimus, Chriſtum hominem mereri cultum Diuinũ, cùm talis ei poteſtas ſit cõmunicata, quæ ſit idẽ, quod Deus. *Tertia Smalcij aſſertio in ſenſu Catholico veriſſima. Chriſtus enim ratione increata poteſtatis meretur cultũ Diuinum.*

At Ariani non eam, quæ in Deo eſt, poteſtatem aiunt Chriſto communicatam, ſed eius participationem quandam: quare non ſequitur, cum ea poteſtate, communicatum eſſe Diuinum cultum. Diuinæ enim poteſtati, non niſi, quatenus idem eſt quod Deus, debetur Diuinus cultus: quod cùm iſti negent, de ea, quæ Chriſto communicata eſt, poteſtate, negare quoq; coguntur, Chriſto propter eam deberi cultum Diuinum. Participatæ enim poteſtati non deberi eundem cultũ, qui ipſi principi poteſtati debetur, omnis ratio ſuadet. *In ſenſu Arianorum falſiſſima. Participatæ enim poteſtati non debetur Diuinus cultus.*

Dicere quidem ſolent, participatam poteſtatem eſſe eiuſdem generis cum principe poteſtate. At vt concedatur eſſe eiuſdem generis in ratione poteſtatis reſpectu eiuſdem generis effectorum, quæ vtraq; reſpicit: non tamen idcirco ſunt eiuſdem generis in ordine ad cultum. Nam poteſtas quæ in Deo eſt, ideò meretur Diuinum cultum, quia eſt poteſtas primi principij, & idem eſt cum Deo: quod cùm poteſtati creatæ non conueniat, ſequitur eam non eſſe in hoc eiuſdem generis cum Diuina poteſtate. Quocirca rectè à me aſſertum eſt in Monſtris, Diuinam poteſtatem ea ratione, qua in Deo eſt, abſq; Diuina natura communicari non potuiſſe: quia nimirum, vt eſt poteſtas primi principij, & eadem cum natura Diuina, communicari abſq; Diuina natura non potuit. Idq; Smalcius non ſolùm expugnare non potuit, ſed neq; oppugnare ſciuit. *Participata poteſtas quô poteſt eſſe eiuſdem generis cum principe poteſtate? Smalcius idiota in oppugnando.*

Non eſt verò à me negatum, eam alia inferiori ratione communicari non potuiſſe. Sed ea communicatio minimè ſufficit, ad honorem Diuinum communicandum. imò ſi eam ſolam Chriſtus haberet

Digitized by Google

abſq; vlla naturæ Diuinæ communicatione, omnino nec Deus verus eſſet, nec vero diuino honore dignus.

Aſſertio quarta Smalcij.

Probatio eius duplex.

Ait quartò, poteſtatem Diuinam participatam mereri Diuinum cultum. quod probat tùm ratione, tùm ſacris literis. quis enim, inquit, neſcit ob poteſtatem honorem alicui deberi, eumq; tantò maiorem, quantò maior eſt poteſtas. Literæ verò ſacræ cùm dicunt, Patrem Filio dediſſe omne iudicium, hoc eſt omnem poteſtatem iudicandi, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem, quid aliud dicunt, quàm ipſam Chriſti poteſtatem ſuadere, vt ei cultus Diuinus tribuatur?

Vtraq; inepta.

Prima refellitur.

Poteſtas in Chriſto participata, nō eſt eſſentialiter Diuina.

& ideò nec cultu Diuino afficienda.

Verùm vtramq; probationem ineptam eſſe, inde perſpicitur. Nam quod ad priorem attinet, vti verum eſt, cuiq; poteſtati conuenientem honorem deberi: ita poteſtati, quæ verè & intrinſecè Diuina eſt, & in Deo reſidens, verus Diuinus cultus debetur. Talis enim poteſtas eſſentialiter eſt idem quod Deus: ac proinde eodem, quo ipſe Deus, cultu colenda. At poteſtas participata, qualem illi ſtatuunt in Chriſto, non eſt hoc modo Diuina, id eſt intrinſecè & eſſentialiter. eſt enim poteſtas rei creatæ, ab ea, quæ in Deo eſt, diuerſa, in re creata reſidens, ſolaq; denominatione extrinſeca, quia à Deo communicatur, dicitur Diuina. Quocirca non eſt neceſſe, vt verum Diuinum cultum mereatur. quod vel ex eo patet: quia in hominibus & Angelis eſt etiam poteſtas Diuina participata, tum ad iudicandū, tùm ad miracula patranda, ob eamq; poteſtatem in ſcriptura Dij vocantur. neq; tamen quiſpiam dixerit, propter eam poteſtatem, illos vero Diuino cultu afficiendos. dixi verò, Diuino cultu: non enim negari poteſt, illos ob talem poteſtatem aliquo honore, eoq; non ciuili ſed religioſo affici poſſe, cùm omnis poteſtas conuenientem ſibi honorem mereatur. Verùm is cultus nullo modo dici poteſt, verè, & quoad eſſentiam Diuinus, ſicut nec poteſtas eſſentialiter & intrinſecè eſt Diuina: & ſicut hæc poteſtas à Diuina poteſtate plurimùm diſtat, ita cultus à cultu.

Reſponſio Smalcij.

Premit hæc inſtantia Smalcium, eoq; confugit, vt dicat, non propter poteſtatem qualemcumq;, Diuinum honorem Chriſto deberi, ſed propter talem & tantam, quæ Diuinæ potentiæ par eſt ſuo modo in nobis regendis & ſeruandis. qualem poteſtatem cùm non habeant homines & Angeli, idcirco Diuinum honorem non merentur. Verùm hæc reſponſio & nimis friuola eſt, & Smalcij doctri-

Smalcij do-

nam euer-

nam euertit. Etenim paulò ante probabat Smalcius vniuerſè, Diuinæ poteſtati Diuinum honorem deberi: hic verò concedit in hominibus Diuinam poteſtatem, cui tamen negat cultum Diuinum deberi. Seipſum igitur euertit Smalcius. Etſi enim poteſtas Diuina in hominibus & Angelis, ſit diuerſi generis ab ea poteſtate, quæ eſt in Chriſto: quòd hæc ad nos regendos & ſaluandos pertineat: illa verò, aliò ſpectet: tamen vtraq; eodem modo Diuina eſt, nempè participatione Diuinæ poteſtatis. Vel igitur vtraq;, quia Diuina eſt, merebitur Diuinum cultum; & ſic homines & Angeli Diuino cultu colendi erunt, vel neutra Diuinum honorem merebitur, & ſic ſequetur poteſtatem Diuinam participatam cultum Diuinum non mereri. *...ctrinam euertit.*

Deinde poteſtas illa participata in Chriſto, peto, vnde Diuinũ cultum mereatur? an quia Diuina eſt? an quia non ſolùm Diuina, ſed & tanta, quanta in Deo? ſi dicatur primum, ſequetur omnem poteſtatem Diuinam, in hominibus & Angelis Diuinum cultum mereri. Si ſecundum, cùm hic duo dicantur; nempè poteſtatem eſſe & Diuinam, & tantam quanta in Deo, conſequenter dici deberet, ratione primi, quia Diuina eſt, mereri cultum Diuinum: ratione verò ſecundi, quia tanta, mereri tantum cultum, hoc eſt longè maiorem Diuinum honorem, quàm mereatur alia poteſtas, quæ non ſit tanta. Si enim poteſtas abſolutè, non meretur abſolutè Diuinum honorem, nec tanta poteſtas, merebitur tantùm Diuinum honorem. Quocirca non euadet Smalcius, quominus cogatur dicere, hominum & Angelorum poteſtatem Diuinam, Diuinum cultum mereri: licet longè minorem, eo Diuino cultu, quem meretur illa poteſtas Chriſti Diuina participata. *Premitur Smalcius vehementer.* *Innodatur inexplicabiliter.*

Adhæc certum eſt, omnem poteſtatem, quæ in Deo eſt, mereri Diuinum cultum, non ſolùm eam, quæ eſt ad nos regendos & ſaluandos, ſed etiam quæ aliò ſpectat. Vtraq; enim idem eſt, quod Deus, ergo ſicut poteſtas regendi nos & ſaluandi, ab hac Diuina deriuata in Chriſto meretur Diuinum cultum: Angelorum quoque & hominum poteſtas, à Diuiua poteſtate deriuata, merebitur cultum Diuinum: licet illa, quia maior eſt, merebitur maiorem: hæc quia minor eſt, minorem. *Omnis poteſtas in Deo meretur cultum Diuinum.*

Nam quod ait Smalcius, poteſtatem Angelorum non eſſe verè Diuinam; quia non eſt eius generis, cuius ea eſt, quæ in Deo eſt. nec enim poſſunt Angeli poteſtate, quam habent, nos à morte liberare, & vita æterna donare. *Smalcij dictum cum Smalcio pugnat.*

 Primùm

Primùm in eo Smalcius ſibi contradicit. hactenus enim docuit, homines & Angelos dici in ſcriptura veros Deos, à Diuina poteſtate, quam habent. Hoc autem quomodo ſtare poteſt, ſi poteſtas eorum non ſit verè Diuina? an verus Deus dici poterit, abſq; vera poteſtate Diuina? in qua Smalcius totam rationē Diuinitatis cōſtituit.

Smalcius ineptè probat, poteſtatē Angelorum nō eſſe verè Diuinam.

Prima Ratio.

Deinde nimis ineptè probat non eſſe verè Diuinam, ex eo quòd eſt alterius generis ab ea poteſtate, quæ eſt in Deo, ad nos ſaluandos. Etſi enim ſit alterius generis à poteſtate nos ſaluandi, non tamen eſt alterius generis à poteſtate miracula faciendi, quæ in Deo eſt. Nam ſicut poteſtas ſaluandi in Chriſto, dicitur eſſe eiuſdem generis cum poteſtate Diuina, quia eſt eius participatio: ita poteſtas hominum & Angelorum, ad miracula patranda, dici debet Diuina in ſuo genere, quia eſt eius poteſtatis, quæ in Deo eſt, participatio. quæro enim, quare poteſtas ſaluandi in Chriſto dicatur Diuina? an quia eſt eiuſdē generis cum poteſtate, quæ in Deo eſt, nempè eiuſdem generis effectus reſpiciens? At etiam poteſtas Angelorum & hominum ſupernaturalis, hoc modo erit eiuſdem generis cum Dei poteſtate, ac ex conſequenti Diuina. An quia reſpicit Diuinos, id eſt ſoli Deo proprios effectus? At hoc modo omnis poteſtas ſupernaturalis hominibus & Angelis communicata, erit etiam Diuina: Falſum igitur eſt, quod ait Smalcius, non eſſe Diuinam.

2.

Præterea, quemadmodum Deus, non vnius tantùm generis poteſtatem in ſe habet, hoc eſt, non ad vnius generis effectus ſpectantē, (ſic enim hæc vox, *vnius generis*, explicatur a Smalcio,) ita nec poteſtas à Diuina deriuata, debet eſſe vnius generis: ſed licet ſit diuerſi generis ab altera, à qua non deriuatur; cum ea tamen à qua deriuatur, eſt eiuſdem generis; ac proinde propter talem deriuationem, Diuina dicenda erit. Nam etiam poteſtas creandi, eſt diuerſi generis à poteſtate ſaluandi: vtraq; tamen æquè Diuina.

Angeli & homines iuxta Smalciū religioſo cultu colendi. In quo vel obliuioſus eſt ſupra dictorum vel ſibi contradicit, vel ſeſe corrigit.

Nolo autem diſſimulare, quid Smalcius ſentiat de eo honore, qui debetur Angelis & hominibus: qui Dij in ſcriptura appellantur ob poteſtatem diuinitus ſibi conceſſam. ait enim eum honorem eſſe, nec humanum ſeu ciuilem, nec Diuinum, ſed religioſum. Agnoſcat igitur ex hac doctrina Smalcius, dari honorem mediū inter ciuilem & Diuinum, quo Sanctos coli oportet, ob dona Diuina illis conceſſa: cuius tamen doctrinæ non meminerat, fol: 34. in cultu Sanctorum oppugnando.

Iam

Digitized by Google

Iam quod ſecundo loco probat ex ſacris literis, poteſtatem Diuinam participatam Diuinum honorem mereri: quia inquit, poteſtas iudicandi Chriſto data eſt eo fine, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem. in ea re vel principium petit, vel nihil concludit. Nam nos etiam fatemur, poteſtatem illam iudicandi Chriſto homini datam à Patre. At non illico concedere nos oportet, eam poteſtatem eſſe participatam & deriuatam à Diuina, ſed dicimus eſſe eandem numero poteſtatem, quæ in Patre eſt. Dari autem illam dicimus, non per productionem de nouo, ſed per vnionem naturæ Diuinæ hypoſtaticam. Aut igitur pro conceſſo accipit Smalcius, quod probandum erat, poteſtatem illam iudicandi in Chriſto eſſe diuerſam à Diuina; aut ex hoc ſolo, quòd ea data ſit, ineptè concludit, datam eſſe diuerſam: potuit enim eadem numero vnà cum natura illi vniri, vti omnes Catholici ſemper crediderunt.

Secũda Aſſertionis Smalciana probatio vel principium petit.

Vel nihil cõcludit.

Cùm igitur Smalcius probare non potuerit, Diuinam poteſtatẽ rebus creatis communicatam, mereri Diuinum cultum; nos non mereri, vel hac interim ratione probamus. id enim quòd Diuinum honorem meretur, debet eſſe verus Deus. nefas enim eſt, præter vnum verum Deum, alicui cultum Diuinum verum deferre. Cùm igitur omnis poteſtas rebus creatis à Deo communicata, quantumcumq; Diuina dicatur, ſit à Deo diuerſa, nec idem quod Deus verus, conſequens eſt Diuinum cultum non mereri. Sola poteſtas, quæ in Deo eſt, ſicut verè & per eſſentiam eſt Diuina, & idem cum Deo; ita Diuinũ cultum verum meretur.

Diuina poteſtas participata cultũ Diuinũ non meretur cõtra Smalcium.

Dixi, verum Diuinum cultum. is enim cultus, qui debetur Angelis & hominibus, ex eo quòd Dij in ſcriptura vocantur, non eſt verè Diuinus; ſicut nec ipſi ſunt veri Dij: & ſicut propter ſimilitudinẽ dicuntur Dij: ita quoq; cultus eorum non niſi ob ſimilitudinèm dici poteſt Diuinus, eo dicendi genere, quo & homines dicuntur Diuini, & res Diuina, quæ ad Deum aliquomodo ſpectat

Reſtat expendendum vnum, quod Smalcius ait, Chriſto communicatam eſſe poteſtatem parem Diuinæ poteſtati: ideoq; mereri Diuinum cultum. qui enim fieri poteſt, vt ſi Chriſti poteſtas ſit à Dei poteſtate diuerſa, par illi eſſe poſſit? an verò extra Deum aliquid par Deo dici poteſt? cùm quidquid ſit extra Deum, ſit infra Deum, & minus Deo. In quo verò hæc paritas conſiderabitur? ſi in eſſentia poteſtatis, id nullo modo dici poterit. quæ enim comparatio creatæ

Trutinatur dictũ Smalcij.

& omnino

& omnino dependentis poteſtatis cum increata & omni ratione independenti: cùm hæc ſit idem, quod Deus, & ex ſe independens & infinita. illa nihil horum habeat, ſed limitata eſt, & pendet, tàm in fieri quàm in conſeruari, à poteſtate Diuina. Si verò hæ poteſtates conſiderantur in ordine ad effectus; ſic & quantitate & qualitate maior eſt poteſtas Diuina. Nam ea, quæ in Christo ab iſtis ſtatuitur, ſolùm ſe extendit ad nos regendos & ſaluandos, non ad mundum creandum, & cætera omnia. At poteſtas in Deo, extendit ſe ad omnia. Circa eoſdem verò effectus, etiam perfectione multùm præſtat poteſtati Chriſti; eſt enim independens & infinitè perfecta: quod de Chriſti poteſtate iſti non aſſerunt. Adhæc Chriſtus nos ſaluare poteſt redimendo, ſacrificando, interpellando pro nobis Patrem: Deus verò abſoluta poteſtate ſua, & dominio, nos ſaluare poteſt. Quare Dei poteſtas perfectione longè ſuperat Chriſti, quà homo eſt, poteſtatem. Quomodo igitur dicta poteſtas, dici poterit par Diuinæ, ſi & eſſentia & quantitate & qualitate eſt illa minor, ac proindè inæqualis.

Poteſtas Chriſti, quà homo eſt, nullo modo eſt par Diuinæ.

Reſponſio Arianorũ nulla.

At inquiunt, non eſſe parem abſolutè, ſed in quodam genere: quia nimirum in nobis regendis & ſaluandis omnem poteſtatem Pater dedit Filio. Neq; id rectè dicitur. Nam hac ratione omnes res creatæ dici poſſunt, habere in quodam genere parem poteſtatem, ei quæ in Deo eſt, poteſtati. quia in illo genere habent poteſtatem deriuatam à Diuina poteſtate: & quidem tantam, vt in illo genere tantùm poſſint, quantùm Deus in eodem genere. Nam licet Dei poteſtas perfectior ſit & independens: tamen ſi in ordine ad effectus ſolùm ſpectetur, non alios effectus illius generis efficit, niſi quos cauſæ creatæ efficiunt. Si igitur Ariani hoc ſolummodò dicunt eſſe parem poteſtatem Chriſti, Diuinæ poteſtati, & eiuſdem generis cum illa, nihil dicunt, quod non dici de alia re qualibet creata poſſit: atq; ita cùm aliquid dicere volunt, nihil dicunt.

Ariani ante Aſcenſionem Chriſto negant parẽ poteſtatem Diuinæ.

Dilemmate vincuntur.

At neq; in hoc Aduerſarijs fides danda eſt, quòd faciant in quodam genere, hoc eſt in nobis regendis & ſaluandis, Chriſti poteſtatem Diuinæ parem. Nam in primis ante aſcenſum in cœlum, non concedunt hanc Chriſto poteſtatem, in eo gradu, vt eſſet par Dei poteſtati. Volunt enim, tunc non habuiſſe perfectam poteſtatem in cœlo & in terra, ſed poſt aſcenſum in cœlum accepiſſe omnem poteſtatem & ſubieciſſe ſibi omnia. Tunc igitur vel erat Chriſtus honore dignus,

re dignus, vel non erat. Si affirmant, ſeipſos condemnabunt, cùm docent non propter quamcunq; poteſtatem Chriſtum mereri Diuinum honorem, ſed ſolùm propter talem ac tantam, quæ ſit par Dei poteſtati. Cùm igitur tota ſua vita, & toto quo in terra vixit tempore, dicant eum caruiſſe æquali cum Deo poteſtate, quomodo affirmare poterunt (niſi ſuos errores reijciant) Chriſtum tunc Diuino honore fuiſſe dignum? Si verò negent, blaſphemi erunt, & Chriſto iniurij. Legimus enim Chriſtum adoratum, tanquam Deum & Dei Filium cũ recognitione Diuinæ in ipſo poteſtatis, tùm à Magis, tùm à multis Iudæorum, deniq; à Thoma poſt reſurrectionem ante aſcẽſum ipſius in cœlum. Neque enim adoratio illa dici poteſt ciuilis, cùm fuerit cum confeſſione Diuinæ ipſius poteſtatis coniuncta. Adorare verò aliquem tanquam Dei Filium, ob Diuinam in eo relucentem poteſtatem, eſt ſecundùm iſtos Diuinus cultus.

Quin & poſt Aſcenſionẽ, eadem Chriſtũ ſpoliant.

Si verò de ſtatu Chriſti in cœlo regnantis loquamur, etiam in eo ſtatu parem illi cum Deo poteſtatem ſaluandi non concedunt: Etenim Deus ſine ſanguine Chriſti, & ſine ea redemptione, quæ eſt per Chriſtum Ieſum, ſaluare nos poteſt abſoluta ſua & independenti poteſtate: iſti verò non aliam Chriſto poteſtatem nos ſaluandi tribuunt, niſi per ſanguinem ipſius, & morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento.

Ariani fallunt & falluntur.

Fallunt igitur Ariani & falluntur, cùm ſe parem cum Deo poteſtatem Chriſto tribuere gloriantur: eoq; rem deducunt, vt cùm ex eorum ſententia, nullus qui parem cum Deo poteſtatem non habeat, Diuino cultu ſit afficiendus; Chriſtus verò & in cœlo, & in terra exiſtens, parem cum Deo poteſtatem non habuit, vt ex eorum principijs demonſtratum eſt; conſequens ſit eos nullo modo dicere poſſe, Chriſtum eſſe talem Deum, qui Diuino honore ſit dignus; & cùm dicunt, turpiter hallucinantur.

Catholicorũ gloriatio propria & ſolida.

Noſtra hæc eſt gloria, qui in Chriſto parem cum Deo poteſtatem ſine vlla exceptione agnoſcimus, & eam Chriſto homini vnà cum natura Diuina per vnionem hypoſtaticam communicatam ex ſcripturis credimus. Ea enim ratione parem cum Deo honorem, & Diuinum cultum Chriſto, meritiſſimo iure tribuere poſſumus, vti reuera tribuimus, tribuemuſque ſemper.

Argumentũ contra Arianos.

Addo & aliud ad eam rem, ex ipſa re argumentum. Poteſtas enim dependens & independens pares eſſe nequeunt. Cùm igitur

 Dei pote-

Digitized by Google

Dei poteſtas ad nos ſaluandos ſit independens: Chriſti verò poteſtas cùm ſit diuerſa à Diuina, neceſſariò ſit dependens, non poteſt vllo modo dici par Diuinæ poteſtati.

Illorum effugio cōſueto obex ponitur. Neq; valet conſuetum illorum effugium; cùm dicunt, poteſtatem Chriſti eſſe dependentem, quia à Deo data: reſpectu verò effectuum eſſe independentem, quia tanta, quanta in ipſo Deo. Hoc enim commentum facilè refellitur. Nam iſti ſtatuunt poteſtatem in Chriſto intrinſecè dependentem, etiam reſpectu effectuum. Etenim Chriſto non tribuunt aliam poteſtatem nos ſaluandi, niſi dependentem à ſuo ſanguine, & morte: ita vt ſine ſanguine & morte, negent Chriſtum nos ſaluare poſſe. quam dependentiam cùm non habeat poteſtas Diuina, quis non videt, etiam reſpectu effectuum, Chriſti poteſtatem eſſe limitatam & dependentem: ſiquidem non omni ea ratione & perfectione, qua Deus, ſecūdùm ipſos, poteſt nos ſaluare.

Smalcius adhuc arguitur. Iam verò Smalcius, cùm ex pari cum Deo poteſtate, infert Diuinum cultum, & in eo arguendus eſt. Nam ſi ex pari cum Deo poteſtate, inferre licet, parem cum Deo cultum; etiam ex poteſtate abſolutè accepta, inferre licebit Diuinum cultum abſolutè. Cùm igitur Smalcius neget poteſtatem Diuinam abſolutè poſcere Diuinum cultum, non poteſt etiam pari poteſtati concedere parem cultum. aut ſi hoc concedit, illud quoque concedere debet. Seruanda enim eſt proportio inter poteſtatem & cultum; vt poteſtati abſolutè, cultus abſolutè reſpondeat: tantæ verò poteſtati, tantus cultus. Res enim ipſa loquitur, niſi poteſtati alicui ex ſe debeatur Diuinus cultus, neq; pari poteſtati, debebitur par cultus.

Grauiſſimè peccare Arianos, cùm Chriſtum eſſe natura Deum negant. CAP: XII.

Velamentū impietatis Arianorū. SOlent impietatem ſuam hoc præcipuè argumento contegere Ariani, quòd ſcripturæ noui Teſtamenti, præter Deum Patrem, alium quoq; qui non ſit naturà Deus, colendum præcipiant. eæ namq; colendū eſſe docent eū, cui Pater omne iudiciū dedit: cui Deus dedit nomen, quod eſt ſuper omne nomen. quia ei obediens vſq; ad mortē fuit. Hic verò nullo modo, Deus eſſe natura poteſt: ei enim qui natura Deus eſt, nihil dari poteſt, cùm à ſeipſo omnia habeat: neque is mori vllo modo poteſt. Ita Smalcius cap: 8. At errat turpiſſimè.

Tollitur & reijcitur. Nihil enim Scripturis noui Teſtamenti magis repugnat, quàm alium

Digitized by Google

alium Deum coli, præter vnum verum Deum, nec aliud quidpiam in ijs adeò inculcatur, quàm vt vnus Deus colatur, vt ſupra demonſtratum eſt. Etſi enim alium præter Patrem præcipiant pro Deo coli, nempè hominem illum Chriſtum; nunquam tamen alium Deum eſſe docent, nec diuerſum ab eo, qui eſt natura Deus. alioqui ſecum ipſæ pugnarent, ſi nunc vnum Deum colendum præciperent, nunc alium præter vnum colendum indicarent.

Ratio infirmiſſima Smalcij. Ratio verò, qua ſuum errorem probare contendunt, infirmiſſima eſt. Etſi enim Deo, qui ſolùm eſt natura Deus, nec vllam aliam naturam aſſumptam habet, donari propriè nihil poſſit; cùm omnia ex ſe, id eſt, ex natura ſua habeat; tamen ei, qui ita eſt naturà Deus, vt etiam ſit natura homo, donari aliquid naturæ humanæ reſpectu, nil repugnat. cùm natura humana ex ſe omnia non habeat, & multis perfectionibus, quas habere poteſt, ex ſe careat. Talem porrò Deum, eſſe Chriſtum ex ſcripturis credimus, qui ſimul ſit etiam homo; eiq; qua homo eſt, dari aliquid à Deo & donari poteſt, abſq; vllo naturæ Diuinæ præiudicio.

Perperam igitur argumentantur Ariani, cùm ex eo quòd Chriſto homini, aliqua legantur à Deo data, concludunt Chriſtum non eſſe natura Deum. Chriſtus enim & quà Deus, natura ſua omnia habet; & quà homo, accipit à Deo omnia. Et quamuis in vna perſona, duas eſſe naturas pro impoſſibili habeant Ariani: tamen id hucuſq; nulla veri ſimilitudine probare potuerunt, & totus orbis Chriſtianus id eſſe poſſibile credidit ſemper. Videant ergo, quàm ſtramineo nitantur fundamento, cùm rem omnium grauiſſimam ineptiſſima ratione concludunt, cuius conſecutio ſemper neganda eſt. Non enim, ſi Chriſto naturæ humanæ reſpectu, dari aliquid poteſt, cōſequens eſt, ipſum non eſſe, ratione alterius naturæ, Deum. ſed ſolùm ſequitur, ratione humanæ naturæ, (cui aliquid dari poſſe, quod ex ſe non habeat, nemo inficiatur) non eſſe naturà Deum. *Ariani ſtramineo nituntur fundamento.*

Ariani in Chriſtū peccant 1. Peccant igitur in Chriſtum Ariani, primùm ex eo, quòd temerè id Chriſto negant, quod ſcriptura nunquam denegat: neque ad rem tantam vllas claras ſcripturas, ſed ſophiſticas & fallaciſſimas conſequentias producunt.

Smalcio reſpondetur Primò. Porrò ſcripturas id non negare, vel illud argumento eſt, quod illos maximè reprehendat, qui eos pro Dijs colunt, qui non ſunt naturà Dij, Gal: 4. 8. Nam quod Smalcius ait, reprehendi gentiles, quia ido-

quia idola colerent quæ non erant natura Dij. rectè quidem. At in idolorum cultu hunc defectum notat ſcriptura, quòd non eſſent naturâ Dij, & idcirco Diuino cultu eſſent indigni; quod etiam in Chriſtum procul dubio conueniret, ſi Deus natura non eſſet.

Secundò. At enim Chriſtum Deus coli præcepit. fateor; ſed idcirco præcepit: quia ille homo, Deus quoque naturâ eſt. & niſi Deus naturâ eſſet, nullo modo id Deus poſſet præcipere. ſibi enim ipſi repugnaret, cùm ſolum vnum Deum, qui eſt natura Deus, coli præcipiat.

Stultum additamentũ Smalcij. Stultum verò eſt, quod addit Smalcius: idola eo ſenſu non eſſe naturâ Deos, non vt natura ſignificat eſſentiam, ſed vt natura ſignificat idem, quod propriè & re ipſa eſt. Sicut Epheſ: 2. dicuntur Iudæi & Gentes naturâ filij iræ, hoc eſt propriè & re ipſa. Dicendum enim eſt, quòd etſi qui natura ſunt filij iræ, ſint etiam propriè & re ipſa filij iræ; tamen ideò dicuntur propriè & re ipſa filij iræ, quia ex ipſa natura ſunt filij iræ. Naſcuntur enim filij iræ; & vnà cum natura ſecum ferunt, quòd ſint obnoxij iræ Diuinæ, propter originis peccatum, quod cum natura contrahunt. quare neq; Chriſtus hoc ſenſu dici poterit naturâ Deus, id eſt propriè & re ipſa, niſi ſit natura, id eſt eſſentia Deus.

Natura eſſe Deum quid eſt?

Inane obiectum. At enim inquit, naturam & eſſentiam Diuinam ſacræ literæ vnam eſſe perhibent. Quid tum? neq; enim nos aliam numero eſſentiam Diuinam inducimus, ſed eandem numero, quæ eſt in Patre, Chriſto quoq; homini communicari per vnionem hypoſtaticam aſſerimus, quòd cõtradictionẽ implicare Ariani nũquã probaturi ſunt.

Secũdò peccát Ariani. Locus Pauli exponitur, Chriſto, niſi ſit Deus natura, nefas eſt ſeruire. Deinde & in eo peccant Ariani, quòd manifeſtas de ea re ſcripturas peruertunt. Nam ad Rom: 1. 25. Paulus Gentes eo præcipuè nomine reprehendit, quòd commutarint veritatem Dei in mendacium, & coluerint ac ſeruierint potiùs creaturæ quàm creatori. Etenim veritatem Dei in mendacium commutârunt, quia pro vero Deo, mendacium, id eſt falſos Deos coluerunt. In hoc verò falſorum Deorum cultu, hoc veluti maximè abſurdum notat, quòd ſeruierint potiùs creaturæ, quàm creatori. Creatori ſiquidem, cùm ſit naturâ Deus, iure ſeruire debet, id quod creaturæ non conuenit. Nefas ergo & abſurdum Paulus exiſtimat, ſeruire alicui, qui non ſit creator & naturâ Deus. Nefas igitur ſecundùm Paulum erit, Chriſto quoq; ſeruire, niſi Deus creator & naturâ Deus eſſe credatur.

Smalcij ex- Hîc Smalcius primùm ait, commutare Dei veritatem in mendacium

Digitized by Google

dacium eſſe, relicta veritate Euangelij, doctrinas mendaces Ethnicorum ſequi. ſed fallitur. nam Paulus idem ℣. 25. repetit, quod alijs verbis ℣. 23. Ethnicis obiecerat. *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis.* Per veritatem ergo Dei, & mẽdacium, veri Dei & falſorum cultum intelligit. frequens enim eſt in ſcriptura, idola dici mendacium, quia non ſunt id, quod eſſe creduntur. Vnde & Paulus ait 1. Cor: 8. 4. *Scimus, quia idolum nihil eſt.* quòd ſi veritas Dei, vera Dei cognitio intelligatur, proculdubio nõ ea accipienda eſt, quæ ex Euangelio habetur, quæ nondum ad omnes Gentes peruenerat, ſed quæ naturæ lumine de Deo habetur, vt ex antecedentibus patet. *plicatio falſa.*

Ait ſecundò Smalcius, à Paulo Ethnicos illos reprehendi, quòd creatorem non colebant, ſed eius loco creaturam. quod ad eos non pertinet, qui cum Deo creatore, Chriſtum quoq; creaturam colunt. Atqui per ſe manifeſtum eſt, in vtroq; Gentiles erráſſe. & quòd non coluerint creatorem, vti debebant: & quòd eum honorem, quem creatori debebant, darent creaturæ: in vtroque etiam reprehendi à Paulo; & quòd ſeruirent creaturæ, & quòd potiùs quàm creatori, hoc eſt relicto creatore. auferebant enim, quod debebatur creatori, & tribuebant id, quod tribui non poterat, creaturæ. Vtrumque etiam paulò ante ℣. 23. reprehenderat in Gentilibus, & quòd commutarent gloriam incorruptibilis Dei, & quòd in imaginem corruptibilis hominis. alibi etiam paſſim in ſcriptura ob vtrumq; arguuntur idololatræ, & quòd reliquerint Deum fontẽ aquæ viuæ, & quòd effoderint ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas, nomenq; incommunicabile, lignis & lapidibus impoſuerint. Sap: 14. 21. Non habet igitur quo ſuum errorẽ tueatur Smalcius, cùm Chriſtum eſſe creatorem non agnoſcit, ſed eum vt meram creaturam colit pro Deo. Nos etſi Chriſtum hominem credimus; tamen cùm illum pro Deo colimus, non colimus tanquam creaturam, ſed tanquam creatorem. Ille enim homo, eſt etiam Deus, creator cœli & terræ. Quare non nos, ſed Ariani in reprehenſionẽ Pauli incurrunt.

Paulus in quo Ethnicos reprehẽdit?

In eandem reprehenſionem incurrunt Ariani.

Nil verò iuuat Smalcium, cùm ait Paulum loqui de creatura per ſe conſiderata. Chriſtus verò eſt creatura Diuina, poteſtate prædita. Conſtat enim Paulum, creaturam opponere creatori, & de omni creatura loqui, quæ non eſt creator. Talis autem creatura, cùm ſecundum Arianos, ſit etiam Chriſtus, ſequitur æquè errorem Aria- *Reſponſio Smalcij inutilis.*

 norum

Digitized by Google

norum ac Ethnicorum in ſententia Pauli perſtringi. Si enim Chriſtus non eſt creator, ſed ſolùm creatura, quantacunq; Dei poteſtate prædita, coli proculdubio pro Deo non poteſt.

Alius locus Hieremiæ contra Arianos.

Id quod etiam ab Hieremia prædictum eſt c. 10. 11. *Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ ſub cœlo ſunt.* quibus verbis indicatur cauſa, ob quam ſunt exterminandi de terra tales Dij. quia nimirum non fecerunt cœlum & terram. Ergo ſi Chriſtus non ſit Deus creator cœli & terræ, nullo modo pro Deo colendus erit.

Futilis euaſio Smalcij & ſtulta.

Friuola verò eſt Smalcij euaſio, cùm ait id dictũ eſſe, antequam Chriſtus Dominus eſſet natus, parumq; curandum eſſe, quid dicat de cultu Dei Propheta veteris fœderis: neq; cultus Diuinus addiſcendus eſt Chriſtianis ex Prophetis, ſed ex Euangelio IESV Chriſti, & ex doctrina Apoſtolica. Quid enim in hac reſponſione non eſt reprehenſione dignum? Primùm enim, non aduertit Smalcius rationem, ob quam Dij illi exterminandi ſint, illam poni, quia non fecerunt cœlum & terram. Si igitur hæc ratio valet aliquid, non minus in nouo, quàm in veteri teſtamento valebit, & ob eam ſequetur, etiam in Euangelio, eos Deos exterminandos, qui non fecerunt cœlum & terram. Ea ſiquidem cauſa, iuſta cenſetur Dei decreto ad Deos exterminandos. quòd ſi hæc ratio in Euangelio non concludit, nec eſt ſufficiens ad Deos exterminandos, pari ratione neque in veteri concludere debuit: quod ſine blaſphemia dici non poteſt. Et ſanè non aliud peccatum illorum Deorum, qui exterminari iubentur, commemoratur, quàm quòd non fecerint cœlum & terram. Ergo ſi hoc idẽ peccatũ habeant Dij noui teſtamẽti, pari ratione erunt exterminandi.

Alia nõ abſimilis.

Nam quod ait Smalcius, ſermonem hic, de Dijs non ſubordinatis eſſe: dicimus hoc loco non id obijci Dijs illis, quòd non ſint ſubordinati, ſed quòd non fecerint cœlum & terram: ita vt propter eam præcipuè cauſam non mereantur haberi pro Dijs veris. quæ ratio æquè valet in Dijs ſubordinatis ac non ſubordinatis. vtriq; enim æquè non merentur pro Dijs veris haberi & coli; quia non fecerunt cœlũ & terram. quare etſi lex illa contra Deos non ſubordinatos præcipuè valeat: tamen ex ſe ita vniuerſalis eſt, vt etiam ſubordinatos comprehendat, ſi pro Dijs veris coli debeant.

Friget reſpõſio Smalcij.

Deinde quàm frigidè illud apponitur, quòd nondum Chriſtus Dominus eſſet natus. An non enim ſatis eſt, quòd crederetur naſciturus, & Deus ac Dominus futurus, vt toties in Pſalmis & Prophetis

prædictum

Digitized by Google

prædictum erat? Certè ſaltem Hieremias non ignorabat, Chriſtum Deum futurum: quomodo igitur in illum tam grauiter pronunciare auſus fuiſſet, & illum communi maledicto aliorum Deorum inuoluere, ſi cum Arianis credidiſſet, illum cœli & terræ conditorem non eſſe. Fuiſſet enim illud Dei, apud Hieremiam, decretum ſufficiens Iudæis, ad Chriſtum quoque exterminandum, & non credendum eſſe verum Deum.

Quàm abſurde de Prophetarum ſcriptis Smalcius loquitur?

Iam cùm tam abſurdè de Prophetarum ſcriptis loquitur, vt parum curandum eſſe dicat, quid Prophetæ de cultu veri Dei dixerint, quis os tam impudens & abſurdum ferat? Ergonè Prophetarum ſcripta fabulæ Æſopi Smalcio videntur, vt parum curanda homini Chriſtiano videri debeant? annè alio Spiritu Dei locuti ſunt Prophetæ, quàm Euangeliſtæ, vt minorem auctoritatem mereantur?

Chriſtus magnifecit Prophetarum ſcripta.

Certè Chriſtus adeò magnificè de Prophetarum ſcriptis ſemper ſenſit & locutus eſt, vt non ſolùm illa non curanda non duceret, ſed etiam ad illa maximè nos remitteret, & illorum teſtimonijs veritatē Euangelij comprobaret, & perſæpè doceret, ideo multa in Euangelio fieri debuiſſe, vt Prophetarum prædictiones & ſcripturæ veteris teſtamenti implerentur. neq; Prophetias Euangelio contrarias eſſe docuit vnquam, ſed potiùs diſertè aſſeruit, ſe veniſſe ad legem implendam, non ſoluendam. quare illa quoq; lex apud Hieremiam, de Dijs qui cœlum & terram non fecerunt, exterminandis impleri debet, non ſolui.

Obiectioni Smalcij ſatis fit.

Iam cùm opponit Smalcius, Deos ſubordinatos non eſſe exterminandos: quales Dij ſunt in ſcriptura, tam homines quam Angeli. Reſpondendum eſt, ſermonem eſſe de ijs Dijs, qui pro veris Dijs coluntur, quales erant Dij gentium. Hi enim cùm non fecerint cœlum & terram, cultu veri Dei non ſunt digni. Cùm verò homines & Angeli in ſcriptura, tam veteri quàm noua, dicuntur Dij, non dicuntur Dij veri, ſed ſolùm ob ſimilitudinem aliquam cum vero Deo: neque ſunt Dij tales, qui pro Dijs colendi proponantur, ſed tantùm ad Diuinam ſimilitudinem repræſentandam. quòd ſi quis aliquem ex Dijs iſtis ſubordinatis pro vero Deo colere vellet, is Deus proculdubio exterminandus eſſet, iuxta Dei ipſius decretum. ſiquidem omnes ij, qui non fecerunt cœlum & terram, exterminari iubentur.

Impudenter auctor carpitur à Smalcio.

Non poſſum hic impudentiam Smalcij non accuſare, qui me in eo carpit, quòd ſcripſerim, nullum in tota antiquitate pro Deo habitum

bitum eſſe, qui eſſet alteri ſubordinatus & dependens. id ita oppugnat, ac ſi de antiquitate eorum, qui veri Dei cultores eſſent, ageretur, vel à me ſcriptum eſſet. Cùm tamen id vniuersè dixerim de ijs omnibus, qui quoſcunq; Deos ſibi finxerunt vnquam. Nunquam enim tam ſtulti fuerunt, vt eos Dei nomine & honore dignarentur, quos eſſe ſummos non crederent; ita vt ex eo intulerim, Arianos, cùm Deũ ſubordinatum fingunt, cũ omniũ ſenſu & ratione pugnare.

Tertiũ peccatum Arianorum. At non eo ſolùm nomine Ariani grauiſſimè peccant, quòd contra ſcripturas, eum pro Deo recipiunt, quem eſſe naturà Deum non agnoſcant; ſed etiam quòd Chriſtum vera Diuinitate omnino priuant. Etenim niſi Chriſtum eſſe naturà Deum credant, nullo modo fateri poſſunt eum verum Deum eſſe. qua enim ratione is verus eſt Deus, qui veri Dei naturam non habet, ſed tantùm ſimilitudinem? Nam res vnaquæque, à propria ſua natura, dicitur vera: & ſi ea careat, non dicitur vera. Sic nec hominem, nec aurum verum dicimus, quòd hominis & auri naturam non habet. Sola verò ſimilitudo, ſicut non eſt re ipſa: ita nec facit rem eſſe vel dici talem, ſed ſimilitudinariè duntaxat. Cùm igitur ſit propria Dei natura, eaque hoc ipſo nomine, Deus (quod eſſe naturæ nomen ſupra demonſtrauimus) deſignetur, de nullo verè & propriè affirmari poterit, quòd ſit Deus, niſi qui Dei naturam habeat. Cæteri enim, qui Dij dicuntur, ob ſimilitudinem aliquam Diuinæ naturæ vel poteſtatis, non Dij veri ſed ſimilitudinarij dicendi ſunt.

Chriſtus niſi ſit natura Deus, nullo modo verus Deus dici poteſt.

Propoſitio Smalcij falſa. Falſum igitur eſt, quod hic ait Smalcius, veram Diuinitatem eũ habere, qui Diuina poteſtate ſit præditus; niſi enim præter poteſtatem, naturam quoq; Diuinam habeat, verus Deus nequaquam erit. Vera Diuinitas, eſt ipſa Dei natura, qua qui caret, vera quoq; Diuinitate carere dicendus eſt. etenim quòd rei alicuius natura caret, nullo modo res illa verè dici poteſt. quare & is, qui Dei natura deſtituitur, nullo modo verus Deus dici poteſt: cùm non à poteſtate, ſed à natura verus Deus dicatur. Sicut enim, ſi quæ res auri propriam virtutem habeat, ſine vera auri eſſentia (vti de auro chymico multi ſentiunt) nequaquam aurum verum, ſed auro vero ſimile, ſeu aurum ſimilitudinarium dici poterit: ita qui ſolam Dei poteſtatem communicatam habet, abſq; Dei natura, nullo modo Deus verus dici poterit, ſed ſimilis Deo vero, & Deus tantummodo ſimilitudinarius.

Vera Diuinitas in Dei natura, non in poteſtate Diuina conſiſtit.

Dupliciter Quod etiam in hunc modum explicari poteſt. Etenim duobus tantùm

Digitized by Google

tantùm modis, Deus aliquis dici poteſt, vel ob naturam Diuinam, vel ob naturæ Diuinæ ſimilitudinem & participationem quandam. Priori modo, vnus ille Deus, dicitur Deus: poſteriori, homines quoque & Angeli. Et quidem priori modo nemini dubium eſt, eum qui naturâ Diuina eſt prædìtus, eſſe Deum verum: poſteriori verò modo, dici non poteſt Deus verus, ſed Deo vero ſimilis, propter imperfectam Diuinæ naturæ participationem & ſimilitudinem. Nunquam enim ſimilitudo eſt res ipſa verè: & quantùm abeſt à natura rei, tantùm à veritate rei. vniuerſeq; verum eſt, id, quod propter ſimilitudinem ſolùm, non propter eſſentiam dicitur tale, nunquam verè dici tale. Nec refert, quòd in ſcriptura homines & Angeli Dij nuncupētur. vt enim propter ſimilitudinem, Dij aliquomodo dici poſſunt: ita Dij veri non poſſunt. nunquam enim ſimilitudo rei, eſt res ipſa vera; & in ſcripturis inauditum eſt, alios dici Deos veros, præter vnum Deum verum.

quis dici poteſt Deus, natura vel participatione.

Similitudo rei non eſt res ipſa verè.

Fruſtra etiam & temerè Smalcius aſſerit, Dei nomen non eſſe naturæ ſed dignitatis; niſi Deo naturam negare velit. Nam ſi concedat aliquam eſſe Dei naturam, ea Dei nomine non minus deſignatur, quàm nomine hominis natura hominis, neq; cùm Deum definimus, dignitatem tantùm eius aliquam, ſed omnino eſſentiam & naturam exprimimus. ita vt ſi Deo eſſentia negetur, negari quoque debeat & Diuinitas. qualis enim Deus erit, qui Diuinis omnibus perfectionibus & natura careat. Hoc enim Dei nomine omnes intelligūt, naturam quandam excellentiſſimam, qua nil maius, nil melius cogitari poſſit. Quamuis autem ad hanc naturam conſequatur illa dignitas, vt rebus omnibus præſit, eaſq; gubernet, non in ea tamen dignitate Dei ratio poſita eſt. Priùs enim Deus eſt in ſeipſo Deus per naturam omnium excellentiſſimam, omnia complectentem, tùm ratione eius naturæ nobis quoq; ſumma quadam ratione præeſt, & nobis quoq; Deus eſt. imò idcirco nobis Deus eſt, quia in ſeipſo Deus eſt, & niſi naturam illam omnium præſtantiſſimam haberet, non poſſet nobis ſumma poteſtate præeſſe. Naturæ enim dignitas facit vt omnia ſibi ſubijciat, & omnibus ſumma poteſtate præſit & dominetur: ita vt omnino dicendum ſit, naturam in Deo eſſe totius Diuinitatis fundamentum & cauſam; cùm & ipſa poteſtas Diuina in natura ipſa fundetur. Niſi enim Deus talem naturam, quæ perfectione infinita eſt, haberet, nec poteſtatem infinitam haberet.

Aſſertio alia Smalcij temeraria. Dei nomen eſt natura, non dignitatis.

O Non igi-

Inepta do-ctrina Smal-cij.

Non igitur propter excellentiam maiorem, neque κατ' ἐξοχὴν vnus tantùm dicitur Deus verus (vt ineptè docet Smalcius, & ſupra à nobis refutatus eſt) ſed propter ipſam Dei naturam, quæ vni tantùm Deo conuenit. quælibet enim res dicitur vera à ſua natura. ergo & Deus dicetur verus, ab ipſa Dei natura; quæ cùm vni tantùm Deo competat; vnus quoq; meritò in ſcriptura dicitur verus Deus.

Ineptè con-firmatur à Smalcio.

Ineptè verò ad ſuum errorem confirmandum, adducit illas ſcripturas, quibus ſolus Deus dicitur beatus, immortalis, ſapiens: alijs non excluſis, quominus ſint verè beati, immortales, ſapientes, licet minus excellenti ratione. Hoc enim exemplum ad propoſitum accommodari minimè poteſt. Nam vti etiam ſupra dictum eſt, beatitudo, immortalitas, ſapientia ſecundùm propriam ſuam rationem & naturam, rebus etiam creatis competunt. Vnde non poteſt dici ſolus Deus beatus, immortalis, ſapiens, quoad ipſam rei naturam, ſed tantùm quoad excellentiam; quòd videlicet iſta omnia excellentiſſima ratione poſſideat. At Deitas dicit naturam, quæ nulli alteri, præterquam vni Deo competit. Quocirca non propter excellentiam, ſed propter ipſam rei naturam, vnus ille Deus dicitur verus. Etſi igitur modus loquendi vtrobiq; ſimilis eſſe videatur, tamen idem loquendi modus in diuerſa materia diuersè accipiendus eſt, prout ſubiectæ rei natura poſtulat. Quando enim propriè accipi non poteſt, repugnante rei ſubiectæ natura, tunc recurri ad ſenſum improprium debet. At ſi in proprio ſenſu poſſit accipi, nõ niſi temerè ſenſus improprij effinguntur. Idem igitur hîc accidit. Cùm enim dicitur ſolus Deus beatus, non poteſt id in proprio ſenſu accipi, cùm alij quoq; ſint beati: debet igitur accipi in ſenſu figurato κατ' ἐξοχὴν. At cùm ſolus dicitur verus Deus, poteſt & debet id in proprio ſenſu accipi. Nam Deus propriè acceptus naturam Dei dicit: eſt enim vnaquæq; res propriè talis propter talem naturam. quia igitur vnus tantùm Deus eſt, qui naturam Dei habeat, ideò dicitur ſolus Deus verus. quare non κατ' ἐξοχὴν, ſed ſecundùm ipſam rei naturam dicitur ſolus verus Deus. plura in hũc ſenſum, etiã ſupra à nobis diſputata ſunt.

Solus Deus, dicitur beatus, immortalis, &c. propter excellentiam. Solus Deus verus dicitur vnus propter ipſam rei naturã.

Arianos nullo modo ſe tueri poſſe, quin Ethnicis meritò adnumerentur, quòd Deos duos colendos introducant. CAP: XIII.

Turpis & infamis nota Arianorũ.

POſtquam demonſtratum eſt, Arianos alterum Deum inducere, & plures Deos Chriſtianis colendos proponere, meritò illis obijcimus.

Digitized by Google

cimus, eos Ethnicis, non Chriſtianis adnumerandos: quòd Ethnicorum id ſit plures Deos colere. Nihil verò non facit Smalcius, vt ſe ſuosq; tàm turpi ac infami nota liberet. At tàm infirma & inania ſunt ipſius hac in re propugnacula, vt conſiſtere per ſe non poſſint, ſed ipſa ſponte ſua concidant.

Ait enim ſe non plures Deos colere, ſed cùm Paulo vnum Deum, qui eſt Pater; & vnum Dominum, qui eſt Chriſtus. at fucum facit. Non id enim Arianis obijcimus, quòd non credant illum vnum Deum, qui eſt Pater, & illum vnum Dominum, qui eſt Chriſtus, ſed quòd duos diuerſos Deos credant, & duos diuerſos Dominos. Nam Chriſtum alium Deum credunt, & Patrem alium Dominum. *Propugnacula Smalcij infirma. Primũ merum fucus.*

Friuolum verò eſt quod addunt, ſe vnum Deum talem, qualis eſt Pater, credere: & vnum Dominum talem, qualis eſt Chriſtus. hoc enim modo etiam Gentiles vnum Deum talem, qualis eſt Saturnus; & vnum talem, qualis eſt Iupiter aut Mercurius credebant: neque tamen propterea quiſquam negauerit, eos multos Deos coluiſſe, vt ſupra ſatis fusè declarauimus. *Friuolũ additum einſdem.*

Pergit Smalcius. Multitudinem Deorum, qui ſint ſummi Dij, inducere, Ethnicum eſſe. At Chriſtianum eſſe, Chriſtum Deum ſubordinatum Patri agnoſcere & colere. Sed actum agit Smalcius. Luce enim clarius eſt, præter Ethnicos, nullos alios Dei cultores, plures Deos coluiſſe, ſiue ij eſſent ſummi & non ſubordinati, ſiue ſubordinati. quocirca neceſſe eſt fateri proprium hunc errorem Ethnicorum fuiſſe, plures Deos venerari. proprium enim id rectè dicitur, quod ei ſoli conuenit. Etſi verò Ethnici plures illos Deos ſummos eſſe crederent; tamen eorum error totus in hoc erat, quòd illos plures, eſſe veros Deos crederent, cùm veri non eſſent. id enim præcipuè ſcriptura in ipſis reprehendit, quòd nihil ſint. 1. Cor: 8. 4. quòd ſint vani & falſi Dij. Act: 14. 14. *Secundũ propugnaculũ diruitur. Smalcius actum agit. Ethniciſmus ipſiſſimus, plures Deos venerari.*

Id etiam ratio ipſa indicat. Si enim gentilium Dij, veri Dij fuiſſent, minimè erraſſent gentiles, eos ſummos eſſe credendo. propria enim veri Dei notio hoc expoſcit, vt ſit ſummum quid, & quo maius cogitari non poſſit. quocirca etſi errarint Gentiles, quòd ſuos Deos, ſummos eſſe crederent: hic tamẽ error ex eo naſcebatur, quod illos, qui non erant veri Dij, ſummos eſſe crederent. Nullus enim reuera eſt ſummus, niſi verus Deus. quod ſi Dij illi, veri Dij fuiſſent, ſine vllo errore pro ſummis Dijs credi & coli potuiſſent. *Solius veri Dei eſt notio, eſſe ſummum.*

Digitized by Google

Quod etiam ex eo demonſtrari poteſt. Etenim Gentiles non ſolùm tunc errabant, cùm Deos non ſubordinatos colerent, ſed etiam cùm ſubordinatos. Sic Actor: 14. 10. legimus Gentiles illos, Paulum & Barnabam (qui erant proculdubio Dij vni ſummo Deo ſubordinati) Deos eſſe, proclamaſſe, ijsq; ſacrificare voluiſſe: in qua re tàm grauiter à Paulo & Barnaba reprehenſi ſunt, eo quòd Diuinus cultus non Dijs ſubordinatis, quales ipſi erant, ſed Deo, qui fecit cœlum & terram, deberetur. Similiter Act: 28. 6. ſtupentes miraculum à Paulo editum, cùm eum dicerent eſſe Deum, abſq; dubio errabant, & errore Ethnico inuoluebantur, etiamſi ei honorem Diuinum deferrent, qui erat Deus ſubordinatus.

Et ſanè ſi vel Moyſem Pharao pro Deo coluiſſet, quem ſcriptura teſtatur, fuiſſe conſtitutum Deum Pharaonis, vel aliquem alium ex Prophetis Diuina virtute præditis; eiuſmodi error nihil ab errore Gentilium abeſſet. quantumuis tàm Moyſes, quàm Prophetæ Dij ſubordinati eſſent. Nam etiam ſubordinati Dij, ſi pro veris Dijs credantur & colantur, falſi Dij ſunt; etſi pro veris Dijs credantur & colantur, eo ipſo pro falſis Dijs credentur & colentur. Etſi enim dici verè Dij ſimilitudinarij poſſint, propter aliquam cum Deo ſimilitudinem: tamen abſolutè Dij veri dici non poſſunt. quod enim propter ſimilitudinem dicitur tale, verè non eſt tale.

Ariani omnino Ethnici.

Ex quo patet, plures Deos quoſcunque credere & colere, eſt falſos Deos more Ethnicorum credere & colere; quod cùm Ariani faciant, nullo modo ab Ethnicorum errore liberari poſſunt.

Occurritur obiectioni.

Dicent fortaſſe, Deos ſubordinatos pro Dijs ſummis colere, eſſe falſos Deos colere: cùm falſum ſit eos eſſe ſummos Deos, non verò ſi pro Dijs non ſummis, ſed à ſummo dependentibus colantur. At id iam ante refutatum eſt. Nam ſi Dij ſubordinati pro veris Dijs colantur, neceſſe eſt pro ſummis Dijs coli. Deum enim verum, neceſſe eſt ſummum eſſe. & qui ſummus non eſt, neq; verus dici poteſt. qui enim ſummi Dij non ſunt, ſed ſummo Deo ſubordinati, propter aliquam ſolùm ſimilitudinem dicuntur Dij. Tales autem non ſunt veri Dij: cùm ſimilitudo ſola non faciat rem verè talem.

Deus verus non eſt, niſi ſummus.

Cùm igitur Ariani Deum ſubordinatum pro vero Deo colant, conuincuntur eo ipſo pro ſummo Deo eundem colere debere. Verus enim Deus eſt, qui non ob ſimilitudinem ſolam, ſed ob naturam Deus eſt. Talis autem eſt Deus quoq; ſummus. Ex altera verò parte, quia no-

Digitized by Google

quia nolunt eum pro ſummo Deo colere, coguntur fateri eum non eſſe verum Deũ, ſed ob ſimilitudinẽ duntaxat cũ Deo vero dici Deũ.

Cùm verò dicunt, ſcripturam cùm vnum Deum aſſerit, & plures reijcit, intelligere ſummum Deum: qualis Deus non eſt, niſi vnus: id ſi in re ipſa ita eſſe intelligant, verum eſt. Re enim vera, Deus ille vnus, eſt quoq; ſummus. At ſi putant ſcripturam id tunc reſpexiſſe, & ea conſideratione id aſſeruiſſe, falſum. non enim ſummi Dei, quà ſummus eſt, ſed quà Deus eſt abſolutè facit mentionem. neque conſiderat in dictis locis Deum ſub ratione ſummi Dei, ſed ſub ratione Dei abſolutè: ita vt ſolùm velit Deum, qui pro Deo habendus & colendus ſit, non eſſe niſi vnum. qui etſi reuera ſit ſummus, tamẽ id in dictis locis non conſiderat ſcriptura, neq; eo reſpectu loquitur. *Reſponſioni Arianorum ſatis ſit.* *Scriptura qui de Deo loquitur.*

Deinde Paulus 1. Cor: 8. 4. cùm ait: *Scimus quia idolum nihil eſt, & quòd nullus alter Deus ſit, niſi vnus.* loquitur de Deo vero, qui non ſit nihil, vt idola, quæ dicuntur Dij, cùm verè non ſint Dij. Vult igitur eum, qui verus Deus eſt, non eſſe niſi vnum. Ergo Paulus, qui Chriſtianus erat, non agnoſcebat alium verum Deum, niſi vnum: ac ex conſequenti, ij qui plures Deos veros credunt, ſiue ſubordinatos, ſiue ſummos, non Chriſtiani ſed Ethnici cenſendi ſunt. Licet enim Deus ille, de quo tum Paulus loquebatur, eſſet etiam ſummus; tamen id Paulus tum non conſiderauit, nec eo reſpectu dixit, Deũ eſſe vnum. ſed tantùm conſiderauit Deum, vt eſt verus Deus: ſub eaque ratione dixit Deum non eſſe, niſi vnum. infra verò cùm ait: *Nobis autem vnus Deus, Pater ex quo omnia*; indicat quidem Deum illum vnũ, eſſe quoq; ſummum, & ex quo omnia. tamen ſola conſideratione Dei veri pronunciauit eſſe vnum. Deinde verò addidit etiam eſſe ſummum. Etſi igitur vtrumq; per ſe verum ſit, & Deum verum, quia verus eſt, non eſſe niſi vnum: & Deum ſummum, quia ſummus eſt, non eſſe niſi vnum; tamen ſcriptura cùm Deum pronunciat eſſe vnum, ad ſolum verum Deum reſpectu habito, pronunciat illum eſſe vnum: licet etiam quà ſummus eſt, non neget illum debere eſſe vnum. Ex quo patet ſcripturas, nullum alium Deum, ſiue ſubordinatus ſit, ſiue non, pro Deo vero agnoſcere, præter vnum Deum verum. *Paulus non agnoſcit Deum verum, niſi vnum.*

Iam verò quod ait Smalcius, Chriſtianum eſſe præter vnum Deum, alium quoq; Deum illi vni Deo ſubordinatum colere, ſatis ſupra à nobis refutatum eſt. vbi enim vel leuiſſimè ſcriptura indicat, Chriſtum eſſe alium vel diuerſum Deum? etſi enim indicet Chriſtum eſſe *Smalcij impia dicta. Primum, Chriſtũ eſſe alium Deũ à Patre.*

 alium à

alium à Deo Patre in perſona ſua Diuina, & natura humana: at aliũ Deum, ſeu alium in Deitate nullibi indicat. Non igitur ex ſcripturis hanc fidẽ ſeu veriùs impietatẽ habent Ariani, ſed ex proprio cerebro.

Secundum. Chriſtianũ eſſe duos Deos colere. Neque hoc eſt Chriſtianorum proprium duos Deos colere, ſed duos, qui perſonis ſint plures, natura tamen Diuina ſint vnum pro vno Deo colere. Paulus certè Chriſtianus erat, & in Chriſtum credebat, & tamen abſolutè pronunciat, non eſſe alium Deum niſi vnum. 1. Cor: 8. 4. Ethnicorum igitur, non Chriſtianorum vox eſt, duos Deos colendos affirmare.

Abſurda Smalcij probatio contra diſtinctionẽ naturæ & perſonæ. Abſurdè verò Smalcius probat diſtinctionem naturæ & perſonæ recipi non debere: quòd ea diſtinctio, ſi non falſa, ſaltem controuerſa ſit. Re autem controuerſa nil doceri, nil refutari poſſe. Si enim id aſſerat eſſe controuerſum apud Arianos, verum eſt. Si apud viros doctos omnino falſum. *Apud Doctos in quali opinione Ariani.* Etenim in ea re Ariani ab omnibus viris doctis aut temerarij, aut bardi & inſulſi iudicantur, qui ea nolint aut non poſſint capere, quæ viri ſapientiſſimi, & doctiſsimæ celeberrimæq; à tot ſeculis orbe toto Academiæ rationibus ſubtiliſſimè rem expendentes, vera eſſe demonſtrant. Ex ijs ergo, quæ inter viros doctos controuerſa omnino ſunt, nihil ſolidè aut doceri, aut refutari poteſt. At ſi aliquas veritates hæretici ad ſuos errores tuendos in controuerſiam adducunt, quas tamen viri docti ſummo conſenſu omnibus ſeculis ratione & veritate probàrunt, eæ minimè controuerſæ cenſendæ ſunt. Notum enim eſt hæreticum ingenium, nota temeritas, ſtupiditas atq; peruicacia. ita vt ij in controuerſijs non docti, ſed omnibus doctis repugnantes cenſendi ſint.

Smalciana ſophiſmata denudãtur. Porrò Smalcius duo Sophiſmata proponit, quibus illam de diſtinctione naturæ & perſonæ totius orbis perpetuam doctrinam, nihil cauſam noſtram iuuare, demonſtrare ſe exiſtimat. *Primum.* Primum illud eſt. Illa eſſentia quæ duobus numero competit, non poteſt dici vna numero eſſentia. Si ergo eſſentia Patris, etiam Filio competat, non *Secundum.* poterit eſſe vna numero eſſentia. Alterum eſt, ei qui idem eſt eſſentia cum Patre, dari aliquid non poteſt à Patre, ob identitatem eſſentiæ cum Patre. Cùm igitur Chriſto multa data eſſe à Patre legamus, non poteſt dici Chriſtum eſſe eiuſdem numero eſſentiæ cum Patre.

1. Euertitur velut ſtramineum. Verùm hæc Sophiſmata apud rudes, fidem forte aliquam inuenirent. At apud doctos nullam. Nam quod ad primum attinet, falſiſſimum eſt, vnam rem numero, duobus numero competere non poſſe: cùm

Digitized by Google

poſſe: cùm id etiam exemplis rerum naturalium, falſum eſſe oſtendi poſſit. Nam vna numero rationalis anima, eſt natura diuerſorum numero membrorum, & diuerſa numero membra informat: nec tamen idcirco, aut ipſa eſſe vna numero deſinit, aut membra in vnum numero membrum coaleſcunt. Idem oſtendunt Theologi, cùm docent eundem numero Deum, eſſe in cœlo & in terra: idem numero corpus, Dei virtute poſſe eſſe ſimul, in duobus numero locis: idem numero accidens poſſe eſſe ſimul in diſtinctis numero ſubiectis. Cur igitur pari ratione, eadem numero eſſentia non poſſit eſſe in diſtinctis numero perſonis? Nam vt minimum, ex eo capite, quòd diuerſis numero competeret, ſuam vnitatem numericam non perderet: ſicut nec aliæ res vnitatem ſuam numericam perdunt, cùm diuerſis numero competunt. Alia enim eſt vnitas numerica naturæ; alia vnitas numerica perſonarum. Nam natura eſt vna numero quoad eſſentiam: Perſonæ verò ſunt diſtinctæ numero in ſubſiſtentijs & hypoſtaſibus illius eſſentiæ. Id ſi Smalcius cum ſuis Rakouienſibus meliùs expendiſſet, neutiquam tam debile & ſtramineum argumentum attuliſſet. quippe quod totum ignorantia nititur.

Vna res numero, duob9 numero competere poteſt exemplis oſtenditur.

Similiter vna numero eſſentia in pluribus perſonis eſſe poteſt.

Vnitas numerica, alia naturæ, alia perſonarũ.

Sed nec diſſimile eſt alterum. Cùm enim dicit, ei qui eſt idem eſſentia cum Patre nihil dari poſſe à Patre: in primis falſum eſt abſolutè. Nam hoc ipſum, vt eſſet idem eſſentia cum Patre, dari potuit: & datum eſt Filio per generationem ex Patre: etſi enim vterque ſit eiuſdem eſſentiæ: tamen Filius à Patre habet, vt ſit eiuſdem eſſentiæ cum ipſo. Pater verò non habet id à Filio, ſed ex ſe. Si verò de alijs, quæ ſunt præter eſſentiam, agatur: diſtinguendum eſt. Nam Filio, quatenus eſt idem eſſentia cum Patre, nihil à Patre dari, id eſt, donari poteſt. Sicut enim habent eandem naturam, ita idem ius & dominium in omnia: ea verò, quorum quis Dominus eſt, donari eidẽ non poſſunt. quatenus verò Filius, in alia quoq; natura ſubſiſtit, tunc ratione diſtinctæ à Patre naturæ, & dari ei, & donari multa poſſunt, illa nempè omnia, quæ natura humana ex ſe non habet.

2. Sophiſma Smalcianũ ruit.

Filio quid & quomodo dari poteſt?

Quid & quomodo donari?

Videat igitur Smalcius, quomodo diſtinctio naturæ & perſonæ, plurimùm & cauſam noſtram iuuat, & ipſius cauſam funditus euertat: parciuſq; in poſterum Catholicis ruditatem obijciendam meminerit, à quibus turpiſſimorum craſſiſſimorumq; errorum ac ignorantiæ, facilè conuinci ſemper poterit.

Sus mineruam.

Porrò vt Arianos, in eo quòd plures Deos colendos introducant,

Ethnicis

Ariani Ethnicis deteriores.

Ethnicis ſimiles eſſe probauimus: ita in eo quòd Deos non ſummos, ſed ſubordinatos faciant, Ethnicis eſſe longè deteriores, in Monſtris Arianiſmi demonſtratum eſt. Etenim etſi Ethnici plurimùm aberrarint, cùm eos Deos ſtatuerunt, qui Dij non eſſent: tamen in hoc ſuo errore ſapientiùs Arianis proceſſerunt: cùm eos, quos per errorem putabant Deos veros, ſummos eſſe crederẽt, non ſubordinatos. quòd ea eſſet apud omnes Dei notio, vt primum & ſummum rerum principium eſſe credatur. Ariani verò cùm ab ea Dei notione recedunt, & Deum non ſummum colunt, quàm ſint omnibus Ethnicis inſipientiores, res ipſa loquitur. Nullus enim vnquam pro Deo aliquem habuit, quem eſſe ſummum, & primũ rerũ aliquarũ principẽ nõ putaret.

Smalciꝰ aſfingit ſcripturæ falſitatem.

Hoc cùm ægerrimè ſibi obijci ferat Smalcius, in hunc modum reſpondet. Scripturam ipſam Chriſtum Deum ſubordinatum ſtatuere. At hoc falſiſſimũ eſſe vel inde conſtat, quòd ſcriptura nec Chriſtum vſpiam vocet alterum ſeu diuerſum Deum: nec eum minorem & ſubordinatum Deum, ſed Patri æqualem, ac ſuper omnia, Deum appellat, vt capite præcedenti oſtendimus.

Smalcij obiectio inanis.

Ait præterea, ſi plures eſſe ſummos Deos contradictionem implicat, quomodo in re tam abſurda & impoſſibili ſtatuenda Ethnici ſapientes fuerint? quaſi verò abſolutè ſapientes Ethnicos appellauerim, & non reſpectu Arianorum tantùm. Etſi enim ſtultiſſimè egerunt, cùm Deos falſos ſummos eſſe voluerunt: id enim omni rationi repugnat, & contradictionem inuoluit: tamen in hac ſtultitia ſua minus inſipienter, quàm Ariani proceſſerunt. in eo videlicet, quòd eos, quos putabant eſſe Deos, ſummos eſſe voluerint. quòd id poſtularet ipſa Dei notio mentibus omnium impreſſa. Ariani verò Deum non ſummum inducendo, Dei propriam notionem penitus euerterunt. Nullus enim vnquam adeò ſtultus, & mentis inops extitit, qui Deũ non ſummum pro Deo coleret. Non igitur id à me probatur, quod contradictionem implicat, ſed quòd in illa re, quæ contradictionem implicat, non tam turpiter aberarrint à veri Dei notione Ethnici, ſicut Ariani. Poſito enim, quòd aliquis cenſeri Deus debeat, ſumma illi ac independens poteſtas attribuenda eſt: tum quòd ea ſit cõmunis hominum de Deo exiſtimatio: tum quòd dependentia & ſubordinatio non Deum ſed Dei ſubditum & Miniſtrum facit. Id quod etiam Regis exemplo ſupra abundè declaratum à nobis eſt.

Ariani Ethnicis inſipientiores.

Dei propriam notionẽ penitus euertunt.

Ariani fal-

Neq; verò Ariani poſſunt in eo ſe diſcernere ab Ethnicis: quòd hi falſos

hi falſos Deos colerent; ipſi verò Chriſtum verum Deum colant. Etenim quemadmodum Ethnici, quia præter vnum verum Deum alios Deos coluerunt, idcircò falſos Deos coluerunt. nullus enim eſt verus Deus, præter vnum ſecundùm ſcripturas; ita eo ipſo, quòd Ariani alterum Deum, præter vnum verum Deum, colunt; falſum Deum colunt. Non quòd Chriſtus falſus Deus ſit, ſed quòd ab Arianis falſus Deus ſtatuatur: eo enim ipſo, quòd illum diuerſum Deum, ab vno Deo vero, fingunt, falſum illum Deum ſtatuunt. Neq; enim diuerſus, ab vno Deo vero, verus Deus eſſe poteſt. nec alius modus reliquus eſt, Chriſtum verum Deum credendi, niſi eſſe idem Deus cum Patre credatur. Veriſſimè enim Diuino ſuo ore dixit Chriſtus, Patrẽ eſſe illum ſolum verum Deum, Ioan: 17. & Paulùs. *Nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia, & non eſt alter niſi vnus.* 1. Cor: 8. 4. 6. Præter igitur illum vnum Deum, qui eſt Pater, nullus alius eſt verus Deus. Quare & Chriſtus ſi ſtatuatur eſſe diuerſus Deus ab illo vno Deo, prę ter quem non eſt alter Deus, non erit verus Deus, ſed falſus.

ſum Deum colunt.

Et hic tandem eſt ille ſcopulus, in quem Ariani ſuis in Religione figmentis, impingunt: vt Chriſtum ex vero Deo, falſum Deum faciant. eo Ethnicis deteriores, quòd hi nullum verum Deum ſua dignitate deturbârunt, ſed eos qui non erant Dij, vero Deos eſſe finxerunt. Ariani verò Chriſtum verum Deum, dignitate, maieſtateque Dei veri ſpoliârunt per ſummum ſcelus & iniuriam: cùm eum ab illo vno Deo, qui ſolus eſt verus Deus, ſeparârunt. cùmq; alterum Deum eſſe eum volunt, falſum Deum faciunt cum ſummo Chriſti Dei veri præiudicio. Quòd ſi, qui negat Filium, nec Patrem habet, 1. Ioan: 2. 23. eiuſdem D. Ioannis decreto, Ariani inter atheos erunt reponendi. Cùm enim negant Filium eſſe verũ Deum, Patrem quoq;, qui eſt idem Deus cum vnigenito Filio ſuo, negare eos neceſſe eſt. Quare cùm omnem Deum verum negare conuincantur, Athei ſint oportet.

Ariani Chriſtum verum Deum, dignitate maieſtateq; Dei veri ſpoliant.

Ethnicis peiores.

Athei.

Deniq; adducit & probat Smalcius Socini reſponſionem, qui ſic ait: Ethnicorum errorem non in eo fuiſſe, quòd non vnum tantùm colerent Deum, ſed in eo præcipuè, quòd curam rerum humanarum in plures diſtribuerent, qui non eſſent ſubordinati vni Deo, & ab eo dependentes. At parum eſt à Smalcio probari, quod tota ſcriptura improbat, & cui ſenſus communis hominum contradicit. Quid enim ſcriptura magis vrget, quàm Dei vnitatem? & quòd alius ab illo

Smalcius cũ Socino probant, quod ſcriptura improbat.

us ab illo vno Deo non poſſit eſſe verus Deus? quia igitur Ethnici nõ vnum Deum coluerunt, idcirco ſcriptura teſte, à veritate aberrārũt.

Ethnicorũ error in quo

Accedit, quòd is circa vnum Deum error, non ſolùm per ſe error eſt, ſed etiam aliorum errorum, quibus Ethnici ſe inuoluerunt, cauſa. quia enim alios Deos, præter vnum coluerunt, ideò falſos Deos coluerunt: & quia vnius veri Dei propriam poteſtatem in rebus gubernandis, alijs quoq; falſò attribuerunt, idcircò turpiter lapſi ſunt: ita vt meritò dici debeat, omnes Ethnicorum errores ex eo vno profluxiſſe, quòd vno Deo non contenti, plures eſſe voluerunt.

Neq; verò in hoc errarunt, quòd eos, quos credebant Deos, independentes & ſummos eſſe crederent. id enim cum Dei veri ratione optimè congruit. Nihil enim ita Deo proprium eſt, ac ſummum & independentem eſſe. ſuppoſitoque quòd ſuos Deos pro veris Dijs haberent, rectè ex conſequenti illos eſſe ſummos arbitrati ſunt.

Error potiùs communi de Deo notioni contrarius eſt, eum pro Deo colere, qui ſummus & independens non ſit. quare licet ſimpliciter errarint Ethnici, quòd ijs, quibus id verè non conueniebat, Dei honorem & independentiam deferrent: hoc tamen errore ſuppoſito, quòd ſuos Deos, eſſe veros Deos credebant, conſequenter ac ſapienter concluſerunt, eos debere eſſe independentes ac ſummos. ita vt ſoli Ariani hanc ſtultitiam primi in mundum inuexerint, vt is pro Deo adoretur, qui nec ſit ſummus nec independens.

Quantã ſtultitiam Ariani in mundum inuexerint.

Fruſtra verò, quinimo inſipienter ait Smalcius, ſe hanc ſapientiam Ethnicis non inuidere. Eſt enim quod inuideat, ſi ſenſum haberet integrum. cùm Ethnicorum in hoc opinio, ſit omnium rectè ſentientium opinio. Nullus enim vnquam Deum aliquem coluit, quem ſummum & independentem eſſe non credidit; ſicut nullus quempiam pro Rege habuit, quem ſummum in regno Principem non agnouit.

Sapientiam ab Ethnicis diſcat Smalcius, & in quo?

Sanctorum cultus defenditur, & Smalcij Ethniciſmi de animarum corporumq; interitu refelluntur. CAP: XIV.

Smalcius calumniatur impudenter Catholicos.

CAlumniatur nos inprimis Smalcius, quòd Sanctos Diuino cultu colamus; At nos Diuinum cultum vocamus, qui Deo competit. Cùm igitur, Sanctos, neq; eſſe Deos agnoſcamus, neque Deo poteſtate pares, ſed Dei ſeruos ac miniſtros, & à Deo ac per Deum nobis omnia obtinẽtes, conſequens eſt nos, eos Diuino cultu nõ colere.

Fatetur

Digitized by Google

Smalcius veritatem fateri cogitur. Sanctorum cultus religioſus non Diuinus.

Fatetur tandem Smalcius nos Sanctos, vt Deos nō colere; quam ei vocem vis veritatis expreſſit: attamen eum cultum, quo Sanctos colimus, vult dici debere Diuinum. Eſt enim, inquit, non ciuilis, ſed Religioſus; non humanus ſed Diuinus. Verùm vti concedimus Smalcio, Sanctorum cultum non eſſe ciuilem & humanum: cùm non ob aliqua ciuilia vel humana bona, neq; ob ciuilē & humanam poteſtatem honor illis deferatur: ita omnino negamus eſſe Diuinum, ſi propriè loqui velimus, & eo ſenſu, quo his vocabulis Eccleſia in hac materia vtitur.

Cultus Diuinus quid.

Etenim Diuinum cultum definimus eum, qui ſoli Deo, & ob Diuinam eius excellentiam ipſi defertur: qualis cùm non ſit Sanctorum cultus, Diuinus dici propriè non poterit. Quare cùm neque ciuilis, neq; Diuinus cultus dici poſſit, conſequens eſt eſſe medium quendam cultum; ciuili maiorem, Diuino minorem. Præſtantia enim, propter quam Sancti honorantur, & maior eſt omni præſtantia politica; conſiſtit enim in ſanctitate & bonorum ſupernaturaliū dignitate; & minor eſt præſtantia Diuina, quæ eſt præſtantia primi rerum omnium principij. Ergo Sanctorum cultus, tàm à Diuino, quàm à ciuili differens eſt: eo enim Sancti non coluntur vt Dij, neq; vt homines politicis virtutibus præſtantes, ſed vt Sancti & amici Dei, & euecti à Deo ad ſupernaturalem gratiæ & gloriæ dignitatem.

Probatio Smalcij refutatur. Poteſtas dupliciter dici poteſt Diuina. Sanctorum poteſtas, Diuina extrinſecè.

Cùm verò ait Smalcius, poteſtatem Sanctorum, quam in nos exercent, Diuinam eſſe: quare & cultum dici debere Diuinum. Reſpondendum eſt, poteſtatem dici poſſe Diuinam dupliciter. vel quia eſt in Deo, vel quia eſt à Deo, & Deum ſui authorem habet. priori modo perfectiones omnes, quæ in Deo ſunt, dicuntur Diuinæ, & merentur cultum Diuinum, cùm ſint ipſe Deus: poſteriori verò modo dicuntur Diuina extrinſecè, omnia Dei opera. Siquidem ſunt à Deo, & Deum auctorem habent: ſingulari verò ratione illa, quæ nullo modo in naturam reducuntur, ſed ſupra omnem naturam à ſolo Deo effici poſſunt: Hoc igitur poſteriori modo poteſtas Sanctorum dici poteſt Diuina. Verùm id, quod eſt hoc modo Diuinum, cultum Diuinum non meretur: Cùm Diuinus cultus is ſit propriè, qui Deo, & ob Diuinam excellentiam quæ in Deo eſt, defertur. Quis enim dici ferat, opera Dei, quia Diuina ſunt, Diuino cultu colenda eſſe? alioqui omnes creaturæ, cùm ſint opera Diuina, cultu Diuino coli deberent.

Nõ omni rei Diuina cultus Diuinus tribuendus.

Diſcat igitur Smalcius, non omni Diuinæ rei, quæ quocunq; modo dicatur Diuina, cultum Diuinum impendi poſſe. ſed ſolùm ei, quæ ideò dicatur Diuina, quia in Deo eſt, & idem eſt quod Deus: ſeu ſi ſit Diuina non extrinſecè, quia eſt à Deo, ſed intrinſecè, quia eſt in Deo, & idem quod Deus.

Ruit argumentũ Smalcij.

Ex qua doctrina ruit Smalcij argumentum, quo probat Pontificios eſſe idololatras ob Sanctorum cultum. qui enim, inquit, rem aliquam, quæ Deus non eſt, Diuino cultu colit, citra vllum præceptum aut exemplum, is eſt idololatra, etſi rem illam non colat, vt Deum. Atqui Pontificij colunt Sanctos Diuino cultu, etiamſi de hoc nullum extet præceptum aut exemplum. ergo ſunt idololatræ. quid enim in hoc argumento non falſum, quid non abſurdum? Nam in primis falſum eſt, nos Sanctos Diuino cultu colere. Eum enim honorem, qui Dei eſt, Deo reddimus propter ſummam illius in nos poteſtatem, & ratione primi principij. qui verò Sanctis, propter eorum ſanctitatem ipſis à Deo conceſſam iure, competit, eum nos Sanctis reddimus. Reddere enim à Chriſto iubemur, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, Mat: 22. 21. & à Paulo monemur reddere omnibus debita: cui honorem, inquit, honorem. &c. Sanctos autem propter ſuam ſanctitatem mereri aliquem honorẽ pluſquam ciuilem, nemo niſi inſanus negare poteſt.

Põtificij nõ colunt Sanctos Diuino cultu.

Smalcius breui faciet Moyſem ipſum idololatram.

Quòd ſi Smalcius illum quoq; Diuinum cultum vocet, quo quis ob ſanctitatem colitur, is cultus, præterquam quòd falſò Diuinus nuncupatur, vt oſtenſum eſt, non facit idololatras: alioqui & Moyſes, qui locum illum, in quo ſtabat, Exodi 3. 5. tanquam terram ſanctam religioſè veneratus eſt; & Iudæi, qui arcam, ſcabellum pedum Dei, iuſſu Dei adorabant, Pſalmo 98. 5. idololatræ fuerunt. Nam ſi dicat illos Dei mandato adoraſſe, id argumento eſt, talem cultum non eſſe naturâ ſua idololatriam; Deus enim prohibet, non imperat, cultum idololatricum. Si ergo talem cultum Deus imperauit, ſignũ euidens eſt non eſſe ex ſe idololatricum, etiam citra omne Dei mandatum. Deus enim mandauit coli res illas propter earum ſanctitatem: ſi igitur cultus rerum propter ſanctitatem eſſet ex ſe idololatricus, non poterat præcipi à Deo: ſi verò non ſit ex ſe idololatricus, etiam citra Dei mandatum, non erit idololatricus.

Rerum ſacrarum cultus religioſus, non eſt idololatria.

Et verò operum Dei, quâ ad Deum pertinent, veneratio & cultus negari ſecundùm ſcripturas nullo modo poteſt. Nam & ſcabellum

bellum

Digitized by Google

bellum pedum Domini, hoc eſt arca, iubetur adorari, quia ſanctum eſt Dei præſentia & reſpectu, tanquam ſcabellum pedum eius. & terra illa, in qua Dominus Moyſi de rubo apparuit, honorari iubetur, quia ſancta, ex Domini in ea præſentia. Sanctum etiam IESV nomen eſt venerabile, & ſancta quatuor Euangelia, atq; adeò ſcripturæ omnes Sacræ, quia à Deo ſunt, veneratione dignæ habentur. Nam ſi ob alias præſtantias, conueniens rei cuiq; veneratio debetur, cur non ob ſanctitatē maior quædā veneratio rebus ſacris debeatur?

Verum hæc veneratio & cultus nullo modo Diuinus dici debet, cùm non ob Diuinam excellentiam, ſed à Diuina deriuatam deferatur. nullus enim cultus Diuinus propriè eſt, niſi qui Deo ob ipſius excellentiam propriam debetur. & quamuis ciuilis non ſit, non tamen idcirco Diuinus dici debet, ſed ab vtroq; diuerſus, vt pote in ſanctitate rerum illarum fundatus; quæ ſanctitas neq; ciuilis eſt, neque propriè Diuina, ſed media; hoc eſt ciuili maior, Diuina inferior. Quamobrē & Angelorum adoratio, quam ſacræ literæ commemorant, nec ciuilis erat, nec Diuina, ſed media, in dignitate Angelorum ſupernaturali fundata. quæ dignitas vti à Diuina & ciuili longè diſtat, ita & cultus in ea fundatus. Quanquam hic cultus medius non eadē ratione debetur perſonis & rebus, vti & in ciuili cultu perſpicuum eſt. Res enim ratione carentes, non ſunt eius ſanctitatis participes, quæ naturis ratione præditis à Deo cōmunicatur. Quocirca is cultus, qui cognitionē in eo, quod colitur, ſupponit, nō debetur rebus ſenſu & ratione carentibus, qualis eſt inuocatio, ſed ſolùm veneratio ſimplex. *Nec vllo modo cultus Diuinus dici debet.*

Et ſanè ſi quis res ſanctas colit, propter veram earum ſanctitatē, quæ illis verè ineſt, cultu ipſis conuenienti res illas colit, meretur enim ſanctitas maiorem honorem, & venerationem, quàm quæuis præſtantia ciuilis. nullus verò eum cultum, qui alicui conueniens eſt, idololatricum vocauerit; Idolum enim, quia falſum quiddam eſt, & nihil, 1. Cor: 8. 4. ideo cultus eius eſt falſus, & non conueniens. qui autem verè conuenit alicui, ſicut falſus dici non debet, ita nec idololatricus. Quòd ſi quis aliquid colat, quod ſanctum exiſtimat, cùm ſanctum non ſit, talis cultus ſuperſtitioſus eſt, non verò idololatricus. Cùm per eum non falſus Deus colatur (quæ idololatriæ eſt definitio) ſed res non ſanctæ pro ſanctis. quæ eſt ſuperſtitioſi cultus propria ratio. *Idololatria & ſuperſtitionis definitio.*

Iam verò & hoc examinandum eſt, quam ob cauſam Smalcius *Dictū Smalcij libratur.*

ad verum Religionis cultum, mandatum Dei ſingulare requirat, aut exemplum. vnde obſecro hoc commentum hauſit? num ex ſcripturis? an ex ratione?

ἐθελοθρησκεία quid?

Dicet fortaſſe voluntarium cultum ἐθελοθρησκείαν in ſcriptura damnari, Coloſ: 2. 23. at ſi vim vocis ſpectet, ea eſt indifferens ad omnem voluntarium cultum ſignificandum, ſiue is verus ſit, ſiue ſuperſtitioſus. Cur enim voluntaria ſacrificia & oblationes, quæ in ſcriptura commendantur, non dici poſſint ἐθελοθρησκείαι, & voluntarij cultus? Si verò vſum vocis, is poteſt eſſe etiam ad ſignificandũ ſuperſtitioſũ cultũ, vti in hoc loco Pauli vertit Latinus interpres.

Superſtitioſus cultus quid?

Dicitur autem ſuperſtitio, voluntarius cultus, quia à ſola voluntate colentis inſtituitur, abſq; omni vel præcepto Diuino, vel rei ipſius exigentia, & meritò. eiuſmodi enim cultus eſt falſus & malus, quia nec rei ex ſe conuenit, nec à Deo inſtitutus eſt. aliqui igitur cultus, Dei inſtitutionem requirunt, quando res ipſæ ex ſe non ſunt ad cultum illum determinatæ. v. g. ritus ille comedendi agnum Paſchalem, niſi fuiſſet à Deo inſtitutus, ſuperſtitioſus fuiſſet. Siquidem ex ſe nil ſacrum nec ad cultum Dei pertinens contineret, ſed ex inſtitutione Diuina, ſacramenti, hoc eſt ſacræ rei ſignificationem induit, & ad cultum Dei pertinere cæpit.

Quæ res cultum religioſum requirunt ex natura ſua.

Alij verò cultus ex ſeipſis ſunt ſacri cultus. quia ſunt ſacrarum rerum venerationes. Tales igitur cultus non ſunt ſuperſtitioſi, nec illo modo voluntarij, quo cultus voluntarij damnari ſolent. Non enim à ſola voluntate colentis ſunt inſtituti, ſed ex natura rei ſunt cultus conuenientes rebus & accõmodati, etiam citra omne Dei præceptum. Quare ad tales cultus rerum ſacrarum non requiritur ſingulare Dei mandatum. ſufficit enim illud generale, quo cuiq; eum honorem præcipimur reddere, qui illi conuenit. Certum autem eſt, rebus ſacris deberi honorem pluſquam ciuilem. ad hunc ergo honorem habendum rebus ſacris, nullo eſt opus ſingulari Dei mandato. Etenim ſi nullum ſingulare Dei mandatum extaret, res ipſa loqueretur, Deum eſſe inuocandum, honorandum, vt primum omnium principium; ſacra in veneratione habenda, Sanctis ob ſanctitatem honorem deferendum, & id genus alia.

Exempla Smalcij refelluntur.

Libet autem vno verbo refellere exempla à Smalcio poſita idololatrici cultus, etiam in ijs rebus, quæ pro Dijs non colebantur. qualem eſſe putat cultum vituli à Iudæis adorati. cultum item quem

Sathanas

Digitized by Google

Sathanas à Chriſto popoſcit, deniq; is quem Ioannes Angelo deferre volebat. Apoc: 19. 10. Et quidem quod ad vitulum attinet, cultus illius erat idololatricus. vitulus enim ille pro Deo colebatur. Hi ſunt, aiebant Iudæi, Dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Dæmon etiam tanquam mundi Deus & Princeps adorari à Chriſto voluit, dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me, & idcirco cultum, qui ſoli Deo debebatur, exigebat. Quod verò ad Ioannem ſpectat, is vel Angelum, eſſe Chriſtum exiſtimauit, qui tunc ei apparere frequenter ſolitus erat. vel ſi Angelum eſſe ſciebat, quod veriſimilius videtur, (cùm eandem adorationem, ſciens eſſe Angelum, repetierit, cap: 22. 8.) vtriq; laus ſua tribuenda eſt, & Ioanni cultum Angeli ob eius ſanctitatem tribuenti; & Angelo ex humilitate ac reuerentia, qua tantum Apoſtolum proſequebatur, recuſanti. vt enim quiſq; cultu dignior eſt, ita cultum declinat, & ſe quàm ſubmiſiſſimè gerit. quare non tam fuit illa reprehenſio, quàm declinatio cultus. id quod vel ex eo patet, quòd cùm cap: 19. Angelus Ioannem admonuiſſet, ne ſe adoraret; rurſus tamen cap: 22. 8. ad eandē adorationem, ſciens eſſe Angelum, reuertit. quod proculdubio tantus Apoſtolus in re tanti momenti non feciſſet, ſi tanquam de re mala verè reprehenſus ab Angelo fuiſſet. quare pugna hæc fuit magnæ humilitatis inter ſanctos: non verò aliqua idololatriæ ſpecies.

S. Ioannes iuxta Smalcium idololatra.

S. Ioannes defenditur à tā infami calumnia.

Miratur verò Smalcius, quòd cùm de Sanctorum cultu differerem, nullam Mariæ Matris Dei mentionem fecerim, quod ille ad occultandam idololatriam factum interpretatur. verùm cùm in communi de Sanctorum cultu diſſeruerim, quid oportuit ſingularem Matris Dei mentionem facere, niſi fortè vt noua præberetur occaſio Arianis, impuriſſima & ſpurciſſima eorum lingua dignitatem Matris ipſius Dei contaminandi. Hoc enim eſt eorum ingenium, vt cùm Sanctos nominari audiunt, linguas ſuas acuant vt ſerpentes, & quos Deus in cœlo honorat, eos iſti omni ignominia afficiendos putant.

Odium Arianorum in MARIAM.

Non eſt verò, quod vllam in honoranda Dei Matre idololatriā timeamus, cùm ad honorem magni illius Dei, quem illa & vtero ſuo excepit, & poſt mundo protulit, illam honoremus, eo honore, qui eſt poſt Deum & Filium eius maximus. Vt enim nihil eſt poſt Deum Dei Matre maius; nec vlla poſt Deum dignitas maior cogitari poteſt, quàm eum genuiſſe hominem, quem Pater ab æterno genuit Deum: ita mirandum non eſt, nos ei maiorem honorem tribuere, quàm

Dignitas Matris Dei & cultꝰ defenditur.

Digitized by Google

ere, quàm cuiq; Sanctorum: qui tamen honor, etſi honorem aliorum Sanctorum ſuperet, Diuino tamen honore eſt longè inferior.

Neq; ad hoc faciendum, præcepto aliquo ſingulari opus eſt, ſed fide ſola Catholica, qua credimus eam Dei Matrem eſſe: cui dignitati vti nulla alia in mũdo par eſſe poteſt, ita nec honor. quòd ſi ſcriptura cuiq; honorem conuenientem reddendum monet, non alius proculdubio reddendus erit Dei parenti, niſi qui cæterorum omniũ Sanctorum honorem longiſſimè ſuperet, quiq; rectè à Sacris Theologis cultus hiperduliæ, ſicut illa Sanctorũ cõmunis, duliæ nũcupatur.

Non igitur pudet aut pudere debet Bellarminum, dum ad finem ſuorum librorum adſcribit illa verba. Laus Deo, Virginique Matri Mariæ. Si enim Deum non puduit honorare ſuam Matrem, ſumma ei præ cæteris dignitate collata: cur nos pudere debeat, eam poſt Deum, vti Sanctorum omnium maximam honorare? cùm non alium honorem ei, quàm qui eius ſanctitati Diuinitùs ipſi communicatæ debetur, tribuamus. Perſuaſiſſimum proinde habemus neminem honore Deum afficere, qui Matri eius honorem debitum negat, cùm honor Matris in Filium neceſſe eſt vt redundet. Simili de cauſa non eſt, quod pudeat Ieſuitas, cùm eam vni ſecundam Deo prædicant. Vos pudere potiùs & meritò debet, ſi vel eam dignitatem in Virgine hac Sacratiſſima non agnoſcitis; vel ſi agnoſcitis, eam tamen debito cultu ac veneratione proſequi non curatis. in altero infideles, in altero impij, ſcelerati & execrandi eſtis.

At non hoc totum eſt, quod Smalcius agit: eſt aliud quoddam malum nefandum, & virus peſtilens impietatis, quod non intus ſolùm alit, ſed ſcriptis in lucem producere non erubeſcit. Ait hic impiꝰ.

Atheiſmi duo Smalciani.

Sanctos nunc non extare omninò, dieq; iudicij nouam exiſtentiam accepturos.

Corpora etiam quæ nunc habent fideles, iterum non exitura, ſed alia longè præſtantiora.

Omnem religionem euertunt.

Hi ſunt duo illi Atheiſmi Smalcij, quibus non Sanctorum modò cultum, ſed omnem Chriſtianam Religionem euertit. quid enim à Smalcio expectandum eſt in Religione amplius, cùm homines belluarum inſtar interire tam in corpore, quàm in anima docere non veretur, & cùm carne non viuunt, nullo modo illos viuere arbitratur.

Ridicula probatio Atheiſmi primi.

Quibus verò ſcripturarum teſtimonijs id confirmat? Scriptura inquit, conditionem mortuorum omnium deſcribit, per id quod non ſunt.

Digitized by Google

ſunt, Matth: 2. 18. *Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari, quia non ſunt.* & iterum in reſurrectione ipſos extituros, hoc eſt exiſtentiæ ſuæ participes futuros, Ioan: 6. 39. 40. 1. Cor: 15. 23.

At quàm iſta vana, ridicula ſint & homine Chriſtiano prorſus indigna, quilibet vel ſtultiſſimus animaduertere poteſt. Mortuos enim cùm ſcriptura ait non eſſe, quoad hanc in carne vitam, qua per mortem priuati ſunt, intelligit, at & corpora eorum eſſe & animas viuere, eadem ſcriptura teſtatur. non enim eam ſolam vitam anima noſtra habet, quæ eſt illi cum brutis communis, quaq; in carne viuit more cæterorum animalium, ſed & aliam, quæ eſt illi communis cū Angelis, qui viuunt vt ſpiritus, vita intellectuali. Etſi igitur Sancti, mortui, non ſint, quoad eam viuendi rationem, quam habent communem cum animalibus; ſunt tamen quoad eam viuendi rationem, quam habent cōmunē cū Angelis, qui extra carnē viuunt feliciſſimè. *Mortui non ſunt, quoad carnalē vitam.* *Sunt quoad ſpiritualem.*

Certè Chriſtum & verè mortuum eſſe credimus, & poſt mortem deſcendiſſe ad inferos, & ibi ſpiritibus prædicaſſe & in paradiſo fuiſſe, ſicut illo ipſo die latroni ſecum pendenti promiſit in cruce. quæ proculdubio dici non poſſent, niſi Chriſtus aliqua ratione verè viueret, nec ſolū ipſe, ſed ij cū quibus poſt mortē agebat. Etſi enim nō viuebat hîc vita carnali: at vita animæ & ſpiritus viuere non deſijt.

Nec dicere poteſt Smalcius, partes eius tunc extitiſſe, non ipſum. Nam ſcriptura ipſum nominat, nempe Chriſtum ipſum deſcendiſſe ad inferos. ergo Chriſtus ipſe aliqua ratione viuebat. Latroni etiam cùm dixit: Hodie mecum eris in paradiſo. & ſeipſum futurum in paradiſo & latronem indicauit. *Smalcio occurritur.*

Paulus verò Philip: 1. 23. cùm expetebat diſſolui & eſſe cum Chriſto, an non poſt hanc vitam ſe victurum cum Chriſto intelligebat? Neq; verò id ad tempora nouiſſima reſurrectionis referebat. quorſum enim properaret diſſolui, vt eſſet cum Chriſto, ſi diſſolutus id conſequi non potuiſſet, alioqui non diſſolutionem? ſed reſurrectionem deſiderare debuiſſet, ſi non poſt diſſolutionem, ſed poſt reſurrectionem Chriſto iungi potuiſſet. quod idem 2. Cor: 5. 8. repetit. *Bonam,* inquit, *voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum* ſcilicet poſt ſeparationem à corpore, animas eſſe & viuere cum Chriſto intelligebat. *Paulus deſiderabat poſt mortem eſſe cū Chriſto.*

Deniq; Chriſti ipſius argumentatio eſt. *Non eſt,* inquit, *Deus mortuorum, ſed viuentium.* Cùm igitur in ſcriptura dicatur Deus Abraham, Deus Iſa- *Smalcius à Chriſto conuincitur.*

Digitized by Google

Deus Iſaac, Deus Iacob, conſequens eſt Abrahã, Iſaac & Iacob viuere.

Errores Smalcij turpiſſimi. Errat igitur turpiſſimè Smalcius, cùm Sanctos, quia carne mortui ſunt, eſſe & viuere ſpiritu negat. Errat iterum, cùm idem ex reſuſcitatione Sanctorum in nouiſſima die, eos tunc rurſus exiſtentiam & vitam accepturos colligit, quaſi nunc nullo modo exiſtant. *Carnis reſurrectionem credimus, non animarum.* Reſuſcitatio enim ad vitam in carne recuperandam ſpectat; quæ ſicut per mortem ablata fuit: ita in reſurrectione Dei virtute reſtaurabitur. neque illa reſurrectio animarum ſed corporum in ſcriptura nominatur: cùm animus in ſe non deſierit vnquam, ſed corpori vitam dare deſierit; corpus verò, quia ex anima viuit, ſeparatum ab anima viuere deſinit: at animus noſter, quia non de corpore viuit, (ſicut nec Angeli) etiam ſeparatus à corpore, viuere non deſinit. *Exemplo Chriſti.* Et vt exemplo Chriſti rem concludam, cuius reſurrectio eſt noſtræ reſurrectionis exemplar; quemadmodum is carne mortuus, vixit poſt mortem, ſpirituum vita, nec eſſe totus deſijt: ſed ſolum quo ad corporis vitam: ſuſcitatus autem ad vitam in carne redijt: ita & de noſtra morte ac reſurrectione cogitandum eſt.

Atheiſmus Smalcij ſecundus confutatur. Illum vero alterum Atheiſmum Smalcij quis ferat? ait enim: ea corpora, quæ nunc habent fideles, iterum non reditura, ſed alia, quaſi Paulus expreſſe non doceat, corruptibile hoc induturum incorruptionem, & mortale hoc induturum immortalitatem. *Primò. Hoc corruptibile induet incorruptionem.* Etenim ſi aliud corpus vice iſtius futurum eſt, non erit hoc: neq; hoc induet corruptionem, neq; omnino induet: quia non aſſequetur incorruptionem, ſed in ſua corruptione perpetuo manebit. *Secundò. Non erit reſurrectio per Smalcium.* Reſurrectionis verò ratio quomodo conſtabit, ſi corpus non quod per mortem cecidit, ſed quod nunquam cecidit, reſurgere dicatur. quomodo item corpora noſtra reformabuntur configurata corpori claritatis Chriſti, ſi eadem non ſunt futura? non enim reformari dicitur, cùm aliud eius loco ſubſtituitur, ſed cùm ipſum per ſeipſum reformationi ſubijcitur. *Tertiò. μετεμψυχώσεως Smalcius aſtructor.* Denique hæc non tam reſurrectio mortuorum, quàm transmigratio Pythagorica animarum de vno corpore in aliud, eſſet nuncupanda. quæ cùm non à Chriſtianis modo, ſed ab ipſis etiam Ethnicis, ſatis ſuperq; exploſa ſit, facilè quiſq; intelliget, an qui eam rurſus ab inferis reuocant, in Chriſtianorum numero ponendi ſint.

Quarto. Exemplum Chriſti. Certè quemadmodum Chriſtus exemplar noſtræ reſurrectionis non aliud corpus reſuſcitatus à mortuis aſſumpſit, ſed illud ipſum quod in cruce clauis & lancea confixum fuit. cuius rei gratia vulnerum no-

rum no-

rum notas poſt reſurrectionem extare in corpore ſuo voluit: ita & noſtra corpora in reſurrectione gloriam quidem conſequentur maiorem, attamen eadem, quæ nunc, ſunt futura. Ex quibus patet Smalcium & impiè de reſurrectione ſentire, & ſacrilego ore Sanctis cultum denegare, quòd eos non eſſe omnino poſt mortem per ſummam ſtultitiam arbitretur. *Smalcij impius & ſacrilegus.*

Finem huic rei faciam, ſi vnum adiecero, non rectè Smalcium argumentari, cùm ait. Si colere Sanctos non ſit idololatria, neq; Arianis in colendo Chriſto idololatriam obijci poſſe: hi ſiquidem Chriſto eadem exhibent, quæ nos Sanctis exhibemus. Eſt enim manifeſtum inter nos diſcrimen & illos: nos enim neq; Sanctos pro Dijs habemus, neq; ijs honorem tanquam Dijs deferimus; neq; deniq; talem illis honorem exhibemus, qui Dei ſolius proprius ſit. quocirca nullo modo idololatræ ſumus. At Ariani præter vnum ſummum Deum, alterum quoq; Deum colunt, & honores illi tanquam Deo exhibent. quocirca meritò habentur & appellantur idololatræ. Etenim is, qui falſum Deum colit, eſt idololatra. At qui alium Deum, præter vnum, colit, falſum Deum colit. omnis quippe alter Deus, præter vnum, eſt falſus Deus & idolum. 1. Cor: 8. 4. Quare iure meritiſſimo ſunt pro idololatris habendi. Eo enim ipſo, quòd Chriſtum alium Deum faciunt, falſum Deum faciunt; & cùm ei tanquam alteri Deo honores exhibent, tanquam falſo Deo honores exhibent. Neq; alius modus eſt ſecundùm ſcripturas Chriſtum credendi verum Deum, niſi idem cum Patre Deus credatur. *Argumentatio Smalcij non recta.* *Ariani iure idololatræ.*

Porrò egregiè fallitur Smalcius cùm putat, ſe eoſdem planè honores exhibere Chriſto, quos nos Sanctis exhibemus. In honore enim illud præcipuum & formale eſt, Dignitatis illius apprehenſio, ob quam honor alicui defertur: ita vt ſi nulla talis dignitas apprehendatur, ſed ſolùm actio externa honoris exhibeatur, non honor, ſed honoris ſit ſimulatio illi ſimilis, quo Iudæi Chriſtum adorabant fictè: ſi verò alia atq; alia dignitas apprehendatur, alium quoq; atque alium honorem eſſe neceſſe eſt. Nam ſi dignitas ciuilis apprehendatur, honor quoq; ciuilis erit: ſi Diuina, Diuinus: ſi infra Diuinam, ſed ſupra ciuilem, honor quoq; erit Diuino inferior, ciuili tamen ſuperior. Etſi igitur eoſdem actus externos honoris exhibere ſe dicant Chriſto Ariani, quos nos exhibemus Sanctis; tamen cùm eos actus cum apprehenſione & reſpectu Diuinitatis exhibent, & *Smalcij deceptio.* *Honoris formalitas quæ?*

 Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum tanquam Deum venerantur, longè diuerſum honorem exhibere conuincuntur, quàm nos; qui non tali reſpectu, ſed alio multò inferiori, idem præſtamus Sanctis.

Commune Catholicorum argumentum, ad probandum Chriſtum eſſe vnum cum Patre Deum, à Smalcij cauillationibus defenditur. CAP: XV.

Quòd Chriſtus ſit vnus cum Patre Deo, probāt potētiſſimè Catholici.

HActenus ea in medium attulimus, quibus manifeſtè probatur, Chriſtum nullo modo alium Deum, hoc eſt à Patre diuerſum, dici poſſe: iam ad ea gradum faciamus, quæ expreſſè naturæ Diuinæ vnitatem in Chriſto & Patre docent. Ac inprimis, commune illud Catholicorum argumentum ex vnitate Dei ductum, ita veritatem hanc perſuadet, vt Aduerſarij, aut Chriſtum eſſe Deum verum negare cogantur, aut vnum cum Patre Deum aſſerere. Etenim cùm ſcriptura ſemper, vnum Deum verum nobis proponat, ſequitur aut Chriſtum non eſſe Deum verum, aut eſſe illum vnum Deum. alioqui ſi ſit alter Deus, non erit verum, vnum eſſe Deum.

Vel ipſo Aduerſario teſte.

Agnoſcit quidem Smalcius aliquam eſſe in hoc argumento apparentiam, ſed ait, Deum idcirco eam extare voluiſſe, vt homines qui magis amant tenebras, quàm lucem, haberent quo ſe tueantur. Sed hæc verba ſunt inania. etenim ſi argumentum lucem continet, eamq; Diuinam, vt potè ex ſcripturarum ipſis fontibus hauſtam, quis non videt eos non eſſe filios lucis ſed tenebrarum, qui lucem tam ſplendidam repudiant. Eam enim Deus idcirco extare voluit, vt in tenebris luceret, eaſq; illuminaret.

Ariani non ſunt filij lucis.

Smalcij coniectura futilis & inepta.

At enim inquit Smalcius, eadem ſcriptura, quæ vnum eſſe Deum teſtatur, Chriſtum ab illo vno Deo diſtinguit, cùm eum Dei vnius Verbum nominat. Qui enim Dei eſt, quomodo Deus ipſe eſſe poteſt. Futilis omnino coniectura, vt ex innumeris planè exemplis doceri poteſt. quis enim neſciat ſpiritum, qui in homine eſt, & hominis eſſe & idem eſſe quod homo. Sapientiam etiam, bonitatem, charitatem, & alias perfectiones Diuinas, & Dei eſſe dicimus, & Deum eſſe ſapientiā, bonitatem, charitatē. Veriſſimū enim eſt illud axioma Theologorum, quidquid in Deo eſt, Deus eſt. Vnde & Ioannes 1. Ioan: 4. dixit charitatem, & Deum eſſe, & Dei eſſe, & Deum charitatem habere. Non igitur iſta ſecum pugnant, vt opinatur Smalcius Dei eſſe, & Deum eſſe. quod enim eſt idem cum Deo, & Dei eſſe, & Deus eſſe

Quidquid in Deo eſt, Deus eſt.

Idem poteſt eſſe & Dei & Deus.

Digitized by Google

Deus eſſe rectè dici poteſt, vt adducta exempla luculentè docent. eoq; conſilio D. Ioannes vtrumq; de Verbo aſſeruit, nempe & Verbum fuiſſe apud Deum, & Verbum fuiſſe Deum. ne aliquis fortè Arianorum putaret, Verbum ita eſſe apud Deum, tanquam aliquid extraneum, ſed tanquam idem cum Deo. Ineptè igitur colligit Smalcius, ex eo quòd Chriſtus ſit Dei Verbum, non poſſe dici, idem cum Deo, nec eundem Deum.

Sed pergit ineptire, ne dicam delirare Smalcius, cùm ait Chriſtum ſecundùm ſcripturas eſſe hominem oriundum ex Patribus ſecundùm carnem, & tandem mortuum. qui verò homo eſt eſſentialiter, is Deus eſſe nequit eſſentialiter. niſi velimus de vno eodemq; ſubiecto contraria eſſentialiter prædicari poſſe. At non minus inepta eſt hæc argumentatio, quàm præcedens. neq; enim ſequitur, ſi Chriſtus ſecundùm carnem ſit eſſentialiter homo, non poſſe ſecundùm aliam naturam, eſſe eſſentialiter Deus. Solùm enim ex illo antecedente ſequitur, Chriſtum ſecundùm carnem non eſſe Deum eſſentialiter; cùm alia carnis, alia Dei ſit eſſentia. At verò non ſequitur, ſecundùm aliam naturam non eſſe eſſentialiter Deum. vtrumq; enim de Chriſto aſſerit S. Paulus Rom: 1. 3. & quòd factus ſit ex ſemine Dauid ſecundùm carnem: & quòd prædeſtinatus vel declaratus ſit Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis: ſicut enim per carnem, carnis naturam intellexit: ita per ſpiritum ſanctificationis naturam Diuinam, vti nos alibi demonſtramus. Hoc verò loco, ſatis eſt, oſtendere argumentis Aduerſariorum eiuſmodi, concludi non poſſe, Chriſtum ſecundùm naturam aliam, non poſſe dici eſſentialiter Deum.

Ineptia ſolennes Smalcij. 1.

Illud verò quàm ineptè ſimiliter à Smalcio dicitur, Deum & hominem contraria eſſe: ex eo fortaſſe, quòd ſpiritus & caro contraria Smalcio videantur. At cùm in homine ſpiritum & carnem in vnius eiuſdemq; hominis eſſentiam concurrere per ſe manifeſtum ſit, quis non animaduertit, Diuinam naturam non eſſe ita humanæ contrariam, vt vtraq; eidem conuenire non poſſit? Nam etſi in eo ſit diſcrimen, quòd ſpiritus & caro ſint partes vnius naturæ: Diuina verò & humana natura non ſunt partes, ſed duæ completæ naturæ & integræ: tamen in eo, quod vrgemus, nullum eſt diſcrimen, nempe in oppoſitione carnis & ſpiritus. non enim de naturarum integritate hoc loco negotium eſt, ſed de oppoſitione & contrarietate. Cùm igitur videa-

2. *Deus & homo contraria ſunt iuxta Smalcium. Refutatur.*

tur videa-

Digitized by Google

tur videamus ſpiritum & carnem non eſſe naturas ita contrarias, vt eidem conuenire non poſſint, idem quoq; de Diuina & humana natura dicendum arbitramur.

9\.
Smalcius falſum aſſumit contra omnium ſapiẽtum ſenſum

Addit Smalcius. is qui homo eſt, perſona etiam humana vt ſit, neceſſe eſt. quòd ſi in Chriſto perſona humana ſit, Diuina iam eſſe non poteſt, niſi in vno duas perſonas ſtatuamus. Falſum aſſumit, & omnium ſapientum doctorumq; virorum ſenſui repugnans: qui vti perſonam à natura diſtinguunt: ita conſequi negant, eum qui natura homo ſit, perſonam quoq; humanam non poſſe non habere. Neq; repugnare aiunt perſonam Diuinam in humana natura ſubſiſtere.

Futiles ratiũculæ Smalcij.

Ex quibus manifeſtum eſt, Smalcium non ex ſcriptura, ſed ex futilibus ratiunculis colligere, Chriſtum non eſſe eundem cum Patre Deum. vbi enim hæ ratiunculæ in ſcriptura inueniuntur? quibus ſublatis, nihil habet Smalcius, quo ſuum errorem confirmet. oppoſitũ enim ſcriptura clarè pronunciat, non eſſe alterum Deum, niſi vnum, 1. Cor: 8. 4. Vnde manet argumentum Catholicum inſolubile, quo ex vnitate Dei, quam ſcriptura ſemper aſſerit, inferimus Chriſtum eſſe eundem cum Patre Deum, ne duos Deos ſtatuere cogamur.

Catholicum argumẽtum inſolubile manet.

Smalcij euaſio inculcata ſæpius.

Deniq; Smalcius ait, ſe vim huius argumenti in hunc modum euadere poſſe. Scriptura dicit, ſolum Deum eſſe beatum, & immortalitatem habentem, neq; tamen ex eo conſequitur, Angelos aut non eſſe beatos & immortales, aut eſſe vnum illum Deum. Pari ergo ratione, etſi ſcriptura dicat, eſſe vnum Deum, non conſequitur Chriſtum aut non eſſe Deum, aut eſſe illum vnum Deum.

Sæpius deſtituitur.

Verùm egregiè fallitur Smalcius. etenim, vt in cap: 4. deductũ eſt, non eo modo dicitur in ſcriptura, vnus & ſolus Deus, quo dicitur ſolus beatus & immortalis. Nam dicitur ſolus beatus & immortalis propter excellentiam, non propter veritatem. vt ex ſubiecta materia & loci circumſtantijs patet. quare non ſequitur, Angelos non eſſe verè beatos & immortales. At eſſe Deus vnus dicitur propter veritatem, non propter excellentiam, nempe quòd præter vnum, non ſit alius Deus verus. quod tum ex eo manifeſtum eſt, quòd additur particula, *Verus*; vt de veritate, non de excellentia agi intelligatur: tùm quia opponitur ibi Deus verus idolis, reſpectu quorum non ſecundùm excellentiam, ſed abſolutè ſecundùm veritatem dicitur Deus verus. neq; enim idola, ſunt Dij minus excellentes, ſed omnino Dij veri non ſunt vllo modo. Deniq; ita ſolus Deus verus dicitur, vt non

Deus vnus dicitur verus propter veritatem.
1. Ratio.
2.
3.

vt non ſit alter Deus niſi vnus. vti explicat Paulus, 1. Cor: 8. 4. quo in loco Paulum conſtat vnum Deum opponere idolis; quæ tantùm abeſt, vt Dij minus excellentes dici poſſint, vt ibidem nihil eſſe à Paulo dicantur, hoc eſt nullo modo Dij veri. non igitur propter maiorem excellentiam Deus verus, dicitur vnus & ſolus, ſed propter veritatẽ: ita vt omnes alios Deos, qui pro veris habentur, excludi oporteat: nec exempla Smalcij continent ſimilitudinem, ſed magnam diſſimilitudinem; oſtenditurq; manifeſtè argumentum eſſe inſolubile, quod Smalcius conquiſitis vndiq; rationibus diſſoluere non potuit, nec ſi crepet, poterit vnquam. *Non propter excellẽtiam.*

Verba illa, Ego & Pater vnum ſumus, non poſſe niſi de vnitate naturæ intelligi oſtenditur. CAP: XVI.

TRes ſunt horum verborum expoſitiones, ex quibus duas Ariani, tertiam Catholici amplectuntur. Prima, de vnitate & concordia voluntatis. Altera, de vnitate poteſtatis non omnimoda, ſed quæ ſit eiuſdẽ generis. Tertia, de vnitate naturæ & cõſequẽter poteſtatis. *Triplex interpretatio horum verborum.*

Primò igitur Aduerſarij, cùm exponunt ea verba de vnitate & concordia voluntatis, hac ratione adducuntur. Promittit, inquiunt, Chriſtus hoc loco ſuis omnibus æternam felicitatem. quam promiſſionem eſſe certam, probat eo argumento, quòd ipſe & Pater vnum ſint, nempe voluntate. Si enim quod vult Chriſtus, Pater etiam velit, ſequitur de Chriſti promiſſione neminem dubitare debere. Verùm iſti duplici nomine errant. *Prima Arianorum de vnitate voluntatis.*

Primùm in eo, quòd non ſatis intelligant, quid hiſce verbis Chriſtus probare intendat. id enim ex ℣. 28. colligitur, vbi probandum proponit, neminem poſſe oues de manu ipſius rapere. quia inquit, Pater qui eas mihi dedit, maior omnibus & potentiſſimus eſt. & nemo poteſt eas rapere de manu Patris propter ſummam eius potẽtiam. idcirco nec de manu mea. Ego enim & Pater vnum ſumus. non igitur certitudinem promiſſæ felicitatis, vt Aduerſarij volunt, ſed magnitudinem ſuæ poteſtatis in ouibus ſuis protegendis, hoc loco probare contendit Chriſtus. ita vt mirum ſit rem tam claram à Smalcio negari potuiſſe. Nam & manus Chriſti ac Patris potentiam ſignificat, & non poſſe quenquam rapere oues de manu Patris ac Chriſti, magnitudinem potentiæ in Chriſto & Patre denotat. & comparatio ipſa manus Chriſti cũ manu Patris, comparationẽ potentiæ deſignat. *Reijcitur primo. Scopus verborum Chriſti. Clariſſima negat Smalcius.*

Alterum

2. Ariani Christum ineptè argumẽtantem faciunt. Alterum eſt, in quo turpiter errant, quòd Christum ineptè argumentantem faciunt. Chriſtum enim ex ſua vnitate cum Patre, magnitudinem ſuæ potentiæ demonſtrare voluiſſe, ſatis iam oſtenſum eſt. Atqui ex vnitate voluntatis & concordiæ, inferri nullo modo poteſt magnitudo potentiæ in Chriſto, ſed in Patre. ergo cùm verba Chriſti de vnitate voluntatis & concordiæ interpretantur, Chriſtum ineptè argumentantem faciunt. Minorem ita demonſtro. ex eo enim quòd Pater volente Chriſto velit protegere oues ipſius, non ſequitur in Chriſto poteſtas, ſed in Patre. is enim qui protegitur ab aliquo non ſua potentia, ſed alterius vtitur: imò ex eo quòd aliena potentia & auxilio indiget, conuincitur vel nullam, vel ſatis exiguam aut certè non parem in ſeipſo habere. quare ex eo, quòd Pater velit volente Chriſto oues eius defendere, non ſequitur magnitudo potentiæ in Chriſto, ſed in Patre, neq; Chriſti manum eſſe potentem ſed manum Patris.

Probat hìc Christus intrinſecã potentiam ſuam. Ex quo etiam manifeſtum eſt, Chriſtum probare hoc loco ſuam potentiam non extrinſecam ſolùm, prout protectionem & auxilium extrinſecum Patris ſignificat, ſed intrinſecam & in ſeipſo reſidentem. Nam hæc potentia & hoc loco manus nomine deſignatur, & ex alijs ſcripturis abundè conſtat Chriſtum poteſtatẽ intrinſecam habere in ſemetipſo, qua oues ſuas & cuſtodit, & protegit, & vita æterna donat, vt propterea dicatur vitam habere in ſemetipſo. quia in ſemetipſo habet poteſtatem, quos vult viuificandi, tùm in corpore, tùm in anima. quam poteſtatem in Chriſto perpetuò manentem, & ipſimet aduerſarij agnoſcunt, eiuſque reſpectu Chriſtus æqualis Deo dicitur.

Secunda Smalcij expoſitio de vnitate poteſtatis. Alterum horum verborum ſenſum affert & ſequitur Smalcius, cùm ea de vnitate poteſtatis intelligi vult, Chriſtumq; aſſerere hoc loco, ſe & Patrem, eſſe vnum potentia: non quòd vna numero ſit potentia Patris & Chriſti, ſed quòd ſit eiuſdem generis, id eſt eiuſdem generis effectus reſpiciat, licet poteſtas Patris & qualitate & quantitate ſit maior poteſtate Chriſti.

Ineptior priore. Hæc interpretatio hoc modo explicata eſt multò ineptior priore. inprimis enim Chriſtum facit nil ſingulare de ſe aſſerere, quodq; non de quauis re creata dici poſſit. Si enim ad hoc, vt Chriſtus dicatur eſſe vnum cum Deo, ſufficit, quòd habeat potentiam eiuſdem generis, hoc eſt, vt aduerſarij definiunt, reſpicientem eiuſdem generis effectus,

1. Quia ſequitur ex ea o-

ris effectus, conſequens eſt, omnes res creatas, cùm habeant potentiam eiuſdem generis, cũ potentia Dei, (ſiquidem eoſdem effectus producere poſſunt, quos producit Deus) eſſe quoq; vnum cum Deo. Quapropter & ſol & ignis erunt vnum cum Deo; quia poteſt illuminare & calefacere, quod etiam poteſt Deus: & quamuis Deus & plura poſſit, & perfectiori ratione; tamen hoc etiam aduerſariorum ſententia non obſtat, quominus potentia dicatur eiuſdem generis, in certo rerum genere; cùm illam dici velint potentiam eiuſdem generis, quæ reſpicit eiuſdem generis effectus, ſiue abſolutè omnes, ſiue in certo rerum genere.

omnes creaturas eſſe vnum quid cum Deo.

Quod ſi dicat Smalcius, hanc potentiam rerum creatarum non eſſe Diuinam, ſed naturalem; reſpondendum eſt, quòd quemadmodum potentia Chriſti ſecundùm Smalcium dicitur Diuina, quia eſt eiuſdem generis cum Diuina: ita & potentia naturalis rerum creatarum diceretur Diuina, quia eſſet eiuſdem generis cum Diuina.

Smalcius inſtat. Refutatur.

Quod ſi Diuinam, dici velit Smalcius, ſolùm reſpectu eorum effectuum, qui à ſolo Deo effici poſſunt, vt ſunt effectus ſupernaturales, ea res inprimis ad vnitatem potentiæ nihil facit. Nam ſi per hoc ſolùm dicuntur aliqua vnum potentia, quia habent potentiam generis eiuſdem, id eſt eoſdem effectus ſpectantem: potentia autem eiuſdem generis poteſt eſſe tàm in ijs effectibus, qui ſunt proprij Deo & ſupernaturales rebus creatis, vt ſunt opera miraculoſa: quàm in ijs effectibus, qui ſunt naturales rebus creatis, æquè in his ac in illis effectibus res creatæ dicerentur vnum cum Deo. Deinde ſaltem homines & Angeli, cùm opera Dei propria, virtute ſibi à Deo communicata faciunt, poſſunt dicere, ego & Deus vnum ſumus, haberent enim potentiam eiuſdem generis.

Diuina potentia qua dicatur ſecundũ Smalcium.

Neq; verò ſatis facit Smalcius, cùm ait, eam poteſtatem, licet ſuo modo Diuina ſit; tamen ſi cum Chriſti potentia comparetur, humanam potiùs quàm Diuinam cenſendam eſſe. ea enim comparatio, ſolùm oſtendit Chriſti potentiam eſſe maiorem, quàm aliorum hominum. ac proinde Chriſtum eſſe maiori ratione vnum cum Deo, quàm alios: cùm tamen alij quoq; propter potentiam eiuſdem generis, dici debeant vnum. Potentia enim dicitur à Smalcio vna, propter vnitatem effectuum eiuſdem generis, non propter amplitudinem aut perfectionem potentiæ.

Reſponſio Smalcij non ſatisfacit.

Cùm igitur abſurdum ſit propter potentiam eiuſdem generis, res

Digitized by Google

creatas abſolutè dici vnum cum Deo, non minus etiam abſurdum cēſeri debet, Chriſtum hoc loco propter potentiam eiuſdem generis, dicere, ſe eſſe vnum cum Patre. quod ſi non reputatur abſurdum, abſurdum ſaltem erit, nihil peculiare hoc loco Chriſtum de ſe aſſerere, quod ei non eſſet cum cæteris rebus creatis commune: cùm & ipſi Iudæi tantùm id eſſe reputarent, vt ex eo colligerent, Chriſtum, homo cùm eſſet, ſeipſum feciſſe Deū. quod ſe vnum cū Patre aſſereret.

2. Quia facit Chriſtū ineptè argumētantem.

Deinde facit etiam Chriſtum ineptè argumentantem. etenim ex vnitate potentiæ eiuſdem generis, non ſequitur Chriſti potentiam eſſe tantam, vt ſuperari à nemine poſſit. quod Chriſtus hic probare contendit. Nam etſi eiuſdem generis potentia ſit in vtroque, hoc eſt in ordine ad eoſdem effectus: tamen in Patre eſt longè perfectiſſima & maxima: in Chriſto verò ſecundùm iſtos eſt multò minor. atque idcirco non ſequitur, ſi ex manibus Patris, qui maiorem & perfectiorem potentiam habet, nemo poteſt oues rapere: pari ratione nec ex manibus Chriſti poſſit eas quiſquam eripere. Notum enim omnibus eſt, à maiori ad minus affirmatiuè nullam eſſe conſecutionem. Ex quo patet, ſi verba Chriſti de vnitate potentiæ eiuſdem generis exponantur, ineptiſſimam fore Chriſti argumentationem.

Chriſti potentia tanta quanta Patris.

Accedit quod Chriſtus diſertè ſua argumentatione concludere vult, ſuam potentiam eſſe tantam, quanta eſt potentia Patris: ſi enim tanta non eſſet, ſed longè minor, non eſſet conſequens, ſi ex manibus Patris oues nemo poſſit rapere; pari ratione neq; ex Chriſti manibus rapere poſſe. etſi enim duo habeant potentiam eiuſdem generis eorundem operum effectricem; ſi tamen vnus habeat imbecilliorem & infirmiorem quàm alter, fiet vt is ſuperari facile poſſit. alter verò eiuſdem generis potentia, ſed longè maiori præditus, nō poſſit.

Quomodo id probat Chriſtꝰ ipſe.

Porrò tantam eſſe ſuam potentiam, quanta eſt Patris probat Chriſtus ex ſua cum Patre vnitate, ita vt non ſolùm æqualem eſſe Chriſti & Patris potentiam oporteat, ſed & vnam numero, quod maius eſt. de tali enim vnitate loquitur, ex qua inferri poſſit æqualis potentiæ cum Patre. Atqui nulla alià dari poteſt vnitas, ex qua poſſit inferri hæc æqualitas, niſi vnitas numerica potentiæ. Nam vnitatē illam, quam aduerſarij ſtatuunt, eiuſdem generis ad id non ſufficere, ſatis ante demonſtratum eſt; conſtatq; poſſe aliquos vnam, id eſt eiuſdem generis potentiam habere: qui tamen non ſint æqualis prorſus poteſtatis, ſed vnus altero potentior. Vnitas etiam ſecundum

ſpeciem,

ſpeciem, pari ratione, potentiæ æqualitatem non infert: cùm ij, qui habent potentiam eiuſdem ſpeciei, ſæpènumero inæqualem potentiã habeant. vt in duobus hominibus, quorum alter viribus infirmus ſit, alter potens, manifeſtum eſt: quos tamen eiuſdem ſpeciei vires habere nemo inficiabitur. Reliquum ergo eſt, vt eam potentiam eſſe numero vnam oporteat, ex cuius vnitate æqualitas potentiæ inferri poſſit. cùm neq; ex vnitate generica aut ſpecifica potentiæ æqualitas inferri poſſit: neq; alia detur vnitas poſt genericam & ſpecificam, quæ ad rem noſtram faciat, niſi numerica.

Deniq; quæ infinitè in ratione potentiæ diſtant, ſunt potiùs non vnum, quàm vnum quæ enim diſtant, quatenus diſtant, non ſunt vnum, ſed diuerſa. Si ergo infinitè diſtent, ſolùm verò finita aliqua ratione non diſtant, magis erunt non vnum, quàm vnum, & abſolutè non vnum. Cùm igitur Chriſti & Patris potentia infinitè in ratione potentiæ diſtent; ſiquidem ex doctrina aduerſariorum Chriſti potentia eſt infinitè minor potentia Patris; conſequens eſt, Chriſtum & Patrem dici non poſſe abſolutè vnum in ratione potentiæ.

Chriſti potentia eſt infinita.

Minor potẽtia Patris iuxta Arianos.

Ait Smalcius, parum verum eſſe, Dei potentiam infinitè maiorem eſſe, omni rei creatæ potentia. Poteſt enim inquit, Deus rei creatæ, ſaltem in quibuſdam rebus, talem & tantam largiri poteſtatem, quæ ſit par ſuæ poteſtati. quod inquit, in Domino IESV eueniſſe teſtantur ſacræ literæ his verbis; *Pater neminem iudicat.* hoc eſt, neminem ex ſua perſona nunc regit, & olim ſeruaturus eſt, ſed omne iudicium dedit Filio. Verùm hæc nimis abſurdè à Smalcio dicuntur: aut enim negare debet Dei potentiam eſſe infinitam: aut concedere, infinitè à potentia creata diſtare. infinitum enim à finito diſtare infinitè neceſſe eſt.

Perabſurdũ dictũ Smalcij

Parum verum eſſe, Dei potentiam maiorẽ eſſe, omni rei creatæ potẽtia. Refutatur.

Neq; verò tueri ſe poteſt, ſi dicat: Dei potentiam ſi abſolutè & reſpectu omnium effectuum conſideretur, eſſe infinitam; ſi verò in quibuſdam tantùm rebus ſumatur, non eſſe infinitam. id enim nulla ratione admitti poteſt. Etenim Dei potentia, non ſolùm qua Deus omnia poteſt, ſed etiam qua ſingula poteſt, infinita eſt: neq; idcirco ſolùm Deus infinitus eſt, quod omnia poſſit, ſed & quod ſingula, infinita quadam ratione & perfectione poſſit: infinita inquam perfectione, tum ob modum agendi independentem, qui virtutem infinitam in agente requirit: tùm ob infinitam perfectionem potentiæ, quæ eadem eſt prorſus cum illa, qua Deus omnia poteſt. Quocirca ſicut

Dei potentia infinita.

circa ſicut finitum infinito par eſſe non poteſt: ita fieri nequit, vt creata & infinita poteſtas, par eſſe poſſit Diuinæ poteſtati infinitæ, ac ex conſequenti, neq; fieri poterit, vt Deus parem ſuæ poteſtati, poteſtatem rei creatæ communicet.

Aliud dictũ Smalcij excutitur de poteſtate Chriſti.

Quod verò ait, Deum Chriſto parem ſuæ poteſtati contuliſſe; id ſi de Chriſti creata poteſtate intelligat, falſum eſt. dependens enim poteſtas (qualem omnem creatam eſſe neceſſe eſt) par eſſe poteſtati independenti non poteſt. neq; enim ex eo, quod eiuſdem generis effectus efficit, quos efficit Diuina poteſtas, par eſſe Diuinæ poteſtati dicenda eſt. Nam eoſdem effectus infinita & independenti quadam (vt dictum eſt) perfectione Diuina poteſtas efficit, quos creata poteſtas dependenti & limitata ratione facit, ac proinde admodum inæquali ratione. Deinde ea ratione ſequeretur, cuiuſlibet rei creatæ poteſtatem, parem Diuinæ poteſtati dicendam eſſe: quippe quæ eiuſdem generis effectus efficiat in certo quodam rerum genere. quod tamen ita abſurdum eſt, vt aſſeri nullo modo poſſit. Si verò in Chriſto parem prorſus perfectionẽ Diuinæ poteſtati agnoſcat Smalcius, verum quidem erit, Chriſto eiuſmodi poteſtatem collatam eſſe; at talis poteſtas, cùm ſit independens, non erit creata, nec niſi cum natura Diuina Criſto communicari potuit. nam neq; par eſſe Diuinæ poteſtati poſſet, niſi eſſet independens: neque poteſtas independens abſq; natura independenti, cum qua idem prorſus eſt, communicari poteſt.

Instantia Smalcij difficultatem non tollit.

Fruſtra etiam ſe torquet Smalcius, cùm ait, poſſe aliqua eſſe vnum & diuerſa, ob aliam & aliam cauſam. id enim etſi verum eſt, difficultatẽ tamen minimè tollit. Noſtrũ enim argumentũ id præcipuè vrget, ea quæ infinitè ſecundùm aliquã rationẽ à ſe diſtant, ſecundùm illam eandem rationem, non eſſe abſolutè vnum, & magis non vnum quàm vnum. Etſi igitur ſecundùm diuerſas rationes, poſſit aliquid dici vnum & non vnum: tamen ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam aliqua infinitè à ſe diſtant, non poſſunt dici abſolutè vnum, licet non repugnet dici ſecundùm quid vnum. Quocirca cum in ratione potentiæ, Dei potentia, ab omni creata potentia infinitè diſtet, non poteſt ſecundùm eam rationem dici abſolutè vna, ac ex conſequenti, nec Chriſtus illa ratione poſſet dicere abſolute. *Ego & Pater vnum ſumus.*

Catholica

Digitized by Google

Catholica verborum Chriſti, Ego & Pater vnum ſumus, expoſitio comprobatur. CAP: XVII.

CVm igitur neutra verborum Chriſti interpretatio, quam aduerſarij adferunt, conſiſtere poſſit, veriſſima erit Catholicorum omnium interpretatio, verba Chriſti de naturæ vnitate exponentium: ita vt ſenſus ſit: quia, Ego & Pater, natura vnum & idem ſumus: idcirco vnum & idem poſſumus: & ideò ſicut è manibus Patris nemo rapere poteſt oues meas, ita nec de manibus meis: quorum enim vna eſt natura, eſt etiam vna eademq; poteſtas. *Tertia verborū Chriſti explicatio de Vnitate natura confirmatur.*

Hanc Catholicam & omnium SS. Patrum explicationem, ex eo primùm confirmare poſſumus: quòd nulla alia vnitas faciat ad inferendam æqualem & vnam, Patris ac Chriſti virtutem atque potentiam. ergo cùm Chriſtus parem ſuam cum Patre poteſtatem ex vnitate ſua cum Patre deducit, non de alia vnitate, quàm de vnitate naturæ loqui exiſtimandus eſt. Nam & ex hac vnitate ſequitur par Chriſti & Patris potentia; & ex alia vnitate non ſequitur. Nam ſi de vnitate voluntatis & concordiæ ſermo ſit, ex ea non Chriſti potentia, ſed Patris auxilium & protectio inferri ſolummodo poteſt. quia enim idem vult Pater, quod vult Filius: idcirco volente Filio oues ſuas conſeruare, volet etiam Pater, eaſq; ſumma ſua poteſtate, cui repugnare nemo poteſt, conſeruabit. 1.

Similiter ſi de vnitate potentiæ eiuſdem generis loquamur, non ſequitur, ſi qui habeant potentiam eiuſdem generis ad eoſdem effectus producendos, tantam eſſe vnius potentiam, quanta eſt alterius potentia. neq; ſi poteſtas vnius ſuperari à nemine poſſit, idem fateri neceſſe eſt, de alterius poteſtate. ad eoſdem enim effectus producendos, alter ſummam & inuincibilem poteſtatem habere poteſt: alter verò debilem & infirmam. vti in præſenti negotio de Patris & Chriſti poteſtate fateri coguntur Ariani. Porrò ex vnitate naturæ optimè ſequitur vnitas & æqualitas potentiæ. quorum enim vna eſt eademq; natura, eſt quoq; vna & eadem poteſtas, maximè ſi poteſtas ſit idem, quod natura, vti in Deo eſſe credimus. quapropter niſi de vnitate naturæ verba Chriſti exponantur, totam Chriſti argumentationem concidere, & nullo modo poſſe conſiſtere, conſequens eſt.

Eadem expoſitio alio quoq; argumento confirmari poteſt, nempe quòd Iudæi eo ſenſu, hoc eſt de vnitate naturæ, verba Chriſti intellexe- *2. Catholica expoſitio probatur.*

Digitized by Google

tellexerunt, cùm idcirco lapides ſuſtulerunt, vt iacerent in eum. quia inquiunt, homo cùm ſis, facis teipſum Deum. Intellexerunt igitur illis verbis, *Ego & Pater vnum ſumus*, illud contineri, quòd homo ille faceret ſe vnum cum Patre Deum. Porrò cùm hunc ſenſum è verbis Chriſti conceptum, eidem Chriſto obijcerent, tanquam blaſphemum, eumq; propterea lapidare vellent, Chriſtus nunquam negauit ſe hoc dixiſſe, quod illi obijciebatur; neq; eum eſſe verborũ ſuorum ſenſum (quod tamen proculdubio facere debuiſſet, ſi id falſum eſſet, tùm ne grauiſſimi ſcandali occaſionem præberet Iudæis, tùm vt ea ratione ſe à præſenti mortis periculo liberaret) ſed ſolùm negauit, id eſſe blaſphemum, quod illi obijciebatur; Itaq; non negauit à ſe dictum, & quòd illis verbis, *Ego & Pater vnum ſumus*, ſe diceret naturâ Deum & vnum cum Patre Deum, ſed ſolùm negauit id eſſe blaſphemum, ad idque ſolùm rationes ſuas accommodauit, vt probaret non eſſe blaſphemum, hominem dici Deum. ſi enim ſine blaſphemia homines in ſcriptura dicuntur Dij; multò maiori ratione ſe poſſe ſine blaſphemia affirmare, ſe eſſe Deum. quod & ex ſua ſanctificatione & miſſione in mundum confirmat, & ex operibus Diuinis demonſtrat: ac planè cogit Iudæos vt credant, quod illis impoſſibile videbatur. Si mihi non creditis, operibus credite, vt credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre, quod idem eſt, ac eſſe vnum cum Patre. propter vnam enim communemq; naturam & ipſe in Patre, & Pater in ipſo erat.

Iudæi meliꝰ verba Chriſti intellexerunt quàm Ariani.

Ait Smalcius primùm nulla ratione probari poſſe, Iudæos hoc ſenſu verba Chriſti intellexiſſe. Nam etſi blaſphemiam verbis Chriſti contineri intelligerent: tamen hæc blaſphemia non in eo erat poſita, quòd Chriſtus ſe vnum naturâ cum Patre dixerit, ſed quòd cùm eſſet vilis & abiectus homo, ſe Deo nimis familiarem & coniunctũ affirmaret. At errat Smalcius; nam eam blaſphemiam, quam in verbis Chriſti contineri arbitrabantur, ſatis ipſi expoſuerunt, cùm dicerent, de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia. quia cùm homo ſis, facis teipſum Deum. Non igitur in hoc ponebant blaſpemiam, quòd ſe faceret coniunctũ & familiarem Deo, vt Smalcius nugatur, ſed quòd cùm homo natura eſſet, faceret ſe natura Deum. hoc enim illa verba, Homo cum ſis, & illa hominis & Dei oppoſitio, in quo totam blaſphemiam fundant, indicat. neq; enim erant adeò abſurdi, vt putarent, nulla ratione hominem dici Deum poſſe,

Reſponſio Smalcij prima, mera nuga.

Reijcitur.

poſſe, ſed ſolùm, ſi dicatur eſſe naturâ *Deus*. Hanc verò blaſphemiam ex illis Chriſti verbis, *Ego & Pater vnum ſumus,* non alia ratione deducere poterant, quàm quòd in eis vnitatem naturæ aſſeri intelligerent. qui enim ſe eſſe vnum natura cum Deo affirmat, ex conſequenti ſe eſſe naturâ Deum affirmat.

Ex quo patet Iudæos non alia ratione blaſphemum exiſtimâſſe, hominem dici Deum, quàm ea qua id homini repugnare cenſebant; hanc enim vim habent illa verba, Homo cùm ſis: ac ſi dicerent; facis te eſſe Deum, tali ratione, quæ in hominem cadere non poteſt. Non exiſtimabant autem proculdubio in hominem cadere non poſſe, vt Deus dicatur, Diuinitatis aliqua participatione. Sic enim non ſemel in ſcriptura homines, Dij dicuntur, ſed ſolùm id blaſphemum arbitrabantur, ſi homo Deus naturâ diceretur. Ex quo patet Arianos eodem planè argumenti genere aduerſus nos vti, quo Iudæi olim aduerſus Chriſtum vtebantur, nempe quod Chriſtum, cùm homo ſit naturâ doceamus & credamus eſſe natura Deum. Vtrorumq; autem perfidiam æquè Chriſtus coarguit.

Ariani contra Catholicos ita argumentantur, vt Iudæi olim contra Chriſtum.

Secunda reſponſio Smalcij diluitur.

1.

Ait deinde Smalcius, Iudæos, ſi ita verba Chriſti intellexerunt, grauiſſimè erràſſe. At longè alia eſt Chriſti, de errore Iudæorum, ſententia: neq; enim in hoc à Chriſto redarguuntur Iudæi, quòd malè Chriſti verba intellexerint, ſed quòd eum ſenſum, blaſphemiam continere arbitrati ſint. Non igitur error Iudæorum in eo fuit, quòd alio ſenſu verba Chriſti acceperint, ſed quòd eum ſenſum cum blaſphemia eſſe coniunctum cenſuerint, & Chriſto exprobrauerint; Chriſtusq; non hoc vrget, quòd nihil tale dixerit, quale illi objiciebatur, (quod tamen facillimum illi erat ad ſe calumnia & mortis periculo liberandum) ſed quòd illa, quam putabant eſſe blaſphemiam, longè à blaſphemia abeſſet

Ariani ſapientiores ſe faciunt Chriſto, dum id in Iudæis redarguunt, quod Chriſtus non redarguit.

2.

Accedit & alia ratio. etenim ſi Iudæi in ſenſu verborum Chriſti erraſſent, correcti proculdubio à Chriſto fuiſſent; nam etſi Chriſtus cùm manifeſtis calumnijs peteretur, vt cum dicebatur Samaritanus, non reſpondendo, ſed tacendo calumniam ſoluit, quippe quæ ita manifeſta eſſet, vt alia dilutione opus non haberet; nec vllum ex ſilentio ſcandalum aut periculum ſequeretur: at tamen hoc loco in re omnium grauiſſima, & ad ſalutem hominum ſpectante, Chriſtus tacere nullo modo debuit. Etenim cùm ex verbis Chriſti ea opinio in animis Iudæorum naſceretur, & grauiſſimi ſcandali atq; peccati

illis oc-

illis occaſionē daret, diſſimulare proculdubio Chriſtus rem tantam non debuiſſet, ſed corrigere, & illos ab errore liberare. quod cùm non fecerit, eo ipſo veram eſſe indicauit. quamuis enim non omne id, quod à Chriſto non eſt correctum, ſequitur illico eſſe verum: tamen cùm error eiuſmodi eſt, qui niſi corrigatur, in Chriſtum ipſum redundat, eiq; tota illius erroris cauſa tribueretur, corrigi proculdubio debet. quòd ſi non corrigatur, idipſum argumento eſt, errorem non eſſe: quare ſicut nullum bonum virum decet, alteri iuſtam errandi occaſionem præbere, vel alium verbis in errorem inducere: ita id multò minus bonitatem Chriſti decuit. Nam etſi permittere peccata & errores Deus ob iuſtas cauſas quandoq; poſſit: at eſſe peccati errorumq; cauſam, omnino Dei bonitati repugnat. quem velle omnes homines ſaluos facere, non in errores & peccata impellere, Sacræ literæ teſtantur.

Smalcius perperā verba Christi exponit.

Verùm correctam quodammodo Iudæorum ſententiam Smalcius ait, cùm Chriſtus ſe, iniuria, blaſphemiæ accuſari pronunciat, quòd dixerit, *Sum Filius Dei*; quod ſine vlla blaſphemia in hominem cadere poteſt. Sed fallitur Smalcius, & perperam Chriſti verba exponit. Etenim Chriſtus non negat, id ſe dixiſſe, quod ſibi obijciebatur à Iudæis, ſed ſolùm negat id eſſe blaſphemum, indicant hoc illa verba. Vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum. quibus verbis oſtendit, id, quod dicebant Iudæi, nullam eſſe blaſphemiam. Corrigit ergo Iudæos non in ſenſu verborum malè accepto, ſed in blaſphemia verbis Chriſti immeritò attributa. neq; negat ſe id dixiſſe, quod illi obijciebatur, ſed ſolùm negat, id eſſe blaſphemum. Quocirca ſi decreto Chriſti ſtandum eſt, ſine vlla blaſphemia dici poteſt, Homo natura Deus, cùm in eo nullam blaſphemiam contineri Chriſtus docuerit; & decreto Chriſti repugnare conuincuntur Ariani, cùm id eſſe blaſphemum vna cum perfidis Iudæis ore ſacrilego pronunciant.

Homo dici poteſt natura Deus, Chriſti decreto.

Id Ariani cum Iudæis blaſphemiā pronunciāt.

Et ſanè ſi Chriſtus dixiſſet abſolutè, ſe non dixiſſe talem blaſphemiam, proculdubio negâſſet ſe eo ſenſu dixiſſe, quo Iudæi obijciebant. at Chriſtus ſolùm dicit in ijs verbis, quæ illi à Iudæis obijciebantur, nullam blaſphemiam contineri: ita vt non neget verba, ſed blaſphemiam in verbis. vnde non corrigit ſententiam Iudæorum in ſenſu verborum, ſed in afficta verbis blaſphemia.

Smalciꝰ v-

Peruertit verò Smalcius cum Socino reſponſionem Chriſti, ac ſi dicere vo-

Digitized by Google

dicere voluiſſet, ſe non alia ratione, ſe Deum feciſſe, niſi ea, quæ nihil amplius contineat, quàm quòd Dei Filius eſſet. quod cùm in hominem cadere poſſit, nullam blaſphemiam continet. *nà cum Socino Christi peruertit.*

Peruertit inquam Smalcius Chriſti verba. non enim Chriſtus ait, ſe nihil aliud dixiſſe, niſi quòd Filius Dei ſum; ſed ait, Iudæos immeritò dicere in eo, quod Chriſtus dixit, Filius Dei ſum, blaſphemiam eſſe, vt patet ex illis verbis: Vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum; ita vt Chriſtus Iudæorum obiectionem, non ſuam ſententiam referat. Iudæi enim quemadmodum blaſphemiam iudicabant, hominem eſſe naturà Deum; ita & eſſe naturà Filium Dei, cùm is, qui eſt naturà Filius Dei, ſit quoq; naturà Deus. vtrumque enim impoſſibile eſſe putabant, vtrumq; blaſphemum. Chriſtus verò, vtrumq; ſine blaſphemia dici poſſe, affirmat.

Ex quo tale confici poteſt argumentum. Chriſtus eo modo dicit, 10
non eſſe blaſphemum, ſe eſſe Filium Dei, quo modo Iudæi obijciebant eſſe blaſphemum. At Iudæi non alia ratione blaſphemum eſſe iudicabant, hominem dici Filium Dei, niſi de eo, qui naturà Filius eſt, intelligendo, ergo Chriſtus hoc ſenſu negat eſſe blaſphemum, ſe facere Filium Dei.

Tertiò Catholica expoſitio probatur.

Tertium argumentum pro Catholica interpretatione ſumitur, ex illis Chriſti verbis, quibus docet, ſe meritò & ſine blaſphemia dicere potuiſſe, ſe eſſe Filium Dei. nam inprimis pro illis verbis, *Ego & Pater vnum ſumus*, ſubſtituit hæc verba, *Filius Dei ſum*. iſtis illa explicans, & ſimul oſtendens modum, quo dixerat ſe eſſe vnum cum Patre, nempe ſicut Filius dicitur vnum cum Patre, cum quo eſt vnius eiuſdemq; naturæ. Porrò quemadmodum Iudæi, cùm iudicarent blaſphemiam, Hominem dici Filium Dei, id illi de Filio Dei naturà intelligebant: ita & Chriſtus cùm id vacare omni blaſphemia affirmat, ſe eſſe natura Filium Dei agnoſcit, & ex conſequenti naturà Deum, & vnum naturà cum Patre.

Negatio Smalcij improbabilis.

Negat quidem Smalcius, ea verba pro illis ſubſtituta, Chriſtũq; ad alios ſuos ſermones reſpexiſſe, quibus directè aliquando dixerat, ſe eſſe Filium Dei; verùm iſta nulla probabilitate à Smalcio dicuntur. etenim luce ipſa clarius eſt, Iudæos, non aliorum verborum occaſione, ſed illorum, *Ego & Pater vnum ſumus*, erga Chriſtum commotos, eidem exprobraſſe, quòd homo cùm eſſet, faceret ſeipſum Deũ; quod ex illis verbis, quibus ſe vnum cum Deo affirmabat, deducebant. Et

Digitized by Google

bant. Et Chriſtus ad hanc obiectionem reſpondens, eam alijs verbis explicat. cùm enim Iudæi pro blaſphemia obijcerent, quòd cùm homo eſſet, faceret ſeipſum Deum, Chriſtus eandem obiectionem repetens, dicit eos ſibi obiecisse, quòd ſe faceret Filium Dei. Pro eodem igitur ita ſumuntur, facere ſe vnum cum Patre, facere ſe Deum, facere ſe Filium Dei, cùm alterum contineatur in altero. Cùm verò Chriſtus non negat ſe dixiſſe, id quod ſibi obijciebatur, admittit eo ipſo ſe, eſſe talem Filium Dei, qualem obijciebant Iudæi, nempe naturâ Filium Dei, & in eo nullam blaſphemiam contineri, neque alios ſuos ſermones de hac re aliàs habitos reſpexit Chriſtus, cùm nō de alijs ſermonibus, ſed de illorum verborum ſenſu, *Ego & Pater vnum ſumus*, controuerteretur hic à Iudæis.

Quartò probatur Catholica ſententia.

Huc ſpectant illæ rationes, quibus probat Chriſtus ſe multò maiori ratione dici poſſe Deum, & Dei Filium, quàm alios homines. *quem* inquit, *Pater ſanctificauit & miſit in mundum*: quæ quidem iuxta Catholicam de Chriſti Diuina natura doctrinam optimè explicantur. Tribus enim rationibus ſuam Diuinam naturam indicat.

Chriſtꝰ ipſe naturam ſuam Diuinā indicat tribus rationibus.

Prima eſt, quòd Deum habeat Patrem, & conſequenter ſit æquè, vt Pater, Deus. quam etiam ob cauſam aliàs, *volebant eum Iudæi interficere, quòd Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Ioan: 5. 18. ſcilicet non quomodocunque, neq; communi ratione, Deum dicebat
1. Patrem, ſed eo modo, quo Iudæi blaſphemum putabant, nempe eiuſdem naturæ & eſſentiæ cum Patre, cui ipſe eſſet æqualis, Ioan: 5.18. & vnum cum ipſo, Ioan: 10. 30. quæ verò hic opponit Smalcius, ſequenti capite commodiùs refellentur.

2. Altera ratio eſt, Sanctificatio, quæ & miſſionem eius in mundū præceſſit, & conſiſtit in Sanctitatis paternæ vnà cum natura communicatione. Homo enim ille, priùs Diuinæ naturæ hypoſtatica vnione ſanctificatus eſt, tum miſſus in mundum, & quemadmodum naturâ vnum erat cum Patre, ita etiam erat vnum ſanctitate, ſibi per vnionē hypoſtaticam communicata, & cum ea ſanctitate miſſus eſt in mundum. Atq; eam vim habere videntur illa verba, *quem Pater ſanctificauit*, vt Paternæ ſanctitatis vnà cum natura communicatio intelligatur. quod etſi Smalcius reputat impoſſibile, tamen id non eſſe impoſſibile ſequenti cap: docebitur.

3. Tertia ratio eſt, Miſſio in mundum, talis videlicet, qualem deſcribit ipſe apud Ioan; 16. 28. *Exiui à Patre & veni in mundum: iterum*

relinquo

Digitized by Google

relinquo mundum, & vado ad Patrem. Sicut enim reditus ad Patrem, eſt reditus in cœlum, ita exitus à Patre, eſt exitus de cœlo. Fuit igitur in cœlo, tanquam vnigenitus in ſinu Patris, antequam veniens in mundum homo fieret.

Cùm verò Smalcius opponit, nos pro conceſſo multa ſumere. Reſpondemus, ſatis nobis hoc loco eſſe, ex noſtra de Chriſti Diuinitate doctrina, quam aliàs ex ſcriptura probamus, rationes quas hîc Chriſtus adduxit, optimè explicari poſſe, cum eaq; multo melius con ſentire, quàm cum coactis & violētis aduerſariorū interpretationib⁹. *Oppoſitioni Smalcij ſatisfit.*

Accedit quòd Chriſtus, non ſolùm non cedit Iudæis obijcientibus blaſphemiam, ſed etiam vrget ipſos, & cogit operibus ſuis miraculoſis, in hunc finem diuinitùs editis, vt ſibi aſſerenti credatur, quòd Pater in ipſo, & ipſe in Patre ſit. ſcilicet id vrget, quod alijs verbis ante dixerat, *Ego & Pater vnum ſumus.* Propter hanc enim vnitatem cum Patre, & Pater in ipſo, & ipſe in Patre eſt per communem Diuinitatis naturam. Quamuis enim alijs quoq; modis ipſe in Patre, & Pater in ipſo eſſe dici poſſit: vti & fideles per charitatem dicuntur manere in Deo, & Deus in illis. tamen hoc loco non aliam inexiſtentiam intelligit, quàm eam, quæ ex vnitate naturæ vtriuſq; proficiſcitur. Hanc enim vnitatem negabant tunc Iudæi; hanc blaſphemiam reputabant, de hac diſceptabant cum Chriſto, Chriſtus deniq; hanc contra illos vrget varijs argumentis, & eam varijs formis dicendi explicat. Vbi etiam tacitè ex vnitate operum, vnitatem naturæ indicat, ac ſi diceret: quorum eadem prorſus opera ſunt, ij quoq; ſunt vnum & idem. Cùm igitur ſua Chriſtus opera eſſe Patris opera oſtenderet, meritò vrgere poterat Iudæos, vt crederent Patrem in ipſo eſſe, & ipſum in Patre, per communem vtriq; naturam eorundem operum Diuinorum effectricem. *Quinta.*

Nam quod Smalcius ait, non de omnibus operibus hîc Chriſtum loqui, ſed tantùm de miraculoſis & Diuinis operibus, id Chriſti argumentationem in concludenda communi vtriuſq; natura non impedit. licet enim de ijs præcipuè loquatur, alia tamen non excludit: & quemadmodum iſta à communi vtriuſq; natura proficiſci ait: ita & de alijs ſentire par eſt. *Smalcij Reſponſum inane.*

Neq; enim verum eſt, quod Smalcius ait, multa eſſe opera Dei, quæ non ſunt Chriſti, vt eſt creatio Angelorum & omnium rerum, earumq; conſeruatio. Nam etiam ſcriptura hæc opera Chriſto tribuit, Col: *Aliud falſum.* *Chriſtus cōditor omni-*

Digitized by Google

um à Paulo aſſeritur cõtra Smalcium. buit, Col: 1. 16. quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue Principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Quibus verbis expreſſè tam creatio, quàm conſeruatio omnium Chriſto tribuitur, vt ſuo loco demonſtrauimus, quidquid perſtrepant infideles Ariani.

Horror Smalcij nimis religioſus. Horret verò Smalcius, quòd à me ſcriptum eſt, ne furentes Iudæorum animos magis exaſperaret, non dixiſſe apertè ſe Deum eſſe, ſed moderatioribus formis dicendi vſum eſſe. Apage inquit, iſtam à Chriſto ſeruatore noſtro aſtutiam. *Non ex aſtutia Chriſtus Diuinã gloriam ſuam occultabat.* Quaſi verò quoties Chriſtus ſuam Diuinam gloriam iuſtis de cauſis occultabat, & alijs manifeſtari vetabat, quòd nondum veniſſet hora eius, id aſtutiæ, & non ſummæ potiùs eius ſapientiæ, qua omnia ſuo tempore fieri decernebat, adſcribendum ſit. Quamuis igitur veritatem non diſſimulauerit Chriſtus: nam tali modo locutus eſt, vt Iudæi, ex verbis Chriſti illicò inferrent, quia tu cùm homo ſis, facis te ipſum Deum, tamen eam in dicendo moderationem adhibere pro ſua ſapientia voluit, vt quàm minimum animos Iudæorum læderet, ab expreſſa Diuinitatis ſuæ mentione, quam tantùm oderant Iudæi, abſtinendo.

Smalcij in ſoluẽda quaſtione ruditas. Cùm verò ſimiliter petimus ab Arianis, quare Chriſtus apertè non negauit ſe Deum eſſe, cùm ea re videret vehementer torqueri Iudæos? Reſpondet Smalcius de hac re nullam habitam fuiſſe quæſtionem vnquam, ſed perpetuò, an eſſet Meſſias vel Filius Dei. At iſta Smalcij ruditas & ignorantia eſt. Etenim eam quæſtionem hoc loco expreſſis vrſerũt verbis Iudæi, *quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deũ.*

Cùm verò ait Chriſtum alias millies tacitè negaſſe, ſe eſſe illum vnum Deum, dum docuit ſe Deum habere, ſe eſſe à Deo miſſum, doctum, ſanctificatum, omnia ab eo accepiſſe, præcepta eius ſeruare, dum eum inuocauit, ei ſe commendauit, ea omnia cùm de Chriſto ſecundùm humanam eius naturam exponi poſſint & debeant, *Millies inſulſus & ſtupidus Smalcius.* millies inſulſum & ſtupidum Smalcium indicant, qui ex his, quæ Chriſto, quà homo eſt, conueniunt, ſtultè colligit, Chriſtum non eſſe naturà Deum. Vt enim humanæ naturæ reſpectu, Patrem ſuum Deum dixit, à quo miſſus, ſanctificatus eſt, cuius præcepta ſeruauit, quem inuocauit: ita ſe Patri æqualem in forma Dei probauit, Phil. 2. 6. Ioan: 5. 18, vt vnum naturà cum Deo. Ioan: 10. 30. idq; ita apertè, vt eapropter non ſemel illum interficere Iudæi voluerint:

quòd id

Digitized by Google

quòd id ſine blaſphemia dici non poſſe putarent. neq; tamen Chriſtus vel minimum de ſua aſſertione ceſſit. Tota etiam ſcriptura, eadem omnia Chriſto, quæ Patri tribuit, vt omnium rerum creationē, conſeruationem, & alia, Col: 1. 8. Ioan: 1. 3. Hebræ 1. 10.

Deniq; cùm ait, hoc loco, Chriſtum ſe tacitè negaſſe Deum eſſe, nempe tali modo, qui in hominem non cadat. dum dicit ſe non blaſphemare, quòd dixerit, Filius Dei ſum. Filium enim & Deum eſſe naturà prorſus ſecum pugnant: id verò iam ſatis paulò ante refutatum eſt. Nam his verbis repetit ea Chriſtus, quæ Iudæi illi obijciebant. & negat eſſe blaſphema, quæ ipſi eſſe blaſphema dicebant, nempe hominem eſſe naturà Deum, & naturà Filium Dei. Non igitur alium modum, quo ſit Filius Dei, diuerſum ab eo, quem apprehendebant Iudæi, infert, ſed illum ipſum blaſphemum non eſſe oſtendit. *Refutatur iterum.*

Falſum etiam eſt, pugnare ſecum iſta, eſſe naturà Deum & Dei Filium. non enim repugnat Filium, eſſe eiuſdem naturæ cum Patre. & quamuis Dei natura multiplicari non poſſit, cùm ſit vna numero: tamen vna numero Filio communicari poteſt. quod etſi Smalcius non capiat, capit tamen totus mundus & credit. *Smalcius non capit, quod totus mũdus credit.*

Non repugnat rationi, vnam numero eſſentiam eſſe in pluribus perſonis. CAP: XVIII.

OStendimus in monſtris Arianiſmi, cum ratione non pugnare, vnam numero eſſentiam eſſe in pluribus perſonis, hoc argumento. Id enim quòd nullam contradictionem inuoluit, rationi nō repugnat. Atqui vnam numero eſſentiam eſſe in pluribus perſonis, nullam implicat contradictionem. Non igitur hoc rationi repugnat. Minorem probauimus ex definitione perſonæ. eſt enim perſona ſubſiſtentia incommunicabilis naturæ intellectualis. At non implicat contradictionem, naturam intellectualem ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentijs. ergo pari ratione contradictionem non implicat ſubſiſtere in pluribus perſonis. *Argumentum potens contra Arianos. à definitione perſonæ.*

Hic Smalcius primùm ait eſſe petitionem principij: ſiquidem idem eſſe ait, vnam numero naturam habere plures ſubſtiſtentias, quod plures habere perſonas. Verùm ſi hæc non eſt magna imperitia inſcitiaq; Smalcij, conſequetur, ſemper fore petitionem principij, cùm per definitionem aliquid de definito probatur, & ex conſequenti potiſſima demonſtratio, in qua pro medio ad demonſtrandum aſ- *Smalcij imperitia in obijcienda petitione principij.*

Digitized by Google

dum aſſumitur definitio ſubiecti, ſemper petitionem principij continebit. Diſcat ergo Smalcius, definitione rei cuiuſque eſſentiam & proprietates illuſtrari. Quare cùm perſona per ſubſiſtentiam definiatur, non erit petitio principij, plures perſonas ex pluribus ſubſiſtentijs probare, ſed rei de qua agitur illuſtratio, cùm quod minus notum eſt, ex eo, quod eſt notius comprobatur.

Docetur Smalcius.

Alia imperitia eiuſdē.

Subſtantia dupliciter accipitur.

Illud quoq; ruditatem Smalcij prodit, cùm in definitione perſonæ, ſubſtantiæ nomen pro natura, non pro ſubſiſtentia accipiendum putat: & idcirco ſuperfluum eſſe nomen naturæ, quod in definitione additur, cenſet. Etſi enim nomen ſubſtantiæ pro natura accipi poſſit, tamen cùm in definitione perſonæ ponitur, non pro natura, ſed pro ſubſiſtentia naturæ accipitur, non vt illi reſpondet vox *ουσια*, ſed vt illi reſpondet vox hypoſtaſis: ita vt alij claritatis maioris cauſa pro ſubſtantia nomen ſubſiſtentiæ ſubſtituant, quod ne ignoraret Smalcius, maiori diligentia eum libros Theologorum euoluere oportuit.

Probatio in gratiam Smalcij.

At fortaſſe probationem à nobis deſiderat, eius propoſitionis, qua aſſerimus, nullam implicare contradictionem, eandem numero eſſentiam poſſe plures ſubſiſtentias habere: id etſi per ſe manifeſtum ſit, in gratiam tamen Smalcij facere non grauabor. Aio igitur. Cùm aliqua duo ratione aut definitione à ſe diſtinguuntur, nullam inuolui contradictionem, ſi multiplicato vno aliud non multiplicetur: tunc enim multiplicari & non multiplicari; eſſe vnum & non vnū, quæ videntur eſſe contradictoria, non in vnam rationem (quod ad contradictionem requiritur) ſed in aliam atq; aliam cadit: neque enim contradictoria ſunt, quæ rei vni ſecundum diuerſas rationes tribuuntur, ſed ſolùm cùm ſecundùm eandem prorſus rationem eſſe, & non eſſe, res illa dicitur. Cùm igitur eſſentia & ſubſiſtentia, omnium ſapientum ſententia, ratione & definitione diſtinguantur, veluti res & modus, (eſt enim ſubſiſtentia modus quidam per ſe exiſtendi, eſſentia verò eſt natura ipſa illo modo exiſtens) fit vt nullam contradictionem implicet multiplicari ſubſiſtentias non multiplicata naturâ: & è conuerſo, multiplicari naturas non multiplicata ſubſiſtentia: quorum alterum in Deo fide agnoſcimus, in quo naturâ vna numero tribus diuerſis ſubſiſtentijs ſubſiſtit: alterum in Chriſto, in quo duas naturas, Diuinam ſcilicet & humanam, vna verbi ſubſiſtentia ſubſiſtere pari ratione certa fide credimus.

Eſſentia & ſubſiſtentia quomodo diſtinguuntur.

Nullius

Digitized by Google

Nullius igitur momenti eſt illa, quæ à Smalcio affertur contradictio, cùm ait eodem tempore fore vnicam numero eſſentiam & plures numero eſſentias. Etenim cùm ſubſiſtentia ratione diſtinguatur ab eſſentia, nulla implicatur contradictio, ſi ſubſiſtentiæ multiplicentur, non multiplicata eſſentia. ſiquidem alia ratio eſt, illa, quæ dicitur multiplicari, nempe ſubſiſtentia, alia quæ dicitur non multiplicari, nempe natura. tuncq; ſolùm multiplicari & non multiplicari ſunt contradictoria, cùm circa vnam & eandem rationem verſantur. quare aut ſubſiſtentiam ab eſſentia definitione diſtingui neget Smalcius: aut ſi diſtingui concedat, quod omnis ratio efflagitat, negare non poteſt, poſſe abſq; vlla contradictionis implicatione multiplicari ſubſiſtentias non multiplicata natura; & ex conſequenti nullam inuolui contradictionem, ſi vna numero eſſentia exiſtente, ſint tres ſubſiſtentiæ, atq; adeò tres perſonæ, quæ ſubſiſtentijs definiuntur. neq; ſequetur tres eſſentias fore, ſed tres eſſentiæ ſubſiſtentias. ſiquidem ſubſiſtentia ab eſſentia ratione diſtinguitur. *Contradictio Smalcij nulla.*

Verùm alia argumenta aduerſariorũ expendamus. PRIMVM eſt, cùm perſona non ſit ſecunda ſubſtantia, ſed prima, ſequitur nil aliud perſonam eſſe, quàm indiuiduam ſubſtantiam. primæ enim ſubſtantiæ ſunt indiuidua. non poſſunt igitur multiplicari perſonæ, niſi multiplicetur indiuidua ſubſtantia; neq; fieri poteſt, vt manente vna numero ſubſtantia, multæ ſint perſonæ. SOLVITVR. *Argumenta aduerſariorum. Primum. Diluitur.*

Si perſona eſſet idem formaliter, quod prima ſubſtantia, benè concluderetur non poſſe multiplicari perſonas, manente vna numero natura. alioqui idem ſecundùm idem multiplicaretur & nõ multiplicaretur. At cùm falſum ſit, perſonam eſſe idem formaliter, quod prima ſubſtantia, tota etiam conſecutio argumenti eſt falſa. Etenim ſi formaliter loquamur, perſona non tàm eſt prima ſubſtantia, quàm primæ ſubſtantiæ incommunicabilis ſubſiſtentia. Prima enim ſubſtantia eſt natura indiuidua: perſona verò formaliter, eſt naturæ indiuiduæ ſubſiſtentia, & primam ſubſtantiam eſſe perſonam, eſt eſſe ſubſiſtentem incommunicabiliter. Ex quo fit, vt in vna numero natura poſſint eſſe plures perſonæ: quia poſſunt eſſe plures ſubſiſtentiæ incommunicabiles. quamuis autem negemus perſonam, formaliter acceptam, eſſe primam ſubſtantiam, materialiter tamen concedimus: cùm illa natura, quæ eſſe debet perſona, debet proculdubio eſſe indiuidua. nihil enim ſubſiſtit in rerum natura, niſi indiuiduum. Verùm non per hoc eſt natu-

ra illa perſona, per quod eſt indiuidua: eſtenim perſona per hoc quod ſubſiſtit incommunicabiliter: eſt verò indiuidua per hoc, quia in plures naturas diuidi non poteſt. Sicut igitur ſubſiſtentia à natura, ratione & definitione diſtinguitur: ita & perſonam diſtingui à natura indiuidua neceſſe eſt, neq; multiplicato vno, aliud multiplicari opus eſt, cùm habeant rationes diſtinctas.

Smalciana dicta ſoluuntur.
Primum.

Aduerſus hanc doctrinam multa Smalcius affert, quæ, quàm ſit in libris Theologorum hoſpes & peregrinus liquidè demonſtrant. Ait igitur, omnẽ ſubſtantiam neceſſe eſt, eſſe primam vel ſecundam; perſona igitur cùm nõ ſit ſecunda ſubſtantia, neceſſe eſt, vt ſit prima. Reſpondeo. illam diuiſionem ſubſtantiæ in primam & ſecundam, eſſe diuiſionem naturæ & eſſentiæ. quod vel ex Græco vocabulo patet. ὀσιαν enim, quæ eſſentiam ſignificat, diuiſit Ariſtoteles in primam & ſecundam eſſentiam. Cùm igitur perſona formaliter nõ ſit ὀσια ſeu eſſentia, ſed της ὀσιας, ſeu eſſentiæ ſubſiſtentia, non eſt neceſſe, vt formaliter ſit vel prima, vel ſecunda ſubſtantia. licet naturaliter ad primam ſubſtantiam ſpectet: cùm non ſecundæ ſed primæ ſubſtantiæ ſubſiſtant incommunicabiliter. Neq; verò ſequitur, ſi perſona materialiter ſit idem, quod ſubſtantia indiuidua, non poſſe multiplicari perſonas, niſi multiplicetur natura indiuidua. Etſi enim materialiter ſint idem, formaliter tamen non ſunt idem; poteſtq; eſſe multiplicatio rationis formalis ſine multiplicatione materialis: cùm hæ rationes ſint diſtinctæ: ac ex conſequenti multiplicatio vnius, non eſt multiplicatio alterius.

Secundum.

Ait ſecundò Smalcius, idem eſſe naturam indiuiduam, & naturam ſubſiſtentem incommunicabiliter. quæ enim eſt inquit, natura indiuidua, quæ non ſubſiſtat incommunicabiliter? aut quid eſt hoc ſubſiſtens, quod non ſit hæc numero natura? quæ item eſt ſubſtantia in plures naturas indiuiſibilis, quæ non ſit incommunicabilis? eo enim ipſo, quo incommunicabilis eſt, eſt etiam indiuiſibilis; & quo indiuiſibilis, eſt etiam incommunicabilis.

Soluitur.
Smalcius ignarus Metaphyſices.

Hæc tota argumentatio Smalcij in ignorantia Metaphyſicæ fundatur. clarè enim docent Metaphyſici, aliud eſſe, naturam eſſe indiuiduam, aliud ſubſiſtentem incommunicabiliter. eſt enim natura indiuidua, quæ in plures naturas diuidi non poteſt, cùm ſit vna numero natura. Nam genera & ſpecies ſunt tales naturæ, quæ in plures naturas diuidi poſſunt: natura ſiquidem generica diuiditur in plures

naturas

Digitized by Google

naturas ſpecificas (animal v. g. in hominem & brutum) natura etiã ſpecifica in plures naturas indiuiduas, (homo v. g. in multos numero homines) natura verò indiuidua non poteſt amplius in plures naturas diuidi, cùm ſit vna numero. Porrò naturam in ſubſiſtendo, incommunicabilem & indiuiſibilem volunt eſſe illam, quæ ita per ſe ſubſiſtit, vt alteri ad ſubſiſtendum communicari non poſſit, nec alterius ſubſiſtentia ſubſiſtere. qua ratione anima rationalis, etſi ſit natura indiuidua, non eſt tamen incommunicabilis; communicari enim poteſt homini ad ſubſiſtendum, vt hominis ſubſiſtentia ſubſiſtat: & idcirco non dicitur eſſe perſona, quia non eſt incommunicabiliter ſubſiſtens.

Quare cùm quærit Smalcius, quænam ſit natura indiuidua, quæ non ſubſiſtat incommunicabiliter? reſpondemus, animæ rationalis eſſe talem naturam, quæ indiuidua eſt, & tamen non ſubſiſtit incõmunicabiliter. communicatur enim homini ad ſubſiſtendum. Notum enim eſt apud Philoſophos, partes in toto totius ſubſiſtentia ſubſiſtere. Similiter omnes partes cuiuſcunq; compoſiti ſunt naturæ indiuiduæ, quæ tamen non ſunt incommunicabiliter ſubſiſtentes, cùm toti, quod cõponunt, cõmunicentur, & totius ſubſiſtentia ſubſiſtant. *Quæſtionibus Smalcij ſatisfit.* *1.* *Anima rationalis eſt naturá indiuidua: tamẽ non ſubſiſtit in cõmunicabiliter.*

Cùm iterum quærit, quid ſit hoc ſubſiſtens, quod non ſit hæc numero natura? reſpondemus, in rebus quidem naturalibus hoc ſubſiſtens, eſſe ſimul hanc numero naturam, non formaliter ſed concomitanter: per Dei tamen abſolutam potentiam non repugnat hoc numero ſubſiſtens, in alia quoq; numero natura ſubſiſtere. cùm enim iſta ſint diſtincta, non implicat contradictionem, vno multiplicato, aliud non multiplicari, idq; omnes Catholici credunt in Chriſto, nempe vnum numero ſubſiſtens, vnamq; numero perſonam in duabus numero naturis, Diuina ſcilicet & humana ſubſiſtere. Similiter etſi in rebus naturalibus hæc numero natura, ſit quoq; hoc numero ſubſiſtens: Diuina tamen poteſtate oppoſitum fieri nullam implicat contradictionem: idq; de Deo noſtro credimus, quòd vna numero natura tribus numero diſtinctis ſubſiſtat; & vnus numero Deus ſubſiſtat in tribus numero perſonis: cùm enim ſubſiſtentia & natura ſint ratione diſtincta, non implicat contradictionem vnum multiplicari non multiplicato alio, hoc eſt multiplicari naturam non multiplicatis perſonis; & è conuerſo, multiplicari perſonas, non multiplicata natura. aliud enim multiplicari naturas, aliud ſubſiſtentias. *2.*

8. Similiter cùm quærit, quæ ſit ſubſtantia in plures naturas indiuiſibilis, quæ non ſit incommunicabilis: dicimus animam rationalē eſſe huiuſmodi, & omnes naturæ cuiuſq; partes: ita vt idcirco turpiter erret Smalcius, cùm infert, naturam eo eſſe indiuiduam, quo ſubſiſtit incommunicabiliter.

Tertiū Smalcij dictum. Ait tertiò Smalcius, ſubſiſtere incommunicabiliter non eſſe id, quod perſonam conſtituit: alioqui omne illud eſſet perſona, quod incommunicabiliter ſubſiſtit. Nam non ſolùm intellectu carentia, ſed ſenſu quoq; omni deſtituta incommunicabiliter ſubſiſtunt: quæ tamen perſonæ non dicuntur. At fruſtra rem inuoluit Smalcius, cū ſatis ex definitione perſonæ à nobis allata conſtet, non quamcunque ſubſiſtentiam incommunicabilem perſonam conſtituere, ſed eam tantùm, quæ eſt naturæ intellectualis: non igitur ſubſiſtentiæ incommunicabiles naturarum intellectu carentium ſunt perſonæ, ſed eæ ſolùm quæ conueniunt naturis intelligentibus.

Smalciana definitio perſonæ vitioſa. Affert deniq; definitionem aliam perſonæ, vt perſona ſit indiuidua eſſentia intelligens. Aio hanc definitionem eſſe vitioſam, 1. *Quia cōpetit alijs à definito.* primùm quòd etiam ijs, quæ perſonæ nōn ſunt, competit. quod maximum eſt definitionis vitium. Anima enim rationalis eſt indiuidua eſſentia intelligens: neq; tamen eſt perſona. alioqui homo, qui ex anima rationali & corpore compoſitus eſt, diceretur ex perſona com-
2. poni, quod omnem rationem perſonæ euertit. Deinde quia pro ſubſtantia eſſentiam contra omnem Doctorum auctoritatem ſubſtituit.
3. Tandem, quia id omittit in quo præcipuè ratio perſonæ poſita eſt, & ſine quo perſona conſiſtere non poteſt, nempe incommunicabilem naturæ intellectualis ſubſiſtentiam. Satis enim oſtenſum eſt, aliud eſſe, naturam eſſe indiuiduam, aliud incommunicabiliter ſubſiſtentem; vt in exemplo animæ rationalis per ſe manifeſtum eſt. Et licet natura indiuiſibilis in plures naturas, ſit quoq; incommunicabilis pluribus naturis, non tamen ex eo ſequitur eſſe incommunicabilem ad ſubſiſtendum. anima enim rationalis indiuidua, eſt incommunicabilis pluribus animabus, & tamen non eſt incommunicabilis homini, cuius eſt pars, & cuius ſubſiſtentia ſubſiſtit.

Smalcij arrogātia & temeritas. Non poſſum autem non notare magnam Smalcij, vel arrogantiam, vel temeritatem, quòd reiecta perſonæ definitione à doctis & ſapientibus viris vſurpata, ſuam nobis malè materiatam obtendat, cùm non cuiuſuis ſit definitiones condere, aut conditas iam & vſitatas reijcere.

Pergit

Digitized by Google

Pergit Smalcius, pueris in Scholis notum eſſe, aliud eſſe ſubſi-ſtentiam, aliud perſonam: eſt enim ſubſiſtentia, quæ non ſit perſo-na. nimis certè acutos pueros, eſſe oportet, qui priuſquam gramma-ticam norint, quid inter ſubſiſtentiam & perſonam interſit, digno-ſcunt. Atqui quis credat pueros id noſſe, quod vel ipſe Smalcius, Do-ctor alioqui tantus, quantus ſibi videtur, ignorat: aut ſi à pueris di-dicit aliud eſſe ſubſiſtentiam, aliud perſonam, meritò ea doctrina tã-quam puerilis à doctis viris reijcienda eſt. quippe communi & decla-matæ definitioni Perſonæ contraria. Nam cùm ait eſſe ſubſiſtentiam, quæ non ſit perſona, vt in brutis, id iam ſatis refutatum eſt, cùm non quæcunq; ſubſiſtentia, ſed ſolùm illa, quæ eſt naturæ intellectualis, dici debeat perſona, vt ex definitione apud omnes Sapientes, celebri & peruulgata perſpicuum eſt. *Quartũ dictum Smalcij.*

Ex quibus ſatis liquet, contradictionem illam, quam nobis op-ponit Smalcius, eſſe vanam, atq; adeò nullam. ait enim, ſi vna nume-ro natura exiſtente multiplicentur perſonæ, fore naturam ſimul indi-uiduam & non indiuiduam, vnam numero & non vnam. quam nos non contradictionem ſed ignorantiam iudicamus. Etenim lex con-tradictionis eſt, vt ſecundùm eandem rationem res eſſe & non eſſe di-catur. At ſi multiplicentur perſonæ, vna numero naturâ exiſtente, ſecundùm aliud natura dicetur vna, ſecundùm aliud multiplex. vna ſecundùm eſſentiam indiuiſibilem in plures naturas; non vna ſecun-dùm naturæ ſubſiſtentiam, in quo propria ratio perſonæ poſita eſt. Non igitur in eo vlla contradictio inuoluitur. Quam reſponſionem noſtram bellam fore Smalcius affirmat, ſi conſtet ſubſiſtentiam eſſe quid à natura diſtinctum. quod cùm ſatis à nobis iam demonſtratum ſit & ratione & exemplis, iudice Smalcio palmam obtinuimus. nem-pe Arianos, eo, quod tantopere vrgent, argumento, oſtendere non poſſe, aliquam contradictionem implicari, ſi dicatur vna numero eſſentia in tribus perſonis & ſubſiſtentijs. *Cõtradictio alia à Smalcio oppoſita euaneſcit.*

SECVNDVM argumentum. Subſtantia prima non eſt in ſub-iecto, neq; dicitur de ſubiecto, teſte Ariſtotele, in prædicamento ſub-ſtantiæ. At ſi vna numero eſſentia eſſet communis multis perſonis, ineſſet multis ſubiectis, & diceretur de multis ſubiectis. SOLVITVR. *Secundum argumentũ aduerſariorum contra fidem Catholicam.*

Subſtantia dicitur ab Ariſtotele non eſſe in ſubiecto, quia non eſt in alio tanquam in ſubiecto inhæſionis per modum accidentis. neq; enim repugnat ſubſtantiæ eſſe in alio alijs modis, ſed ſolùm eo *Diluitur.*

 modo quo

Digitized by Google

modo quo accidens eſt in ſubiecto. Nam & ſecunda ſubſtantia ſecundùm Ariſtotelem, non eſt in ſubiecto. & tamen verum eſt genera eſſe in ſpeciebus, ſpecies in indiuiduis. Pari ergo ratione, ſi vna numero ſit in pluribus perſonis, non erit in illis tanquam in ſubiecto, neq; per modum accidentis, vt per ſe manifeſtum eſt. quare talis exiſtentia in perſonis non repugnat ſubſtantiæ.

Dicitur etiam ab Ariſtotele, prima ſubſtantia non dici de ſubiecto: quia non ſupponit aliam naturam ſubiectam vel inferiorem, de qua dicatur ſecundùm nomen & rationem: Sicut enim ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur de primis tanquam de ſubiecto: quia primæ ſubſtātiæ ſunt ſubiectæ ſecundis: ita primæ ſubſtantiæ de nullo ſubiecto dicuntur, quia nullam habent naturam ſibi ſubiectam, de qua dicantur. Hoc igitur modo, ſi vna numero natura ſit in multis perſonis, non dicetur de illis tanquam de ſubiecto: quia perſona non eſt alia quæpiam natura ſubiecta naturæ indiuiduæ, ſed eſt natura ipſa indiuidua, quatenus eſt ſubſiſtens incommunicabiliter, eritq; hæc prædicatio naturæ indiuiduæ de ſeipſa vt ſubſiſtente, non verò de aliqua alia natura ſibi ſubiecta.

Ineptia Smalcij. Ex quo apparet inepta Smalcij argumentatio, cùm ait, ſi plures perſonæ ſint in vna natura indiuidua, fore vt prima ſubſtantia ſit in alia tanquam in ſubiecto. eſt enim inquit, perſona prima ſubſtantia. Etenim oſtenſum eſt non omnem inexiſtentiam repugnare ſubſtātiæ, ſed tantùm inexiſtentiam in ſubiecto per modum inhæſionis, quod eſt ſubiectum ſuſtentans, neq; ex omni inexiſtentia licet inferre inexiſtentiam in ſubiecto: in vtroq; autem labitur Smalcius.

Tertium. TERTIVM argumentum. demonſtrata hac numero eſſentia, demōſtratur perſona. ergo idē eſt, hæc numero eſſētia, quod perſona.

Diluitur. Soluitur negando conſequentiam: non enim ſi demonſtrato vno, demonſtretur & aliud, ſequitur illa duo eſſe vnum. ſatis enim eſt, ſi coniuncta ſint ſimul. Sic demonſtrato corpore, demonſtro conſequenter & animam: non tamen corpus & anima ſunt vnum, ſed ſimul exiſtunt. Cùm igitur hanc numero eſſentiam, neceſſarium ſit etiam ſubſiſtere in aliqua perſona, fit vt demonſtrata hac numero eſſentia, demonſtretur conſequenter perſona. Ex quo non licet inferre, hanc numero eſſentiam eſſe perſonam formaliter: ſatis enim eſt, quòd ſit perſona concomitanter & conſequenter. Non eſt igitur extra rem, vt inſulsè obijcit Smalcius, dicere perſonam & naturam indiuidu-

Digitized by Google

indiuiduam, non eſſe vnum formaliter, & alio reſpectu naturam eſſe indiuiduam, alio perſonam. ex eo enim ſequitur, non niſi conſequenter demonſtrato vno, demonſtrari aliud, non autem formaliter.

QVARTVM argumentum. Cùm dicimus hoc numero, excludimus plura numero. ergo & cùm dicimus hanc numero eſſentiam, excludimus plura numero ac proinde plures perſonas: quia perſonæ ſunt plura numero. non poterit igitur vna numero eſſentia eſſe in pluribus perſonis. Reſpondeo, argumentum totum æquiuocatione vitioſum eſſe. numerus enim & vnitas, poteſt ſpectari tum in eſſentia, tum in ſubſiſtentijs: & ſicùt eſſentia & ſubſiſtentia non ſunt idē, ita nec vnitas aut numerus eſſentiarum, eſt idem cum vnitate & numero ſubſiſtentiarum. Cùm igitur dicimus hoc numero, intelligendo de eſſentia, excludimus plura numero, non quæcunq; ſed plura numero ſecundùm eſſentiam. vnitati enim eſſentiæ pluralitas in eſſentia opponitur, & ex conſequenti per vnitatem numericam eſſentiæ excluditur. Non igitur vnitas numerica eſſentiæ pluralitatem ſubſiſtentiarum & perſonarum excludit, ſed vnitas eſſentiæ pluribus eſſentijs opponitur: vnitas ſubſiſtentiæ pluribus ſubſiſtentijs & perſonis. Hæc Smalcius vel non intellexit, vel ſe non intelligere ſimulauit. Quorſum enim tot quæſita impertinentia? *Quartum.* *Soluitur.* *Æquiuocatione laborat Smalcius.*

Anne inquit, ſubſiſtentiæ non ſunt plura numero? Rectè quidem, ſed non illa plura numero, quæ vni numero naturæ opponuntur: alia enim ſunt plura numero, quæ vni numero naturæ opponuntur: alia quæ opponuntur vni numero perſonæ: illa ſunt plura naturâ: hæc ſunt plura ſubſiſtentijs. per ſe enim clarum eſt, ſubſiſtentias non omni ratione, nec in omni genere eſſe plura numero, ſed tantùm in certo & determinato genere, nempe in genere ſubſiſtentiæ, hoc eſt plures numero ſubſiſtentias; neq; ſequitur ſi ſint plures numero ſubſiſtentiæ, eſſe quoq; plures numero naturas: cùm ſubſiſtentia & naturâ ratione & definitione differant, vt modus & res: eſt enim ſubſiſtentia modus naturæ: & tranſcenditur de genere in genus, cùm ex vna pluralitate infertur altera, hoc eſt ex pluralitate ſubſiſtentiarum pluralitas naturarum. Conſtat enim has pluralitates eſſe diuerſas; ſicut & res, quibus hæ pluralitates conueniunt, ſunt diuerſæ. Subſiſtētiæ igitur ſunt plura numero, id eſt plures numero ſubſiſtentiæ: non ſunt autē plura numero, id eſt plures numero naturæ. *Quæſita Smalcij impertinentia. 1.*

Si inquit, hæc numero eſſentia pluribus perſonis competit, non

 eſt vna

eſt vna numero. Indiuiduum enim de vno ſolùm prædicatur. At ſupra oſtenſum eſt, vnum numero pluribus competere poſſe: quod etiam exemplo animæ rationalis planum fit, quæ vna numero eſt in diuerſis numero membris.

Cùm verò ait, indiuiduum de vno ſolo prædicari. Reſpondendum eſt, Indiuiduum ſicut eſt vnum in natura, ita de vno numero in natura prædicari poſſe. At quia non repugnat id, quod eſt vnum naturâ, eſſe multiplex ſubſiſtentia, idcirco etiam non repugnabit, vnum numero indiuiduum de pluribus numero perſonis, quæ plures ſunt ſolùm ſecundùm ſubſiſtentiam, non ſecundùm naturam prædicari. Cùm enim, vt dictum eſt, natura & ſubſiſtentia ſint diuerſa, vnitati numericæ naturæ non opponitur multitudo numerica ſubſiſtentiarum, ſed naturarum duntaxat: neq; ex hoc quòd ſunt multæ numero ſubſiſtentiæ, ſequitur, vt dictum eſt, eſſe multas naturas numero. quare non repugnat indiuiduum, quod eſt vnum numero naturâ, de pluribus perſonis & ſubſiſtentijs prędicari, ſed ſolùm de pluribus naturis. alia enim eſt vnitas numerica naturæ: alia ſubſiſtẽtiæ.

Cùm igitur indiuiduum dicitur de vno ſolo prædicari, intelligendum eſt, de vno ſecundùm naturam. idcirco enim dicitur indiuiduum, quia eſt in plures naturas indiuiſibile. hic homo v. g. de vno ſolo homine, non de multis hominibus prædicari poteſt. Quòd ſi hic homo, haberet plures numero ſubſiſtentias, poſſet quidem dici de pluribus numero ſubſiſtentibus, non verò de pluribus numero hominibus. illi enim plures numero ſubſiſtentes, eſſent vnus numero homo. Quare hic homo quatenus indiuiduum eſt, requirit vt de vno numero homine, non de pluribus numero hominibus prædicetur. Cùm hoc tamen ſtat, quòd ſi vnius hominis eſſent plures numero ſubſiſtentiæ (ſicut de Deo fide Catholica credimus) poſſet hic homo, ſalua ſua vnitate numerica, de pluribus numero perſonis, hoc eſt de pluribus numero ſubſiſtentibus prædicari; Nam & in naturâ eſſet vnum numero, & in perſonis ac ſubſiſtentijs multiplex numero. quæ non ſunt contradictoria, cùm ſecundùm diuerſas rationes ſpectentur. Et ſicut non repugnat vnum numero accidens, ſalua ſua vnitate numerica communicari pluribus numero ſubiectis: ſiquidẽ ſecundùm diuerſas rationes eſſet vnum & non vnum; vnum quidem ſecundùm naturam, non vnum ſecundùm ſubiecta: ita & de vna numero naturâ, reſpectu plurium perſonarum exiſtimandum eſt.

Pergit

Digitized by Google

Pergit Smalcius. Hæc numero eſſentia excludit plures numero eſſentias. Cùm igitur perſona ſit hæc numero eſſentia, ſequitur vnam numero eſſentiam excludere plures numero perſonas. ſed vehementer errat. Non enim perſona formaliter loquendo, eſt hæc numero eſſentia, ſed huius numero eſſentiæ ſubſiſtentia: diuerſa enim cùm ſit ratio eſſentiæ & ſubſiſtentiæ, eſſe quoq; numericum vtriuſq; diuerſum erit. 4. *Smalcius labitur iterũ.*

Similiter labitur cùm ait, hoc numero excludere plura numero. Si enim putat, hoc numero excludere omnia plura numero, errat proculdubio. non enim hoc numero excludit plura numero, ſecundùm aliam omnem rationem, ſed ſolùm plura numero ſecundùm illam vnicam & eandem rationem. Natura igitur cùm ſit hoc numero ſecundùm eſſentiam, nõ excludit plura numero ſecundùm ſubſiſtentiam, ſed tantùm plura numero ſecundùm eſſentiam: quare nec excludit plures numero perſonas. eæ ſiquidem ſunt plures ſecundùm ſubſiſtentiam, non ſecundùm eſſentiam, *iterumq; labitur.*

QVINTVM argumentum. Non poteſt fieri, vt hic homo, nempe Socrates, ſit alius à Socrate diſtinctus. ergo non poteſt fieri, vt in vna numero eſſentia ſint plures perſonæ. *Quintũ Arianorũ argumentum ſeu potius æquiuocatio.*

SOLVITVR. æquiuocatio eſt in voce alius. nam ſi vox alius referatur ad hominem, ſic verum eſt non poſſe fieri hunc hominem, vt hic homo eſt, nempe Socrates, ſit alius homo. id enim contradictionem implicat. Si enim hic homo ſit alius homo, non erit hic homo, ſed alius ab hoc homine. Si verò referatur vox, alius, ad ſubſiſtentiam vel perſonam, ſenſus erit hunc hominem eſſe quoq; aliud ſubſiſtens & aliam perſonam. hoc verò non implicare contradictionem ex eo patet. quòd hic homo ſecundùm aliam rationem diceretur hic homo, ſecundùm aliam alius. Nam hic homo diceretur, propter hanc numero naturam. alius verò diceretur propter aliam in eadem naturâ ſubſiſtentiam. Quare Socrates non poteſt quidem eſſe alius homo à Socrate diſtinctus: poteſt tamen per abſolutam Dei potentiam, eſſe alia perſona & aliud ſubſiſtens. Sicut hic Deus non ſolùm eſt Pater, ſed & Filius. quæ verò hic adſcribit Smalcius, tam futilia ſunt, vt ea non ſolùm refellere, ſed & referre pudeat. *Diſſoluitur.*

SEXTVM argumentum. Si Filius ſit vnus Deus cum Patre, conſequitur Filium eſſe Patrem. SOLVITVR. *Sextum. Reijcitur.*

Cùm in Deo Patre ſit eſſentia & ſubſiſtentia, nullo modo ſequitur,

quitur, ſi Filius ſit vnus cum Patre eſſentia, ſit etiam vnus ſubſiſtentia, ac ex conſequenti perſona. Etenim cùm eſſentia & ſubſiſtentia ſint diuerſa, & diſtinctas rationes ac definitiones habeant, non ſequitur ex vnitate eſſentiæ vnitas ſubſiſtentiarum & perſonarum.

Smalcij nouus inſult9. Hic miratur Smalcius, nos diſcrimen inter ſubſiſtentiam & eſſentiam indiuiduam facere, conaturq; nouo argumento oſtendere ſubſiſtentiam nihil eſſe aliud, quàm eſſentiam indiuiduam. Subſiſtentia inquit, neceſſe eſt ad prædicamentum ſubſtantiæ referri, ac ex conſequenti vel ad ſecundam, vel ad primam ſubſtantiam. cùm igitur ſecunda ſubſtantia eſſe non poſſit, prima ſit neceſſe eſt. Porro cùm prima ſubſtantia ſit eſſentia indiuidua, ſubſiſtentia quoq; erit eſſentia indiuidua. *Reprimitur Quomodo ſubſiſtentiā ad prædicamentum referatur?* Verùm iterum ignorantiam ſuam prodit Smalcius; ea enim quæ per ſe ponuntur in prædicamentis, ſunt naturæ & eſſentiæ rerum genericæ, ſpecificæ, numericæ, modi verò, differentiæ, partes non per ſe ponuntur in prædicamentis ſed reductiuè, vt omnes norunt, qui Logicam vel primis labris deguſtàrunt. Cùm igitur ſubſiſtentia non ſit eſſentia, ſed modus quidam eſſentiæ indiuiduæ, quo eſſentia indiuidua ſubſiſtere dicitur, non eſt neceſſe, vt ſit vel prima vel ſecunda eſſentia, ſed ſatis eſt, quòd ſit primæ eſſentiæ modus. *Quantꝰ Philoſophus Smalcius?* Neq; id quiſpiam, niſi expers & ignarus Philoſophiæ in dubium vocare poteſt. qualem ſe eſſe in toto hoc capite oſtendit Smalcius, cùm contradictiones probare volens, æquiuocationes manifeſtas pro contradictionibus ſubſtituit, vt quid ſit contradictio, quæue contradictionis leges ignoraſſe prorſus videatur.

Iam verò cùm Ariani hucuſq; nullam contradictionem oſtendere potuerint, in eo quod dicimus vnam numero eſſentiam eſſe in multis perſonis, facile quiſq; perſpiciet, quàm debile ſuæ fidei fundamentum habeant. *Ariani temerarij & blaſphemi in Chriſtū meritò cenſendi.* Idcirco enim ſcripturas de Chriſto vero Deo, ad alios ſenſus improprios & violentos detorquent, quòd contradictionem inuolui exiſtiment, ſi Chriſtus vnus naturà cum Patre ſtatuatur. quam contradictionem cùm hactenus probare non potuerint, temerarij planè & in Chriſtum blaſphemi cenſendi ſunt, cùm ob inanes ratiunculas ſcripturis vim faciunt, & communi Eccleſiæ & Catholicorum ſenſui ſine vllo ſolido fundamento aduerſantur.

De Erro-

Digitized by Google

DE ERRORIBVS Nouorum Arianorum.

LIBER SECVNDVS.

IN hunc librum eos præcipuè errores referemus, qui circa Chriſti Diuinitatem, dominium, poteſtatemq; verſantur. Et verò toti ſunt in eo Ariani, vt Chriſto Diuinitatem partim auferant; partim mutilam & imperfectam reddant. Auferunt enim Diuinam eius naturam, eumq; de ſummo ad imum per ſummum ſcelus & impietatem deijciunt, hoc eſt ab altiſſimo Diuinitatis gradu ad participatam quandam Diuinitatem. Cùm verò in poteſtate totam Chriſti Diuinitatem collocant, eam ita fuiſſe imperfectam docent, vt Chriſtum toto vitæ ſuæ tempore perfectè Deum ac Dominum fuiſſe negent: ex quo ſequitur ſemideum potiùs ſemidominumq; fuiſſe. Oderunt quidem has voces Ariani, at meliores tam craſſus error haud meretur. Conueniunt enim rebus nomina quæq; ſuis. Rem enim imperfectam ſemitalem appellare, nulla iniuria eſt. Odiſſent potiùs errorem, quo Chriſtum imperfectum Deum, & Dominum imperfectum eſſe volunt. Eo enim admiſſo, qui voces eius proprias renuere, niſi proteruè & inſipienter poſſunt? Imperfectus enim Deus, ſemideus: & imperfectus Dominus, ſemidominus meritò dici debet. Quòd ſi talia portenta verborum horrent, horreant etiam errorem ſuum; & ex vocibus quas piæ aures ferre non poſſunt, aliquando tandem miſeri agnoſcant, quàm abſurda; & impia ſint, quæ de Chriſti Diuinitate Dominioq; ſentiunt.

Chriſtus Arianis ſemideus & ſemidominꝰ.

Fucus verò eſt, quem facit Smalcius, cùm ait ſe Chriſtum pro integro Deo ac Domino habere. qui enim integer Deus ac Dominus dici poteſt ſine integra Diuinitate & poteſtate? Eam verò iſti, non integram, ſed diminutam toto vitæ Chriſti tẽpore fuiſſe aiunt. Atq; ita rem ſe habere pleniùs capita ſequentia demonſtrabũt.

Perperam Ariani Chriſti Diuinitatem poteſtate definiunt. CAPVT I.

SAtis præcedenti libro demonſtratum eſt, Dei nomen eſſe naturæ non poteſtatis, nec vlli, qui natura Diuina careat, tribui propriè poſſe, niſi ſimilitudine & participatione aliqua: ex eoq; conſequi, ſi Chriſtus naturam Diuinam non habeat, neque Deum verum eſſe:

Sine diuina natura Chriſtus verꝰ Deus non eſt.

neq; vero Diuino cultu dignum: in quæ abſurda neceſſariò impingere Arianos abundè docuimus. Chriſti enim Diuinitatem non natura ſed poteſtate definiunt; poteſtate verò non omni, ſed ea duntaxat, quæ ad nos regendos & ſaluandos requiritur. Quaſi verò poteſtas à natura Diuina abiuncta, verum Deum facere poſſit. Etenim, quod in cæteris quoq; rebus cernimus, non proprietas ſed natura rem vnāquamq; verè talem efficit: ſi enim adſint proprietates duntaxat, ſine ipſa rei natura, nullo modo res illa vera erit, ſed ſimilitudo tantùm & participatio quædam veræ rei. Sic aurum chimicum, quòd auri proprietates tantùm aliquas abſq; auri natura habet, non dicitur aurum verum, ſed auri ſimilitudo. Cùm ergo poteſtas ſit, veluti quædam Dei proprietas, eius ſola communicatio abſque naturæ Diuinæ communicatione verum Deum non efficiet, iſque, qui poteſtate tali præditus eſſet, ſolùm ſecundùm quandam imperfectam participationem, eamq; accidentalem, non eſſentialem, dici Deus poſſet. Deinde quemadmodum ſolius naturæ Diuinæ reſpectu Deus, eſt verus Deus: ita qui naturam Dei non habet, ſed poteſtatem duntaxat, dici ver⁹ De⁹ nō poteſt. Res enim vnaquæq; à natura ſua dicitur verè talis.

1. *Poteſtas abſque natura Deum verū non facit.*

2.

Accedit quòd in ſcriptura, Deus verus, vnus tantùm eſſe dicitur. quod, ſi naturæ Diuinæ reſpectu intelligatur, ipſa veritas eſt. Etenim natura Diuina, vna numero eſt, nec eſſe multiplex vllo modo poteſt. At ſi poteſtatem ſpectemus, non erit verum. Nam poteſtas Diuina multiplex eſt, multiſq; communicari poteſt. Quocirca ſi in poteſtate vera Diuinitas conſtituta eſſet, non vnus tantummodò Deus verus eſſet, ſed multi: cùm tamen ſcriptura nunquam nobis multos Deos veros, ſed vnum tantùm proponat. Præterea verus Deus eſt is, qui coli pro Deo debet; atqui ſola poteſtas minimè efficit, vt quis Diuino cultu ſit dignus. non igitur poteſt facere verum Deum. Minor probatur exemplo hominum & Angelorum, qui quantauis poteſtate Diuina ſint præditi, Diuinum cultum tamen minimè merentur. vti ſupra deductum à nobis eſt. patet idem in ipſo Deo, cuius poteſtas idcirco Diuinum cultum meretur, quia eſt idem quod Deus; vt ſi, (quod eſt impoſſibile) natura Diuina careret Deus, quantauis intelligeretur poteſtate præditus, nec verus Deus eſſet; nec honore Diuino dignus, quia non eſſet natura omnium excellentiſſima, propter quam præcipuè colitur Deus.

3. *Ratione poteſtatis Deus non dicitur Vnus.*

4. *Ex cultu Diuino.*

Iam ſi penitiùs inquiramus, qualis ſit iſta poteſtas, in qua ab

Aduerſa-

Digitized by Google

Aduerſarijs Diuinitas Chriſti conſtituitur, liquidò apparebit, non in ſola poteſtate ſed in natura, Chriſti Diuinitatem poſitam eſſe. Inprimis igitur quæro ab Aduerſarijs, cùm Diuina poteſtas ſit multiplex, quænam præcipuè ſit illa, in qua Chriſti Diuinitatē collocant? Reſpondent, poteſtatem illam regendi nos & ſaluandi, Chriſtum & verum Deum facere, & Diuino cultu dignum. quia nimirum ea poteſtas eſt & Deo propria, (Dei enim proprium eſt nos regere & ſaluare) & Chriſto ita conuenit, vt ipſi Deo. Sed expēdam° hæc ſingula.

In quanam poteſtate diuinitatem Chriſti collocant Ariani.

Si poteſtas ſaluandi, quia Deo eſt propria, Chriſtum verum Deum facit, ergo & omnis alia poteſtas ſupernaturalis, cùm ſit Deo propria, verum Deum faciet. Ea enim, quæ ſupra naturam ſunt, facere ſolius Dei proprium eſt, non minus quam nos regere & ſaluare Cùm igitur hominibus & Angelis Deus ſæpenumero poteſtatem ſuam ſupernaturalem communicet: conſequens eſt homines quoq; & Angelos veros Deos eſſe, & Diuino honore dignos: ſiquidem non minus quàm Chriſtus Dei ſolius propriam poteſtatem participant: aut ſi illi propterea nec ſunt veri Dij, nec Diuino honore digni, idem de Chriſto quoq; dici debebit. Si dicant Chriſti poteſtatem eſſe longè maiorem poteſtate hominum & Angelorum, dicam & ego cultum Diuinum Chriſti eſſe multò maiorem, cultu aliorum hominum & Angelorum, non verò homines & Angelos nullum Diuinum cultum promereri, cùm verè Diuinam, hoc eſt quæ ſoli Deo propria eſt, poteſtatem participent. A poteſtate enim Diuina abſolutè Dij dicuntur; à tanta vel tanta poteſtate maiores vel minores Dij, quod cùm concedere non audeant Ariani, manifeſtè oſtendunt, hanc rationem Diuinitatis non eſſe eiuſmodi, vt propter eam Chriſtus pro Deo haberi & coli poſſit. Deinde iudices in ſcriptura Dij appellantur, non propter aliquam ſupernaturalem poteſtatem, ſed propter poteſtatem iudicandi à Deo deriuatam, (omnis enim poteſtas à Deo eſt, Rom:14.) qua etiam Deum repræſentant. Moyſes quoq; conſtitutus eſt Deus Pharaonis propter poteſtatem miraculorum, qua Deum referebat. Neutri tamen, etſi Dij appellentur, pro veris Dijs habendi proponuntur, nec Diuino cultu afficiendi, ſolùm ex eo, quòd eiuſmodi Diuinitas in ſimilitudine poteſtatis Diuinæ conſiſtens, ſufficiens non ſit ad hoc, vt quis pro vero Deo colatur.

Illud etiam, quod ſecundo loco dicitur, eam poteſtatem ita Chriſto conuenire, vt ipſi Deo, ſi id de poteſtate regendi nos & ſal-

An poteſtas ſaluadi, Chriſto aquè &

Deo conue-niat. uandi, quæ Chriſto, vt homo eſt, competit, intelligatur, vti reuera ab Aduerſarijs intelligitur, nullo modo verum eſſe poteſt. longè enim aliter regit & ſaluat nos Deus, quàm Chriſtus homo. Nam modus regendi Chriſti, quo nos dirigit ad vitam æternam, deſcribitur Pſal: 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo prædicans præceptum eius.* *Chriſtꝰquomodo nos ſaluat vt homo.* Regit ergo nos Chriſtus in his, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, prædicando præcepta Dei. Prædicatione enim ſua viam hominibus ad ſalutem demonſtrabat, eiſdemq; præcepta Dei proponebat, quibus homines obligabantur ad ſibi obediendum & Deo. Hoc ergo modo habuit poteſtatem hominibus imperandi, & eos obligandi, ſed virtute præceptorum Dei, à quo ſe miſſum eſſe docebat. Porrò hic modus regendi non conuenit Deo, ſed ei ſolùm, qui à Deo mittitur; quiq; Dei auctoritate præſit & imperet, vrgendo homines Dei mandatis. Non igitur poteſtas regendi, qua vſus eſt Chriſtus in mundo, ita Chriſto conuenit vt Deo; imo nullo modo conuenit Deo, aut conuenire poteſt. Quod verò attinet ad poteſtatem ſaluandi, quam Chriſtus, vt homo exercuit, ea ſimiliter Deo non conuenit. Chriſtus etenim ſaluat nos ſanguinem pro nobis fundendo, Act: 2. dando ſeipſum redemptionem pro nobis, 1. Tim: 6. offerendo Deo ſacrificiũ pro nobis, & accedendo ad Deum ac interpellando pro nobis, Hebr: 7. 8. 9. Hoc verò modo Deus non ſaluat nos, ſed poteſt abſoluta ſua poteſtate, nihil aliud requirendo, nec vlli ſupplicando, gratiam & vitam æternam nobis donare.

Ex quo patet, non verè dici ab Aduerſarijs, poteſtatem regendi & ſaluandi nos, quam Chriſtus vt homo in nos exercet, eſſe planè talem & tantam, qualis & quanta eſt in Deo, cùm ſit longè à Diuina poteſtate diuerſa, tam in qualitate, quàm in quantitate atq; eſſentia.

Chriſti vt hominis poteſtas non eſt par poteſtati Diuinæ. Sequitur etiam ratione huius poteſtatis Chriſtum non poſſe dici Deum verum, ſed miniſtrum Dei veri: ſiquidem ea poteſtate non niſi Deo ſe ſubijciendo, & à Deo nobis omnia procurando, vtitur. quod Miniſtri Dei eſt, non Dei. Falsè igitur Ariani, Diuinitatem Chriſti in poteſtate conſtituunt.

1.

2. Accedit, quòd Deus ſaluat nos, vt prima cauſa ſalutis, Chriſtum verò non niſi ſecundariam cauſam ſalutis faciunt; quomodo igitur *Poteſtas Domini eſt poteſtas primi principij.* cauſa primaria & ſecundaria pares eſſe poſſunt? Deinde poteſtas Dei, eſt poteſtas primi principij: quia enim Deus eſt, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; idcirco ipſi honor & gloria dicitur,

Rom: 11.

Digitized by Google

Rom: 11. At Chriſti poteſtas ſecundùm iſtos, non eſt poteſtas primi principij. non igitur eſſe par poteſt poteſtati Dei. Deniq; poteſtas ſaluandi Chriſto conuenit propter redemptionem; quia enim redemit nos ſanguine ſuo, ideo poteſt nos, & à peccatis, & à condemnatione liberare, & vita æterna donare.

Atqui Ariani negant Chriſtum nos ſanguine ſuo verè redemiſſe, ſed ſolùm annunciaſſe nobis Dei gratiam, & voluntatem de ſalute noſtra, & ad eius veritatis confirmationem ſeu teſtimonium mortem oppetijſſe. non verò ſanguine ſuo aut pro peccatis Deo ſatisfeciſſe, aut remiſſionem peccatorum & vitam æternam nobis promeruiſſe. Tales enim blaſphemias non verentur ſcriptis edere, & Diuinis teſtimonijs comprobare. Negare igitur conuincuntur, Chriſtum veram poteſtatem nos ſaluandi habere. Poteſtas enim ſaluandi in Chriſto homine eſt poteſtas redemptoris, vt in locis innumeris Sacræ ſcripturæ docent. Apoc: 5. 9. 12. Hebr: 9. 14. 15. 1. Tim: 2. 5. 6. 1. Ioan: 2. 2. Cùm igitur negant Chriſtum nos verè redemiſſe precio ſanguinis pro redemptione noſtra ſoluto, negant ex conſequenti veram poteſtatem nos ſaluandi habere. 3. *Chriſtũ Ariani verè nos redemiſſe negant.*

Dicent fortaſſe, ſaltem nunc in cœlo regnans Chriſtus, alio modo regnat & ſaluat nos. At ſi ſententiam à nobis Catholicam rogēt, dicemus Chriſtum in cælis regnare, tàm vt Deum, quàm vt hominem. quà Deus, regnat eadem cum Patre poteſtate, cùm ſit vnus cum ipſo Deus. At quà homo, regit & ſaluat nos eadem, quam in terris habuit, poteſtate. Nam per Miniſtros ſuos prædicatione & Diuinorum præceptorum propoſitione nos gubernat, & ſubijcit ſuæ obedientiæ, legi ac poteſtati, adiungendo noua in dies membra in ædificationem corporis ſui, donec occurramus omnes in vnitate fidei in virum perfectum. Eph: 4. 13. ab eaq; regendi nos ratione tùm demum ceſſabit, cùm tradet regnum Deo & Patri. Oportet enim illum hoc modo regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. 1. Cor: 15. 24. 25. Similiter poteſtatem ſaluandi nunc quoq; in cœlis exercet, accedens ad Deum, pro nobis interpellans, offerens ſacrificium. vt ex capite 7. 8. 9. ad Hebræos perſpicuum eſt. *Chriſtus in cælo quomodo nos ſaluet.*

Neq; verò nobis obijciant, datam Chriſto iudicandi poteſtatem eo fine, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem: illa enim poteſtas iudicandi, eſt ſumma Dei poteſtas ad viuificandos homines, & vita æterna donandos. quam tunc oſtendet Chriſtus, *Poteſtas iudicandi in Chriſto eſt ſumma.*

& ſimul oſtendet ſe eſſe verum Deum: ſiquidem ſumma illa poteſtate, vt Deus, homines vita æterna donabit; & tunc implebitur illud, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. & quod Paulus habet, Rom: 14. 11. omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Dicitur autem ea poteſtas data Chriſto homini, quia Filius hominis eſt: quia nimirum data eſt, vt per hominem illum & actus illius hominis humano modo propter homines exerceatur. ita vt cùm potuerit ille homo, quà Deus eſt, exercere hanc poteſtatem, nullo actu humano interueniente: placuit tamen Deo ad illuſtrandam hominis illius gloriam, vt per actus hominis illius iudicium illud exerceretur à Deo: vt ita ſe homo ille demonſtraret eſſe Deum verum, cui omne genu curuari debet ac flecti, ſicut & Patri.

Chriſto poteſtatem imperfectā tribuunt.

Alterum eſt, quod de hac poteſtate, in qua Chriſti Diuinitatem collocant, ab Aduerſarijs peto: ſitné iſta Chriſti poteſtas abſolutè tanta in ratione poteſtatis, quanta eſt in Deo: an verò minor aliqua, limitata & finita. Reſpondent, non eſſe abſolutè tantam, ſed ſolùm in certo genere, nempe in nobis ſaluandis. Nam Dei poteſtas abſoluta omnem poteſtatem includit, non ſolùm homines ſaluandi, ſed etiam omnia poſſibilia faciendi, diciturq; omnipotentia: talem verò poteſtatem Chriſtum non habere iſti dicunt: neq; enim habet, inquiunt, poteſtatem creandi, reſq; creatas conſeruandi, & omnia poſſibilia faciendi. In hominibus verò ſaluandis & regendis omnẽ poteſtatem Dei habere aiunt, & tantam quantam Deus.

Verùm ſi Chriſtus non habeat tantam abſolutè poteſtatẽ, quantam Deus, non erit perfectè Deus, nec Diuinitate æqualis Patri contra ſcripturas, Phil: 2. Si enim Deus poteſtate dicendus ſit, vt iſti volunt; Deus autem ab abſoluta poteſtate, vt omnem poteſtatem comprehendit, dicitur Deus; ſequitur, Chriſtum cùm à multò minori poteſtate dicatur Deus, eſſe minorem Deum, nec Diuinitate æqualem Patri. Si enim Diuinitas eſt poteſtas, poteſtas autem Dei infinitè diſtat in ratione poteſtatis à Chriſti poteſtate; conſequens eſt etiam in Diuinitate infinitè diſtare: quomodo autem in eo, in quo infinitè diſtant, ſunt æquales? Etenim Deus non ſolùm ratione poteſtatis nos ſaluandi, ſed ratione totius ſuæ poteſtatis & omnipotentiæ dicitur Deus: ita vt tota ejus poteſtas ad ipſius Diuinitatem pertineat:

tineat: neq; enim ſolùm nos ſaluat vt Deus, ſed & creat vt Deus, & conſeruat vt Deus, & omnia poteſt vt Deus. Hinc Apoc: 4. 11. Deo datur honor & gloria, quia creauit omnia, & propter voluntatem eius omnia ſunt. Ergo non ſolùm, quia ſaluat, ſed etiam quia creat & regit omnia, eſt Deus & Diuino cultu dignus. & ibidem ℣. 8. proptér æternitatem gloria Diuina Deo tribuitur, quia eſt, erat, & venturus ſeu futurus eſt. Si ergo Chriſto deſit infinita Dei poteſtas, deerit quoq; infinita Diuinitas. quare ſicut in poteſtate, ita & in Diuinitate non erit æqualis Deo.

Si verò dicatur Chriſtus habere poteſtatem tantam, quantam Deus, non abſolutè in omnibus rebus, ſed tantùm in nobis ſaluandis, ne id quidem verè ab iſtis affirmari poteſt. Etenim etiam in nobis ſaluandis Deus habet maiorem poteſtatem, quàm Chriſtus quà homo. nam Chriſtus quà homo ſaluat nos dependenter à ſuo ſanguine, dependenter à ſacrificio, dependenter ab interpellatione pro nobis. Deus autem independenter ab omnibus iſtis poteſt nos ſaluare. quocirca maior eſt Dei poteſtas in nobis ſaluandis, quàm Chriſti quà homo eſt. Deinde cùm hæc tota poteſtas in Chriſto nos ſaluandi, ſit cùm dependentia à Deo, & cum ſubiectione ac interpellatione, eo ipſo non eſt ſufficiens ad hoc, vt faciat Chriſtum Deum. Deus enim vt Deus ſaluat non ſubmittendo ſe, ſed abſolutè volendo, & ſine dependentia ab alio, dando ſalutem. neceſſe eſt igitur, vt Ariani agnoſcant aliam in Chriſto poteſtatem, qua non ſolùm vt homo, ſed etiam vt Deus eſt, abſolutè & independenter ab omni alia re poſſit nos ſaluare. alioqui ex illa, quam vt homo eſt, habet, poteſtate, inferre non poterunt, Chriſtum eſſe verum Deum.

Tertio loco quæro ab Arianis, an Dei, & Regis, & Redemptoris nomina confundant, ac pro eodem habeant: an potiùs diſtincta putent, & diſtinctas res ſignificare concedant. Si enim affirment eſſe diſtincta, conſequetur malè illos Diuinitatem poteſtate regendi & ſaluandi nos definire; nam poteſtas regendi ad Regem, quà Rex eſt, ſpectat. poteſtas ſaluandi nos per redemptionem, ſpectat ad Redemptorem, quà Redemptor eſt. Cùm igitur alia eſt Dei, alia Regis ac Redemptoris ratio, malè Diuinitas definitur Regis & Redemptoris poteſtate. Si verò iſta confundant, redargui poſſunt, tùm ſcripturis, tùm ratione. Scripturæ enim voces Dei & Domini, itá diſtinguunt, tanquam res diuerſas ſignificantes. Vnde Dei nomen Patri

Dei & Domini nomina ſunt diſtincta.

peculiari

Digitized by Google

am hanc ſatis coarguunt Scripturæ ſacræ, c
nunciant, Chriſtum in terris degentem, om
acceptam habuiſſe, nullamq; ei poteſtatis pa
poteſtas ei deeſſe poterat, qui omnem poteſtatem ...
mnem poteſtatem habuit, quomodo aliquid non potuit? Loca illu-
ſtria ſunt, Ioan: 16. 15. *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ioan: 17. ℣. 2. *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.* & ℣. 10. *Omnia mea, tua ſunt; & tua, mea ſunt.* Matth: 11. 22. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Ioan: 5. *quæcunq; Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Ioan: 3. 35. *non enim ad menſuram Deus dat ſpiritum. Pater diligit Filium & omnia dedit in manu eius.* Quæ teſtimonia licet luce clariora ſint, & omnem poteſtatem Chriſto tribuant, iſtis tamen talpis, quæ gloriam Chriſti Diuinam ferre non poſſunt, obſcura videntur. quare quam operam in alijs ſcripturæ locis, quæ Chriſti gloriam & Diuinitatem ſatis deprædicant, detorquendis ponunt, eam in his quoq; ſtrenuè collocant.

ſtu... ſecundu... ſcripturas.

Primùm igitur omnium Smalcius ait, non eſſe accipiendum vniuerſè de omnibus, quæ habet à Patre, alioqui inquit ſequeretur, perſonam quoq; Patris & poteſtatem generandi habere. quia hæc Pater habet: imo & immortalitatem tunc habuiſſet Chriſtus, ſicut & Pater. Vox igitur, ait, *Omnia*, reſtringenda eſt ad ſubiectam materiam: nempe ad eas res, quas Chriſtus erat reuelaturus Apoſtolis: vt Socinus in Catecheſi exponit.

Primus locus ſcriptura.

Abſurdè negat Smalcius Chriſtum omnia habere quæ Pater.

At nihil agit Smalcius. nimis enim clarū eſt, de quibus rebus hîc agatur, & quæ ſit hoc loco ſubiecta materia. agitur enim hîc primùm de omnibus rebus ad Euangelium ſpectantibus, quas Spiritus ſanctus accepturus erat à Patre ad reuelandum Apoſtolis. de quibus ℣. 13. dicitur: *Spiritus S. docebit vos omnem veritatem. non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audiet, loquetur & annunciabit vobis.* Deinde agitur, ex quonam fonte hanc omnem veritatem accepturus erat. quem fontem indicat Chriſtus illis verbis; *de meo accipiet.* & *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* ita vt de fonte Filij ac Patris Spiritus S. dicatur accepturus omnem veritatem. quis porrò ſit fons ille in Patre, omnium veritatum quas accepturus erat Spiritus S. niſi ſapientia Patris? ea enim eſt fons non ſolùm veritatum ad Euangelium ſpectantium, ſed omnium omnino veritatum. Hunc igitur fontem ſuum quoq; appellat Chriſtus illis verbis; *de meo accipiet*, probatque eo argumento, *omnia quæ*

Idē fons omnis ſapientia in Patre

ex poteſtate Patris, omnia quoq; fieri poſſe ex poteſtate Filij. Horum enim omnium vna communiſq; ratio eſt, qua probatur & noſtra & Chriſti conſecutio: quia nimirum omnia, quæ Pater habet, Chriſti ſunt: ita vt ſi ea ratio in vno non concludit, non concludet in alio; quod ſi concludit in vno, concludat in omnibus neceſſe eſt. quia eadem eſt ratio in omnibus, eadem vis conſecutionis.

Alterum eſt, quod inferimus, omnes Diuinas perfectiones, nulla excepta, Chriſtum habere. Etenim cùm probatum ſit in hac Chriſti ſententia, nomine omnium intelligi Diuinas perfectiones, quas Pater habet, ſequitur omnes Diuinas perfectiones, quaſcunq; Pater habet, eſſe in Chriſto. Nam ex numero eorum omnium, quas habuit Pater, eſt ſapientia & ſcientia Patris, ex qua Spiritus S. accepit omnes veritates, quas Apoſtolis reuelauit. Cùm igitur ſapientia & ſcientia Patris eſt perfectio Diuina, ea omnia, quæ Pater dicitur habere, erunt omnes perfectiones Diuinæ. Et quemadmodum illud, de quo accepit Spiritus S. dicit Chriſtus eſſe ſuum: ita & reliquas omnes Diuinas perfectiones dicit eſſe ſuas. *2. Nulla excepta.*

Tertium eſt, quod inferimus, omnia quæ habet Pater, eadem numero habere & Chriſtum. Sic enim Chriſtus argumentatur. quicunq; de bonis Patris accipit, de meis bonis accipit. quod non eſſet verum ſi bona Patris & Filij ſint diſtincta. tunc enim poſſet quis accipere de bonis Patris, non accipiendo de bonis Filij: ſed quia eadem numero ſunt bona Patris & Filij, idcirco qui accipit de bonis Patris, neceſſe eſt vt accipiat de bonis Filij. Cùm igitur bona Patris ſint perfectiones Diuinæ, ſequitur Chriſtum habere eaſdem numero perfectiones Diuinas, quas habet Pater. ac ex conſequenti eandem numero naturam. alioqui non eſſet vera conſecutio Chriſti. ideò de meo accipiet, quia omnia quæ habet Pater, mea ſunt. *3. Eadem numero omnia.*

Iam quod verebatur Smalcius, ne, ſi omnia quæ Pater habet, Chriſtus quoq; habeat, perſonam quoq; Patris ſit habiturus, ac potentiam generandi, immeritò id veretur. Eſt enim ſermo de ijs quæ habet Pater, ſeu de bonis Patris. non dicitur autem Pater habere ſeipſum & ſuam perſonam, ſed eſſe ſuam perſonam: non igitur conſequetur Chriſtum habiturum perſonam Patris, ſed ſolùm habere omnia bona Patris, quæ ſunt Diuinæ illius perfectiones. Quod ad potentiam generatiuam attinet, docent Theologi omnem potentiam, quæ eſt in Patre, eſſe in Filio, ſecundùm omnem ſuam perfectionē; *Refellitur Smalcius.* *An potentia generādi ſit in Filio.*

ſed illam potentiam, vt eſt in Patre, eſſe generatiuam, & prodire in actum generandi: in Filio non eſſe generatiuam, nec prodire in actum generandi; non ex defectu virtutis, ſed quia vt eſt in Patre, eſt actuata adæquatè: & per eam re ipſa genitum eſt totum, quod generari potuit, ita vt amplius per illam nil generari poſſit: quare ſicut Pater per eam non poteſt generare alium Filium, præter eum quem ab æterno genuit, ita nec Filius per eam poteſt generare vel ſeipſum, vel aliquid aliud. Sic etiam dicimus, Deum poſtquam creauit mundum, non poſſe illum ipſum mundum creare, quamdiu eſt; non quòd virtute creandi careat, ſed quia iam creatus eſt. non poteſt enim creari, quod eſt, ſed quod non eſt.

Iam immortalitatem etſi Chriſtus in humana natura hic non habuit; habuit tamen in Diuina. non enim ſecundùm humanam, ſed ſecundùm Diuinam naturam, illa Chriſti verba; *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*, accipienda.

Secundus locus ſcriptura de perfecta Chriſti poteſtate.

Alter locus eſt, Ioan: 17. 2. in quo Chriſtus diſertè ait, Patrem ſibi, vt homo eſt, poteſtatem dediſſe omnis carnis. id eſt, omnium hominum, eo fine, vt omnibus daret vitam æternam, quæ in cognitione veri Dei & Chriſti conſiſtit. Smalcius hunc etiam locum detorquet, ita vt nolit Patrem tunc reipſa dediſſe Chriſto poteſtatem omnis carnis, ſed tantum dare decreuiſſe: quomodo 2. Tim: 1. 9. dicitur datam nobis eſſe gratiam ante tempora ſecularia. Verùm locus, quem adducit Smalcius, non eſt ad propoſitum; in eo enim expreſsè additur, ante ſecularia tempora, vt ex eo intelligatur non re ipſa, ſed per prædeſtinationem datam eſſe. At in præſenti loco nihil addit Chriſtus, quod prædeſtinationem indicet, & ad improprium ſenſum verba determinet: imo toto hoc capite oſtendit, ſe hac poteſtate reipſa vſum, in eos quos dicit ſibi datos à Patre. Dicitur autem propriè & re ipſa ſibi datos à Patre, & à ſe re ipſa ſeruatos.

Non poteſt de prædeſtinatione accipi.

Chriſto omnis caro ſubiecta ſemper

Friuola etiā eſt ratio Smalcij, cùm ait, nondum tunc fuiſſe omnem carnem Chriſti poteſtati ſubiectam, quia nondum gentes reipſa ad Chriſtum pertinerent, cùm ad ſolos Iudæos ſe eſſe miſſum fateatur. Math: 15. 24. Neq; enim vt Chriſtus habeat in omnem carnem poteſtatem, neceſſe eſt, vt actu illam exerceat, & vt omnis caro actu ſit illi ſubiecta, ſed ſatis eſt, ſi ius & poteſtatem ad ſubijciendum ſibi omnes in reipſa habeat: & niſi ita ſit, nec modo quidem Chriſtus haberet poteſtatē omnis carnis, cùm Paulus expreſſe dicat, Hebr: 2. 8.

nunc au-

Digitized by Google

nunc autē necdū videmus omnia ſubiecta ei: & tamen hoc nō ob[ſta]nte, Chriſtus poſt reſurrectionē ait; *datam ſibi poteſtatem omnem in cælo & in terra*. eaq; poteſtate, tanquam reipſa ſibi data, vti mox cæpit, dicens. *Euntes docete omnes gentes*, legeſq; vitæ & mortis æternæ ſtatuit. *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Ac ne Deus quidem ipſe diceretur hoc modo habere poteſtatem omnis carnis: quis enim neſciat, non omnem carnem eſſe actu ſubiectam Deo, non omnes homines Deum agnoſcere & reuereri? Non igitur obſtat, quo minus Chriſtus reipſa habuerit tunc poteſtatem in omnem carnem, etiamſi non omnis caro eſſet ei ſubiecta. Non enim poteſtatis eſſentia in actuali ſubiectione poſita eſt, ſed in iure ſubijciendi, quo quis poteſt, ſi velit, ſibi reipſa ſubijcere omnes. Temerè itaq; & ſine vlla ratione Smalcius à proprio ſenſu verba Chriſti detorquet, & ad impietatem ſuam firmandam impiè euertit. Quare verum eſſe neceſſe eſt, Chriſtum cùm adhuc mortalis eſſet, reipſa poteſtatem in omnem carnem habuiſſe. quid enim illi poteſtati defuit?

Cùm verò blaſphemare pergit Smalcius, nec in omnes homines poteſtatem, nec in eos, quos habuit, ſummam poteſtatem habuiſſe, vtrumq; ex dictis Chriſti verbis refutatur, cùm & poteſtatem omnis carnis ſibi datam aſſerit, & talem poteſtatem, qua omnibus dare vitam æternam poſſit; quæ eſt ſumma Chriſti poteſtas. Nam quòd non omnes ei eſſent ſubiecti, non arguit, Chriſtum in eos poteſtatem, qua illos ſubijcere ſibi & obligare ad ſuam obedientiam poſſet, non habuiſſe, vt dictum eſt. Cum hac enim poteſtate miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat æternam vitam. qui autem non credit, iam iudicatus eſt. quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Ioan: 3. 16. 18. Hanc poteſtatem ſaluandi & condemnandi Chriſtus habuit, toto vitæ ſuæ tempore, & omnium hominum reſpectu, non ſolùm Iudæorum, ſed & Gentium. quibus etſi reipſa vitam æternam tunc non conferebat; dabat tamen ius vitam æternam cōſequendi propter fidem in ipſum. Quocirca nihil id ſummæ poteſtati eius derogat, quæ non in actu reipſa dandi, ſed in dandi poteſtate conſiſtit.

Tertius locus eſt apud eundem Ioannem cap: 17. 10. *mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Vbi Chriſtus diſcipulos ſuos probat eſſe Patris vniuerſali illa ratione, quia mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt. quo indicat vniuersè, in omnia, quæ ſunt Patris, ſe poteſtatem habere, *Tertius locus de perfecta Chriſti poteſtate.*

tanquam

Digitized by Google

tanquam in ſua: & in ea omnia, in quæ Pater habet poteſtatem, ſe quoq; poteſtatem habere, cùm æquè ſint ſua atq; Patris. Ex proprietate enim rectè infertur poteſtas. cùm igitur quæcunq; ſunt propria Patris, ſint etiam propria Filij, rectè infertur, in quaſcunq; res poteſtatem Pater habet, habere in eaſdem poteſtatem & Filium, tanquam in res proprias.

Chriſti argumentatio.

Socinus refellitur.

Socinus in Catecheſi ait, hic tantùm agi de diſcipulis, quos ſuos vocat Chriſtus & Patris, non verò de alijs rebus omnibus. At non aduertit Socinus agi quidem hic de diſcipulis, ſed ita vt ex propoſitione illa vniuerſali deducat Chriſtus, diſcipulos ſuos eſſe quoq; Patris: quia inquit, *mea omnia, tua ſunt: & tua, mea ſunt.* idcirco igitur hoc particulare verum eſt de diſcipulis, quia illud vniuerſale eſt verum de omnibus abſolutè.

Smalcij refellitur.

Smalcius ait, Similiter vocem, *Omnia*, ad ſubiectam materiam reſtringendam eſſe: quaſi verò extra ſubiectam materiam ſit particulare, ex principio vniuerſali inferre. vti hîc fieri à Chriſto manifeſtum eſt. Probat enim Chriſtus ſuos diſcipulos eſſe Patris. quia omnia ſua ſunt Patris, & omnia Patris ſunt ſua. non ſolùm igitur diſcipuli, ſed vniuerſè omnia, quæ ſunt Patris, ſunt Chriſti: cùm & diſcipuli ideo ſint Chriſti, quia omnia vniuerſè, quæ ſunt Patris, ſunt Chriſti.

Falſò inquit, abſolutè diceretur, omnia quæ ſunt Chriſti, eſſe etiam Patris; multa enim inquit, ſunt Chri[illegible], quæ Patris eſſe nullo modo poſſunt. Atſi hæc accipiantur, vti accipi debent ſecundùm Diuinam vtriuſq; naturam, ſic veriſſimum eſt, nullam rem eſſe propriam & in poteſtate vnius, quæ non ſit ſimili ratione propria & in poteſtate alterius. Agitur enim hîc de ijs rebus, in quas tanquam in ſuas æquè Pater ac Filius habet ius & poteſtatem. ex quo genere rerum erant diſcipuli, qui erant non minus Chriſti, quàm Patris: neq; de prædeſtinatione hîc agitur, ſed de poteſtate reipſa habita & exercita tàm à Chriſto, quàm à Patre, verè enim diſcipuli reipſa tunc erant & Chriſti & Patris.

Quartus locus de perfecta Chriſti poteſtate.

QVARTVS eſt locus Matth: 11. 27. vbi omnia ſibi tradita eſſe à Patre aſſerit, hoc eſt omnem poteſtatem in homines ad ipſos ſaluandos & regendos. quamobrem mortales omnes inuitat ad ſe, vt veniant & reficiantur, & ſubmittant ſe poteſtati & iugo ipſius, quod ait eſſe ſuaue & onus leue. Smalcius ait, per omnia hîc intelligi, omnem

Digitized by Google

omnem rerum ad ſalutem neceſſariarum cognitionem. Sed vehementer errat. non enim hoc ſolùm, ſed vniuerſè omnia, ad ſalutem hominum ſpectantia. Mox enim hoc, quod ſibi traditum eſt, explicans, oſtendit ſe eum eſſe, qui & omnem cognitionem ad ſalutem neceſſariarum rerum reuelare poſſit, & omnes laborantes & oneratos peccatis, gratia ſua reficere. Idcirco vniuerſim inuitat omnes, vt ad ſe veniant, ſeq; iugo & poteſtati eius ſubmittant, vt & veram rerum ad ſalutem ſpectantium cognitionem ab eo conſequi, & peccatorum remiſſionem obtinere poſſint. Omnem enim eiuſmodi poteſtatem ad ſalutem ſpectantem, ſibi traditam eſſe affirmat. Quanquam cùm aduerſarij ex hoc loco concedant omnem rerum cognitionem Chriſto, annon ſeipſos condemnant erroris, cùm illum multa ignorâſſe reipſa & verè in ſapiẽtia creuiſſe impudenter affirmant? Sed de hoc poſtea.

Quintus locus de perfecta Christi poteſtate.

QVINTVS locus eſt Ioan: 5. 19. *quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* hinc enim ſequitur, omnia opera Patris poſſe facere Filium; ac ex conſequenti eam omnem poteſtatẽ habere, quam Pater: nihilq; ad eius poteſtatem deſiderari poſſe. Reſpondet Smalcius, hoc in loco agi de operibus ſolùm, ijſq; nõ omnib⁹, ſed ijs tantùm quę tũc fiebant. Verùm refellitur Smalcius. non enim hic ſenſus eſt verborũ Chriſti, quæcunq; opera tunc faciebat Pater, Filium quoq; facere: ſed abſolutè & vniuerſè, quæcunq; opera fecerit Pater, Filium quoq; facere. Patet id ex duobus. Primò, quia ſicut cùm de Filio dixit, non poſſe Filium à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem, non intellexit de ijs tantùm operibus Filij, quæ tunc faciebat, ſed vniuerſim de omnibus operibus quæ vel faciebat, vel facere poterat. hoc enim indicant illa verba: *non poteſt facere quidquam* Indicat & ratio; quemadmodum enim illa opera, quæ tùm faciebat, non poterat facere à ſe, niſi videret ea Patrem facientem: ita alia quoq; opera facere non poterat, niſi videndo Patrem ea facientem. Pari ergo ratione cùm è conuerſo de Patre dicit, *quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit,* vniuerſè intelligit de omnibus operibus Patris, quæ Pater poteſt vnquam facere. Senſus enim Chriſti verborum eſt, nec poſſe Filium facere quidquam ſine Patre ſimul operante, neq; Patrem poſſe facere quidquam ſine Filio ſimul operante: non propter defectum potentiæ, ſed propter vnitatem naturæ & inſeparabilitatem Patris & Filij. quemadmodum enim artifex non po-

Reijcitur Smalcius.

1.

Digitized by Google

non poteſt quidquam facere, niſi quod ſua ſapientia faciat. quia per ſapientiam omnia facit: nec ſapientia artificis quidquam poteſt facere, niſi quod artifex ipſe ſimul faciat: ita cùm Filius ſit virtus & ſapientia Patris non poteſt quidquam ſine Patre facere, nec Pater ſine illo. quia ſunt à ſe inſeparabiles. Pater in Filio, Filius in Patre

2. propter vnitatem naturæ. Secundo, quia Chriſtus particulare probat ex vniuerſali; nempe opus illud, quod tunc fecerat, eſſe ex Patre: quia vniuerſè omnia opera eius eſſent ex Patre. nam *nec Filius poteſt à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem*: & *quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Vniuerſè igitur loquitur de operibus Patris, ſicut de operibus Filij. non de ijs duntaxat, quæ tunc faciebat.

Chriſtus probat ſe eſſe æqualem Deo poteſtate.

Adhæc Iudæis exprobrantibus Chriſto, quòd opus illud feciſſet in die Sabbathi, reſpondit Chriſtus, exemplo Patris id ſibi licitum eſſe: *Pater* inquit, *operatur vſq; modo & ego operor.* ac ſi diceret, ſi licet operari Patri in die Sabbathi, mihi quoq; licet: quibus verbis & ſe æqualem Deo eſſe docuit, vti etiam intellexerunt Iudæi: & totum id ſe poſſe, quod Pater poſſet, indicauit. alioqui niſi parem & eandem haberet poteſtatem, non fuiſſet bona conſecutio à maiori ad minus. Si Pater, qui maior eſt, id poteſt, Filium quoq; ſi is multò minor ſit, idem poſſe. Hanc igitur parem, imò eandem cum Patre poteſtatem, in qua tota conſecutio argumenti conſiſtit, exprimit cùm ait, *quæcunq; Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* ac ſi diceret, tanta eſt vnitas naturæ & poteſtatis inter Patrem & Filium, vt quæ alter fecerit, alterum quoq; facere ſit neceſſe; vt nec Filius quidquam facere poſſit, niſi viderit Patrem vnà ſecũ facientem: nec Pater quidquam faciat, quod non faciat idem Filius. de qua re plura inferiùs.

Sextus locus de perfecta Chriſti poteſtate.

SEXTVS locus eſt Ioan: 3. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* quibus verbis Ioannes Baptiſta agnoſcit omnia ad ſaluandos homines ſpectantia iam tum dediſſe in manu eius, nõ in prædeſtinatione ſed re ipſa. quod enim datur in manu alicuius, re ipſa datur, vt eo poſſit vti prout vult. Manus porrò Chriſti, eſt poteſtas Chriſti. Omnia igitur Pater dedit in manu Chriſti, quia omnia poſuit in poteſtate Chriſti, & Chriſti poteſtati cuncta ſubiecit. Habuit ergo Chriſtus cùm adhuc mortalis eſſet, omnem poteſtatem ad ſalutem hominum ſpectantem. Huc enim ſpectat, quod ibidem addit Ioannes: *non enim ad menſuram Deus dat ſpiritum.* Alijs enim ad menſuram dat. Filio ſine menſura. Filius ergo ſine menſura Spiritum Dei

In Chriſto adhuc mortali omnis poteſtas ad hominum ſalutem.

Digitized by Google

tum Dei habet, atq; ideo ſine menſura omnia quoq; dedit ei Pater in manus, omnia in poteſtate eius poſuit. Addit etiam, *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manus.* non enim ad menſuram eſt illa dilectio, qua omnia dedit ei in manus. Vt enim cum Auguſtino loquar, Pater nonne diligit Ioannem? & tamen non omnia dedit in manu eius. Pater nonne diligit Paulum? & tamen non omnia dedit in manu eius. *Pater diligit Filium*, ſed quomodo Pater Filium, non quomodo Dominus ſeruum; quomodo vnicum, non quomodo adoptatum. Itaq; *omnia dedit in manu eius,* quid eſt *omnia?* vt tantus ſit Filius, quantus eſt Pater. & cùm Pater ad nos dignatus eſt mittere Filium, non putemus aliquid nobis minus miſſum quàm ſit Pater. Pater mittens Filium, ſe alterum miſit. Idem dicitur Ioan: 13. 3. *ſciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; ſi omnia, nil igitur erat, quod non eſſet in manu & poteſtate ipſius: & quidem verè & propriè: ſicut verè & propriè habetur, quod in manu habetur. nec vlla loci circumſtantia requirit, vt de prædeſtinatione impropriè intelligendum ſit. Cùm igitur tot tamq; illuſtria ſint ſacrarum literarum teſtimonia, de perfecta & omnimoda Chriſti poteſtate, cùm adhuc in terris degeret, ſummam Arianam temeritatē incredibilemq; impudentiam eſſe neceſſe eſt, dum eam Chriſto, tanto tamq; pertinaci conatu denegare audēt.

Refelluntur ea; quæ aduerſus perfectam Chriſti poteſtatem & Diuinitatem à Smalcio afferuntur. CAP: III.

AIt Smalcius, diſertè legi in ſcriptura, Chriſtum creuiſſe, quemadmodum Ioannes minuebatur. Ioan: 3. 30. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* At ſtulta obiectio. non enim hæc de incremento Diuinitatis aut Diuinæ poteſtatis dicuntur, cùm Ioannes in Diuinitate, quam non habuit, minui non potuerit, ſed de incremento honoris & gloriæ Chriſti. Ioannes enim, qui Chriſtus putabatur, non debuit credi eſſe Chriſtus. Chriſtus autem qui minor Ioanne putabatur, longè maior Ioanne credi debuit. & ſic Ioannes debuit minui, id eſt minor reputari. Chriſtum autem oportuit creſcere, id eſt ſuper Ioannem exaltari & maiorem reputari. Simili ratione accipiendum eſt, quod Lucæ 2. 52. dicitur. *Proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.* non enim proficiebat ſapientia in ſeipſo, vti nos proficimus, qui pleni ſapientia non ſumus: ſed eo modo, quo is proficit, qui plenus ſapientia eſt, cùm nouis operibus ſuam ſapientiam ma-

Smalcij ineptia refellitur.

Chriſtū creſcere & proficere quomodo intelligendum.

Digitized by Google

tiam magis demonſtrat. ibidem enim ℣. 40. *plenus ſapientia* dicitur. & Ioan: 1. 14. *plenus gratiæ & veritatis.* Proficiebat igitur, ſed operibus ſapientiæ. ſiquidem maioribus indies operibus ſuam ſapientiam, qua ſemper plenus erat, demonſtrabat. Sic ſolem dicimus in meridie magis calidum, non quòd in ſe maiorem habeat calorem, ſed quia magis calefacit.

Gratia etiam proficiebat apud Deum, quia Diuinis operibus, quæ maiora in dies faciebat, ſuam gratiam apud Deum, ſeu quàm gratus eſſet Deo, magis ac magis demonſtrabat. Summè enim gratum Deo fuiſſe ſemper ex eo etiam intelligitur, quia non ad menſuram ei dedit ſpiritum Deus: & ita eum dilexit, vt omnia dederit ei in manus. vt paulò ante ex c. 3. Ioan: 35. demonſtratum eſt.

Altera obiectio Smalcij diluitur.

Pergit Smalcius, Chriſtum vnctum fuiſſe ſuper omnes ſocios ſuos, & Spiritum S. certo tempore in illum deſcendiſſe, & ſuper eum requieuiſſe. non igitur pro omni tempore, perfecto modo Deus & Dominus dici poterat. At nos Chriſtum eſſe vnctum non inficiamur, *vnctum* inquam, *Spiritu S. & virtute*, vt Actorum 10. 38. dicitur.

Verùm hãc vnctionẽ, certo aliquo tempore vitæ Chriſti factam fuiſſe, non autem ab ipſa Chriſti conceptione concedere non poſſumus. ſemper enim Chriſtus fuit plenus Spiritu S. ſemper Chriſtus, id eſt vnctus, vnctus inquam tam oleo Diuinitatis, quàm oleo gratiarum omnium. Et alij quidem pleni fuerunt, ſed ad menſuram. Chriſto autem dedit Deus *Spiritum non ad menſuram.* Ioan: 3. 35. In baptiſmo verò Spiritus S. deſcendit ſuper Chriſtum, non vt illum impleret, ſed vt eum eſſe plenum apparitione illa externa declararet. Sicut & Pater tunc, illum Filium ſuum eſſe, voce facta de cœlo declarauit ſolùm, non fecit, cùm ante ſemper Filius eius eſſet.

Aliter Chriſtus plenus Spiritu, aliter alij.

Ineptè pergit Smalcius

At inquit, reſpectu illius temporis, quo vixit in terris, Chriſtus vocatur Miniſter Circumciſionis, id eſt, populi Iſraelitici, Rom: 15. 8. Miniſtrum autem eſſe & Dominum hominum abſolutè & re ipſa, pugnant inuicem.

Arianis Chriſtus etiam nunc nõ eſt Dominus hominum.

Si ita res habet, ne nunc quidẽ in cœlo ſententia Smalcij, Chriſtus erit Dominus hominum abſolutus. quis enim neſcit Chriſtum in cœlo regnantem vocari Pontificem à Paulo, & Pontificis munus obire? Hebr: 7. & 8. & 9. cap. Cùm ergo Pontifex, quà Pontifex ſit Miniſter, non Dominus: offert enim Deo ſacrificium, vt miniſter: conſequens erit, ne nunc quidem, Chriſtum eſſe Dominum hominũ

Digitized by Google

abſolutè. Dico igitur Chriſtum diuerſo reſpectu dici Miniſtrum & Dominum. Nam vt officium Miniſtri & Pontificis gerit, Miniſter eſt: vt verò ſimul eſt, & Diuina poteſtate præditus, qua, cùm voluerit, poteſt vti, eſt Dominus. Hæc enim inter ſe non pugnare, vel ex eo patet: quod minimè repugnat Dominum, miniſtri officium aſſumere, & in eo exequendo, non Domini ſed Miniſtri officio fungi. Pugnare enim non poſſunt, quæ ſecundùm diuerſas rationes ſumuntur.

Chriſtus aliter Dominus, miniſter aliter.

At enim ad Diuinum dominium in homines requiri, ait poteſtatem ſeruandi homines, & immortales eos efficiendi. quam poteſtatem tunc Chriſtus non habuit, cùm mortalis eſſet. nemo enim dare id alteri poteſt, quod ipſe non habet.

Smalcij blaſphemia inſignis.

Verùm negari ea poteſtas Chriſto in terris agenti ſine inſigni blaſphemia non poteſt, cùm ſcripturæ teſtentur, eum omnem poteſtatē nos ſaluandi habuiſſe. quod etiam hoc argumento doceo. Is qui non habet poteſtatem in rem aliquam, ius ad illam rem nemini donare poteſt. At Chriſtus omnibus in ſe credentibus, ius vitæ æternæ & immortalitatis futuræ donabat. hanc enim legem, Dei decreto firmatā omnibus proponebat. *qui credit in me, habet vitam æternam.* quod quid aliud eſt, quàm per fidem in Chriſtum homines acquirere ius ad vitam æternam? lex enim Dei & Chriſti tale ius tribuit. ideoq; ſe *Panem vitæ* nominat. Ioan: 6. 48. imò ipſam *vitam*; & carnem ſuam Sacramentū inſtituit, vt *qui eam manducaret, viueret in æternum* Ioan: 6. 59. *Dedit*, etiam omnibus, *qui credunt in nomine eius, poteſtatem filios Dei fieri.* Ioan: 1. *Quòd ſi filios & hæredes*, vt argumentatur Paulus, Rom: 8. 17. Neque dubitari poteſt, filios Dei, etiam dum hîc agunt in terris, re ipſa habere ius vitæ æternæ: ſicut re ipſa ſunt filij Dei, teſte Ioan: 1. epiſt: 1. 2. *Nunc*, inquit, *filij Dei ſumus.*

Oſtenditur Chriſtum in hac vita manētem dare potuiſſe vitæ æternæ poteſtatem hominibus.

Id verò, in quo labitur Smalcius, eſt; quod inter poteſtatem & effectum poteſtatis non diſtinguit. Habetur enim poteſtas vitæ æternæ, etiamſi actu ipſa vita æterna non habeatur: neq; ex eo, quòd quis poteſtatis effectu caret, vel poteſtate non vtitur, vel eius vſum ad aliquod tempus differt, dicendus eſt carere poteſtate, vel imperfecto modo illam habere. alioqui Deus quoq; poteſtatem creandi, imperfecto modo habuiſſe dicendus eſſet, antequam mundum condidiſſet: hoc eſt per totam æternitatem. Idem in humanis quoq; rebus videmus. Nam poteſt quis certum & integrum ius habere ad bona & eſſe verus Dominus illorum, & tamen ea vitio & malitia hominum

Lapſus Smalcij, & ignorantia.

Habere poteſtatem & vti illā, diuerſum.

 re ipſa non

Digitized by Google

re ipſa non poſſidere. Non igitur Chriſtus propterea imperfectam poteſtatem, vitam æternam & immortalitatem alijs dandi, habuiſſe dicendus eſt: quia dum in terris vitam ageret, immortalitatem actu non dedit. non enim hoc ex defectu poteſtatis procedebat, ſed ex voluntate & diſpoſitione ipſius, qua ea, quæ poterat, non niſi ſuo tempore dare & efficere ſtatuebat:

Ridicula Smalcij argumẽtatio.

Illa noua ratio Smalcij quàm inepta eſt, Chriſtum mortalis cũ eſſet, immortalitatem alijs dandi poteſtatem non habuiſſe. Si enim exiſtimat immortalitatẽ noſtram ita cauſari ab immortalitate Chriſti, vt calor à calore, rudis eſt: neq; enim immortalitas eſt actiua: alioqui ſequeretur quemlibet beatum ſua immortalitate poſſe cauſare immortalitatem in altero. Si verò id non exiſtimat, ſed aliud quid eſſe in Chriſto immortalitatem; aliud poteſtatem Diuinam, qua nos à morte liberare, & vita æterna donare poteſt, concedit, inepta erit tota argumentatio ipſius, quæ in eo fundatur, quòd nemo alteri dare poſſit, quod ipſe non habeat. quæ propoſitio mille exemplis falſa eſſe conuincitur. Etſi enim ſi quis de manu in manum det aliquid per motum localem, debeat illud prius apud ſe habere: tamen ſi det aliquid per veram actionem & productionem, non eſt neceſſe, vt illud habeat actu, ſed ſatis eſt, ſi habeat virtute. Sic ſol etſi non ſit actu calidus, calorem in terra producit. Oſſa Eliſei, etſi non eſſent viua, ſuo contactu viuificarunt cadauer iniectum in ſepulchrum 4. Reg: 13. 21. propter quod Eccleſ: 49. 14 corpus Eliſei mortuum dicitur prophetaſſe, id eſt, Prophetarum virtutem exercuiſſe. Etſi igitur Chriſtus, cùm adhuc mortalis eſſet, poteſtatem habuit nos immortales reddendi; ea tamen vſus non eſt, niſi poſtquam ipſe immortalis reſurrexit, ſcilicet vt ſic eſſet primus inter omnes, ad cuius exemplar reſurgendo omnes immortales redderentur; propter quam cauſam vocat illum Paulus, *primogenitum ex mortuis, vt ſit in omnibus primatum tenens.* Coloſ: 1. 18. Et *primitias dormientium.* 1. Cor: 15. 20. D. Ioannes in cap: 5. multa adducit de poteſtate Chriſti ampliſſima; quã habet æquè vt Pater ad viuificandos homines, & vita æterna donandos. *Sicut* enim, *Pater ſuſcitat mortuos & viuificat: ſic & Filius, quos vult viuificat.* neq; enim *Pater iudicat quenquã, ſed omne iudiciũ dedit Filio. ſicut* enim *Pater habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo.*

Axioma Smalcij falſum eſſe oſtenditur.

Chriſtus cur mortalis immortalitatẽ non dedit hominibus.

Erratum Smalcij enorme.

Hæc omnia Smalcius re ipſa Chriſto conuenire negat, niſi poſt eius reſurrectionem, ſed ea de prædeſtinatione dandi accipi vult.

Contraria

Digitized by Google

Contraria enim inquit, ſunt, vitam in ſemetipſo habere, & naturâ mortalem eſſe. At errat turpiter. Nam poteſtas viuificandi & iudicandi ſemper fuit in Chriſto re ipſa, vt ſcripturæ teſtantur. licet perfectus eius vſus ad reſurrectionem differretur. Aliud verò eſt, actū poteſtatis re ipſa non habere, aliud poteſtatem ipſam. Quare non rectè Smalcius, ex eo quòd actus poteſtatis re ipſa ante reſurrectionē non fuerit, infert poteſtatem ipſam in Chriſto non fuiſſe. alioqui ea ratione probaret, Deo quoq; poteſtatem creandi ante mundum conditum, defuiſſe, quòd nullus tunc eſſet talis poteſtatis actus. Quod verò contraria putat, vitam in ſemetipſo habere & mortalem eſſe, id ſi ad eandem naturam referat, verum eſt; ſi ad diuerſas, falſum. habere enim vitam in ſemetipſo, eſt vitam habere independentem, & quæ ab alio non ſuſtentetur; qualis vita proculdubio eſt immortalis & indeficiens, ac proinde contraria naturæ mortali. Chriſto igitur cùm vtrumq; ſimul ſcriptura tribuat, & habere vitam in ſemetipſo, & mortalem eſſe, duas in illo vitas & naturas indicat. ita vt ratione vnius, nempe humanæ, mortalis fuerit; ratione alterius, nempe Diuinæ, immortalis; quippe vitam in ſemetipſo habens. Neq; refert, quòd vitam ſuam acceperit à Patre. accepit enim vitam independentem & immortalem, æquè vt eſt in Patre, quæ à nulla alia re dependeat aut ſuſtentetur. æquiùs ergo erat Smalcium, duas naturas in Chriſto agnoſcere, quàm ex mortalitate naturæ humanæ, impugnare immortalitatem naturæ eius Diuinæ.

Ineptè Smalcius ex actꝰ carentia etiam virtutis carentiam in Chriſto colligit.

In Chriſto duplex vita, & natura.

Fatetur quidem Smalcius in cap: 10. vitam in ſemetipſo habere, eſſe vitam ita poſſidere, vt non aliūde ſuſtentetur: tamen hoc ait, Patrem habere naturâ, Chriſtū verò Dei beneficio. Aio ego, ſi Chriſtus habet vitam, quæ aliunde non ſuſtentetur, habet vitam ipſius Dei, & eadem vita viuet, qua Deus. Nihil enim præter Deum eſt, quod ſuſtētatione nō egeat: *in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.* Act: 17. *& omnium vita eſt in manu Dei.* Si in manu Dei, ergo à poteſtate eius dependet & ſuſtentatur, ita vt ſi ipſe ſubtrahat manum ſuam, non poſſet conſiſtere. Quocirca ſi Chriſtus habeat vitam independentē, & quæ ſuſtentatione non egeat, eo ipſo habebit vitam ipſius Dei, quæ ſola eſt independens, & vt ſuſtentetur aliunde non eget.

Confeßio Smalcij nolens dat Chriſto Diuinitatem.

Ex quo etiam infertur, ſi Chriſtus habuit vitam in ſemetipſo, habere etiam naturam Diuinam, quæ ſola eſt independens. quomodo igitur verum eſt, quod ait Smalcius, Chriſtum habere vitam in

Smalciꝰ ſibi contrarius.

 ſemetipſo

Digitized by Google

ſemetipſo Dei beneficio. quæ enim Dei beneficio ſunt, pendẽt à Deo, & à Deo ſuſtentantur vt ſint, poſſuntq; ad nutum illius non eſſe. At habere vitam in ſemetipſo, eſt habere vitam independentem, & quæ ſuſtentatione non egeat. Non poteſt igitur vita in ſemetipſo haberi, Dei beneficio. ad quid enim beneficio Dei egeret, ſi per ſeipſam conſiſteret abſq; alterius ſuſtentatione?

Vitam in ſemetipſo habere, & independentẽ ab alio, idẽ eſt.

Porrò vitam in ſemetipſo, eſſe vitam independentem & aliunde non ſuſtentatam, facilè probare poſſumus. ſiquidem vitam habere in ſemetipſo, & vitam habere in alio, opponuntur. quemadmodũ igitur viuere in alio; eſt viuere dependenter ab alio, & ſuſtentari ab alio. quomodo nos omnes in Deo *viuimus, mouemur & ſumus.* Act: 17. quia vita noſtra à Deo ſuſtentatur & conſeruatur: ita vitam habere in ſemetipſo, eſt habere vitam independentem, & non ſuſtentatam aut conſeruatam aliunde. Quocirca cùm apud Ioannem dicitur, *ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo: ita & Filio dedit habere vitam in ſemetipſo*: illa particula, *in ſemetipſo*, hanc vim habet, vt ſignificet tantùm in ſeipſo, & non in alio extra ſeipſum: alioqui nihil hic diceretur, quod non ſit commune omnibus viuentibus. Omnia enim, quæ viuunt, viuunt ſuo modo in ſeipſis, ſed ideo non dicuntur vitam habere in ſemetipſis, quia viuunt etiam in Deo, cuius poteſtate omnis vita creata ſuſtentatur & conſeruatur. Neq; verò poſſibile eſt, imò manifeſtam contradictionem implicat, vt Deus efficiat aliquam rem creatam independentem à ſe; quæq; ipſius poteſtati, dominio & omnipotentiæ non ſubiaceat. Quare cùm Filio dedit vitam in ſemetipſo, id eſt independentem, non aliquid creatum dedit, ſed ſuam ipſius increatam vitam, quæ eſt ipſa eius Diuinitas.

Ex quo infero, ſi ea vitæ in ſemetipſo definitio vera eſt, vt omnino eſt, vnum ex duobus debere admittere Smalcium, aut Chriſtum naturam Diuinam habere, eo quòd vitam in ſemetipſo habeat, aut ſi Diuina natura careat, vitam quoq; in ſemetipſo non habere. Etenim ſi vita in ſemetipſo eſt vita independens; nulla autem res extra Deum poteſt eſſe independens, ſequitur vitam independentem, eſſe vitam ipſam Diuinam. atq; adeò naturam ipſam Diuinam. Sola enim natura Diuina, eſt independẽs, Chriſtumq; eo ipſo, quòd vitam in ſemetipſo habet, habere naturam Diuinam. Sicut enim Pater, ideo habet vitam in ſemetipſo, quia habet vitam independentem ab omni alia re, à qua ſuſtentatur vel conſeruatur, quod ſolius naturæ Diui-

Vita independens. & in ſemetipſo habita, eſt vita & natura Diuina.

Digitized by Google

ræ Diuinæ proprium eſt: ita & Filius eadem ratione habebit vitam independentem. quæ eſt vita naturæ Diuinæ propria.

Duo tamen ſunt, quæ obijci poſſunt. Alterum, *ſi Pater dedit Filio habere vitam in ſemetipſo,* ſequi Filium habere vitam dependentem à Patre. Alterum eſt, quòd Chriſtus ipſe hoc eodem capite dicat, *ſe viuere propter Patrem.* Sed reſpondetur ad primum, Patrem eo ipſo quòd dedit Filio habere vitam in ſemetipſo, dedit habere vitam independentem. Vita enim in ſemetipſo, eſt vita independens. Vnde ex tali datione potiùs infertur independentia, quàm adſtruatur dependentia. Deinde ſi Pater dediſſet Filio vitam creatam, & à Diuina diuerſam, cùm omnis vita creata, & à Diuina diuerſa, ſit fragilis & conſeruatione ac ſuſtentatione Diuina ſemper egeat, proculdubio dediſſet vitam dependentem Filio, qualem vitam dat rebus creatis. At cùm dederit vitam ſuam Diuinam, quæ ſola eſt vita in ſemetipſo, dici non poteſt dediſſe vitam dependentem, & Filium accepiſſe à Patre vitam dependentem. Adhæc etſi in ijs, quæ in hac vita accipiuntur, verum ſit non accipi ſine dependentia ab alio: quia ante non habebantur, & poterant non haberi, niſi data fuiſſent, & idcirco accipiuntur ad ſupplendam inopiam. idq; verum eſt, tàm de ijs, quæ accipiuntur ex liberalitate, quàm de ijs, quæ accipiuntur naturaliter: genitum enim in tempore, talis eſt conditionis, vt & ante generationem non fuerit, & potuit non fuiſſe, ſi genitum non fuiſſet, ac proinde à generante dependet: At in ijs, quæ accipiuntur ab æterno, cùm nulla præceſſerit inopia, nec præcedere potuit, nulla eſt dependentia, nec ex parte eius, qui accipit, quia nunquam ea re caruit, neq; carere vnquam potuit, ſed habuit ſemper, & non potuit non habere; nec ex parte eius, qui dedit. is enim dedit ab æterno, nec potuit non dare. quia ita dedit, vt nullum tempus ante fuerit, quo dare non potuerit. In æternitate enim non eſt ante. Solùm verò tunc eſt dependentia, cùm vel is, qui dat, ex liberalitate dat: potuit enim non dare. vel is qui accipit, accipit ex indigentia & inopia, ita vt potuerit non accipere, & ea re carere. ad dependentiam enim requiritur potentia non habendi. Et hoc eſt, quod Aug: 3. contra Maximinum c. 4. ait. Beatius eſt dare, quàm accipere, ſed in hac vita, vbi eſt inopia: qua vtiq; melior eſt copia. Cùm igitur Pater Filio dederit ab æterno habere vitam in ſemetipſo, eo ipſo dedit habere abſq; omni dependentia. quia abſq; vlla præcedente inopia. Nam neq; Pater

Soluuntur duæ obiectiones.

Ad primã.

Diſcrimen inter ea quæ in tempore, & quæ ab æterno accipiuntur ab alio.

Pater eo ipſo quia dedit vitã filio ab æterno,

Pergit Smalcius, alijs quoq; argumentis Chriſti perfectam ſummam poteſtatem impugnare. quomodo inquit, is perfectè Dominus & Deus eſt, qui quoad naturam ſuam, tantùm differt à Deo, quantùm ſummum cœlum ab infima terra?

Quæ interrogatio ſi quid concludit, concludit quoq; Chriſtum poſt reſurrectionem non eſſe perfectè Deum & Dominum. nam per Reſurrectionem non mutauit naturam; ſed in eadem natura reſurrexit, quam ante Reſurrectionem habuit. Sicut ergo ante, quoad naturam tantùm diſtabat à Deo, quantùm cœlum à terra: ita & poſt reſurrectionem idem dicendum eſſet. id enim quod poſt reſurrectionem illi acceſſit, naturam eius non mutauit. alioqui non eſſet idem Chriſtus, qui erat ante reſurrectionem.

...iis, probat quod non vult Smalcius.

Cùm verò ait, ſummam poteſtatem in naturam mortalem cadere non poſſe; dicendum eſt, ſi abſolutè ſumma ſit, ea in ſolam naturam Diuinam cadere poteſt. Solus enim Deus eſt ſummus, & omnia extra ipſum minora ſunt & inferiora Deo. Si verò non abſolutè ſumma ſit, ſed poſt Deum ſumma, aio talem poteſtatem in quamcunq; naturam, quantumuis mortalem, Dei voluntate cadere poſſe. etenim Deus ita eſt omnipotens, vt *per infirma, fortia quæq; confundat*; & per debilia fragiliaq;, ſumma perficiat; & *per ea quæ non ſunt, facit ea, quæ ſunt.* vt loquitur Paulus 1. Cor: 25. 28.

Quanquam quid Ariani ſummam Chriſti poteſtatem memorant, qui toti in eo ſunt, vt omnem Chriſti poteſtatem in nobis ſaluandis euacuent, tantùm abeſt vt ei ſummam concedant? neq; enim aliam poteſtatem ad nos ſaluandos Chriſtum habere volunt, præterquam annunciandi Dei voluntatem de noſtra ſalute, ita vt ad eam ſolùm veritatem conſeruandam, velint Chriſtum mortem oppetijſſe. Cùm igitur ex ipſorum doctrina nihil nobis ad ſalutem Chriſtus attulerit, niſi nuncium à Deo de ſalute noſtra, conſequens eſt nullam ipſos veram poteſtatem, qua verè ſalutem noſtram operetur, Chriſto concedere. Nuncium enim de ſalute afferre, non eſt ſalutem efficere, ſed efficiendam à Deo declarare.

Gratis Arianus de aliqua ſumma Chriſti poteſtate agit, quam omnē tollit.

Chriſtus ſecundum Arianos ſalutis tantum nuncius nōn dator.

At enim inquit, Spiritum S. largiendi poteſtatem, cùm adhuc mortalis eſſet, non habuit. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Ioan: 7. 39. verùm locum citatum non de quacunq; datione Spiritus S. accipiendum eſſe, ſed cum illa duntaxat plenitudine, vt in die Pentecoſtes, indicant primùm illa verba præcedentia.

Perperā adductus locus à Smalcio, rectius explicatur.

Digitized by Google

enim vita, niſi vt eſſet hominum vita, & vitæ hominum auctor? Actor: 3. 15. quæ verò maior poteſtas in mortem cogitari poteſt, quàm ea cùm diceret, vel ſolam fidem in ſeipſum tanti eſſe momenti, vt homines à morte liberaret. *qui* inquit, *credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet. & non morietur in æternum.* Ioan: 11. 25.

Simili ratione quis dubitare poterit, Chriſtum poteſtatem dandi immortalitatem habuiſſe, dum adhuc mortalis eſſet: ſi toties ſe vitam eſſe hominum affirmauit, vitam inquam æternam, *quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis,* 1. Ioan: 1. Etenim cùm Chriſtus diceret, *ego ſum via, veritas & vita,* proculdubio quid tunc eſſet, hiſce verbis indicauit. Erat ergo tunc hominum vita tàm animorum quàm corporum. quia poteſtatem habuit vitam vtramq; hominibus dandi. Neq; refert tunc vitam immortalem re ipſa nemini contuliſſe. Satis enim eſt, quòd ius ad eam habendam conceſſerit. *Dedit enim poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Ioan: 1. *qui* autem *ſunt Filij Dei, hi & filij reſurrectionis.* Luc: 20. 36. Neq; verò id ex defectu poteſtatis, ſed ex ordinatione ſapientiæ ſuæ accidit, vt ius quidem vitæ æternæ mox hominibus daret, ipſam verò vitam æternam, non niſi poſt ſuam reſurrectionem. Voluit enim ſua morte & reſurrectione eſſe cauſa vitæ & reſurrectionis noſtræ. Neq; rectè quis ex eo, quòd poteſtate ſua pro aliquo tempore non vtitur, poteſtate ipſa carere cenſetur. alioqui Deus quoq; ipſe eandem ob cauſam non ſemper perfectam ſuam poteſtatem haberet, cùm actu ſuæ poteſtatis non ſemper vtatur. Præterea, ſi quia mortis reatum ante ſuam reſurrectionē non ſuſtulit Chriſtus, negatur illi poteſtas reatum mortis tollendi, pari ratione cùm etiam nunc ante diem iudicij hunc reatum non tollat, niſi poſt noſtram reſurrectionem, neganda eſſet Chriſto perfecta poteſtas mortem abolendi; & ſic ne nunc quidem in cœlis regnans, eſſet perfectè Deus ac Dominus perfecta poteſtate præditus.

Chriſtus hominum vita immortalis.

Chriſtus iuxta Smalciū neque modò eſt mortis Dominus perfectus & abſolutus.

Nam quod reſpondet Smalcius, conſtare, Chriſtum nunc habere poteſtatem mortem re ipſa abolendi poſt corporum reſurrectionē, dico & ego Chriſtum cùm viueret, eandem poteſtatē plenam & perfectam habuiſſe ſecundùm ſcripturas citatas; mandandam tamen executioni nonniſi facta reſurrectione corporum. Cùm enim ſcripturæ clariſſimè Chriſto adhuc mortali, omnem poteſtatem tribuant, non alia ratione Aduerſarij negant, ſcripturas de reali poteſtate intelligendas eſſe, niſi quòd tum nec immortalitatem, nec æternam vitam cui-

Solutio Smalcij ſoluitur.

Digitized by Google

tam cuiquam dederit. quæ ratio & infirmiſſima eſt, & nihil derogare poteſt poteſtati Chriſti. Neq; enim ex eo ſequitur, Chriſtum abſolutè non potuiſſe, etiam pro illo tempore quo viuebat, omnia facere, ſed ſolùm noluiſſe & ſtatuiſſe non facere, niſi mediante morte & reſurrectione ſua; ſicut & Deꝰ ſtatuit nōniſi per Chriſtū hominē, homines ſaluare; cùm tamen abſolutè, alijs quoq; vijs eos ſaluare potuerit.

Deinde ſatis eſt, quòd aliquos actus ſuæ poteſtatis exhibuerit tunc, in dando hominibus iure & poteſtate ad immortalitatem conſequendam. is enim qui non habet poteſtatem in rem aliquam, neq; ius in rem illam cuiquam tribuere poteſt.

Blaſphemat Smalcius.

Mors Chriſti nō neceſſaria, ſed ſpontanea.

Cùm verò ait Chriſtum non potuiſſe ſeipſum à morte liberare, an non horrenda atq; deteſtanda eſt in Chriſtum blaſphemia? cùm enim diſertè de ſeipſo dixerit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioan: 2. 19. & *poteſtatem habeo ponendi animam, & iterum ſumendi eam.* Ioan: 10. 18. quis alicuius iudicij homuncio dubitare poteſt ſeipſum liberare à morte potuiſſe? Etenim etſi Chriſti reſuſcitatio Deo & Diuinæ eius virtuti tribuatur: tamen Chriſtus quoq; id nō humana ſed Diuina virtute, quæ illi cum Patre communis eſt, efficere debuit, non vt homo, ſed vt Deus. quæcunque enim Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Ioan: 5. quà homo, ſubiacebat morti, quà Deus, poteſtatem habuit in mortem.

Non igitur Chriſti mors, impotentiæ aut neceſſitati adſcribenda eſt, ſed voluntati, & nimiæ charitati Chriſti, qui *cùm auctor eſſet vitæ, morti ſe ſubiecit.* Act: 3. 15. quam etiam Paulus cōmendat. Hebr: 2. 14. *quia enim pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium.* quibus verbis indicat Apoſtolus, Chriſtum vt mori poſſet pro nobis, participâſſe carni & ſanguini: cùm alioqui id eſſet à natura illius alienum, mortalitati ſubiacere. Si enim hæc fuiſſet propria ipſius natura, habere carnem & ſanguinem, non propter pueros communicâſſet carni & ſanguini, nec vt mori poſſet, ſed quòd ea eſſet ipſius natura. Indicat ergo fuiſſe alienum ab eius natura participare carni & ſanguini, & mori, tamen quia nos participauimus, voluit & ipſe participare eiſdem & ſubdere ſe mortalitati, cùm ipſe natura immortalis eſſet.

Non rectè à Smalcio ple

Iam verò Smalcius, Chriſtum ſummam in Dæmones poteſtatē nullo modo habuiſſe, antequam ex mortuis reſurrexiſſet in hunc mo

dum pro-

dum probat. Per mortem enim aboleuit eum, *qui habebat mortis imperium,* hoc eſt Diabolum. Hebr: 2. 14. & Chriſtus de ſua morte ratiocinans, tanquam de re futura ait, *iam Princeps huius mundi eijcietur foras.* Verùm hæc probatio futiliſſima eſt. Etenim ſicut Rex non tunc primùm habet poteſtatem in rebelles, cùm illos actu ſibi ſubijcit, ſed etiam antequam ſubijciat, habet poteſtatem legitimam illos ſibi ſubijciendi: imò niſi haberet antè poteſtatem legitimam ad illos ſibi ſubijciendos, neq; poſtquam illos ſibi ſubiecit, haberet in eos legitimã ſed vſurpatam poteſtatem: ita & Chriſtus antequam per mortem aboleret Dæmonem, habuit perfectam poteſtatem dæmonẽ abolendi. *num Chriſti in Dæmones imperiu tollitur; rectè adſtruitur.*

Deinde hac poteſtate in Dæmones non ſemel eſt ante vſus: ſiquidem ante mortem ſæpenumero homines à poteſtate Diaboli liberauit, cùm eos tam à morte corporis, quàm animæ totius vindicaret. cuius duplicis mortis Diabolus dicitur habere imperium; quia poſtquam primum parentem ad peccatum induxit; omnes homines, lege Dei, mortis & temporalis & æternæ condemnati ſunt; Dæmoniſque tanquam mortis auctori, poteſtati ſubiecti. Et quamuis ab hoc mortis imperio & poteſtate Dæmonis, perfectè tunc liberandi ſint homines, quando ad ſtatum illum immortalem transferentur: tamen etiã ante Chriſti mortem acquirebant à Chriſto ius & poteſtatem, huius immortalitatis & immunitatis à morte, conſequendæ per fidem in ipſum. quod ſignum eſt euidens perfectæ in Chriſto poteſtatis, tum in mortem, tum in mortis auctorem Diabolum. *Chriſtus imperium in Dæmones exercuit pleniſſimè ante mortem.*

Nec obſtat, quòd morti Chriſti ea liberatio in ſcriptura tribuatur. nam etiam ante mortem à Chriſto re ipſa obitam virtute mortis futuræ, & à peccatis, & à Dæmonis poteſtate homines liberabantur. Abſit enim quenquam, niſi per Chriſtum ſaluari: ſaluari autem per Chriſtum, eſt per ſanguinem & redemptionem eius ſaluari. Quare & ij, qui ante Chriſtum iuſtificabantur à peccatis, per Chriſtum gratiam conſequebantur, nempe virtute paſſionis & mortis Chriſti futuræ. Quocirca ſcriptura dicit: *Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis, non noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* 1. Ioan: 2. 2. Quòd ſi multò ante Chriſti aduentum Iſaias de ſe ſuiſq; dicebat, *cuius liuore ſanati ſumus.* Iſa: 53. 5. quis dubitet eos, qui vnà cum Chriſto vixerunt, mortis Chriſti fuiſſe participes, & virtute mortis eius iuſtitiam & peccatorum remiſſionem obtinuiſſe. *Occurritur obiectioni.* *Omnis ſalꝰ per Chriſti mortem.*

Malè igitur deducit Smalcius, ex eo quòd per mortem Chriſti aboli- *Illatio Smalcij ineptaeſ-*

p concluditur. abolitum eſt imperium Diaboli & poteſtas, Chriſtum ante mortem non habuiſſe poteſtatem Diaboli imperium abolendi. tum quia neceſſe eſt prius habuiſſe poteſtatem legitimam abolendi, quam re ipſa aboleuiſſet: tum quia etiam ante mortem, virtute mortis ſuæ Diaboli imperium abolebat, & homines à peccatis, & ex conſequenti à poteſtate Dæmonis liberabat: deniq; etiam ante mortem dabat hominibus ius immortalitatis & vitæ æternæ ſuo tẽpore conſequendæ,

Quod ſi Smalcius non omnem, ſed ſummam tantùm poteſtatẽ in Dæmones Chriſto neget, eadem ratione conuinci poteſt. Summa enim Dæmonis in homines poteſtas, eſt poteſtas mortis tam temporalis, quàm æternæ. cùm ergo ab vtraq; morte homines Chriſtus tunc eximeret, dando illis ius vtramq; ſuo tempore euadẽdi, eo ipſo ſummam in Dæmones poteſtatem habuiſſe manifeſtum eſt; eamq; tunc etiam demonſtrabat, cùm Dæmones imperio eijceret. Nam Apoſtoli Chriſti imperio & autoritate Dæmones eijciebant, & idcirco non erant Domini Dæmonum. Chriſtus verò, vt Dominus proprio imperio & auctoritate eos cogebat exire. *Ego*, inquit, *præcipio tibi, exi ab eo.* Marci 9. 24.

Smalcię falſitatis arguitur. Quod verò ait Smalcius, de poteſtate Chriſti ante mortem in Diabolum, nullo modo in ſcripturis conſtare; falſum eſt: omnes enim ſcripturæ id teſtantur, quæ omnem poteſtatem ad nos ſaluandos in Chriſto degente in terris, agnoſcunt. Ad poteſtatem quippe ſaluandi ea quoq; pertinet, quæ eſt in Dæmones, tanquam in Chriſti & ſalutis hominum capitales hoſtes. Etenim ad regiam poteſtatem pertinet, ius & poteſtas legitima ad hoſtes ſuos, & omnes rebelles ſibi ſubijciendos & ſubditos, ab eorum ſeruitute vindicandos. alioqui dicendum eſſet, Chriſtum Dæmoni poteſtate imparem aliquando fuiſſe, imo & inferiorem, ſi Dæmon maiore in homines poteſtatis tyrannide ſæuiret, quàm Chriſtus eoſdem vindicare poſſet.

Chriſtum ante mortem, Angelorum Dominum non fuiſſe, impiè à Smalcio aſſeritur. CAPVT IV.

Stultè Smalcius Chriſti in Angelos poteſtati derogat. NON minori temeritate & impudentia Smalcius negat, Chriſtum, ante mortem, Dominum Angelorum fuiſſe, nec poteſtatem, qua illis imperare poſſet aliquid, habuiſſe. id enim non ſolùm ex ſacris literis deduci non poſſe, ſed etiam ijſdem prorſus eſſe contrarium vult. antequam enim *gloria & honore coronaretur, fuit minor Angelis.* Hebr;

Digitized by Google

gelis. Hebr: 2. 7. & in Paſſione fuit ab Angelo confortatus, Luc: 22. 43. *& profectꝰ in cœlum ſubiecit ſibi Angelos, poteſtates, Dominationes.* 1. Pet: 3. 22.

Verùm hanc tam impiam & impudentem Smalcij aſſertionem, primùm ex ſcripturæ redarguunt, quæ omnia, quæ Patris ſunt, eſſe quoq; Filij teſtantur. Ioan: 16. 17. Ioan: 17. 10. Si enim omnia, ergo & Angeli. quod ſi Chriſtus eo argumento diſcipulos eſſe ſuos & Patris probauit: quia *omnia,* inquit, *mea, tua ſunt: & tua, mea ſunt.* proculdubio probari quoq; poterit, Angelos eſſe non minùs Dei, quàm Chriſti, quia omnia, quæ Patris ſunt, ſunt etiam Chriſti. Idem cõuincunt illæ quoq; ſcripturæ, quæ Chriſtum conditorem Angelorum agnoſcunt: Si enim creauit Angelos, iure creationis eſt illorum Dominus, & omnem in eos poteſtatem exercere potuit. Inſignis ea de re locus eſt, Coloſ: 1. 16. *quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue Dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* cuius loci vim non aliter euadere poſſunt Ariani, niſi ſolita temeritate, contra omnem verborum proprietatem, negẽt hic ſermonem eſſe de vera Angelorum creatione, ſed de reformatione & officiorum noua diſtributione. quod à nobis alibi fusè confutatum eſt. Per ſe enim manifeſtum eſt, aliud eſſe condi Angelos, aliud condi & creari officiales. Cùm creatur conſul, non dicitur creari homo ſed conſul. Cùm igitur hic Angeli dicuntur creati & conditi, de vera creatione, non de officiorum impoſitione ſermo eſt.

Cõtrarium ex ſcripturis probatur.

Mos Arianorum in euadendo notatur.

Adhæc Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, erant ab ipſa origine mundi. non igitur à Chriſto homine facti ſunt Throni. Nam quod aiunt Thronorum officia eſſe immutata à Chriſto, figmenta delirantium & ſomnia ſunt ſine vllo ſcripturæ teſtimonio aſſerta. Neq; enim decebat, vt Chriſtus Angelos ſuis dignitatibus, quas Diuinitùs ab ipſa origine mundi acceperant, & conſtanter ſemper retinuerant, ſpoliaret eorumq; Rempublicam perturbaret. Neq; Paulus alios thronos ait eſſe conditos à Chriſto, niſi eos qui in ſcriptura dicuntur Throni, quiq; à mundo condito ſunt throni.

Arianũ aniles fabulæ, & ſomnia.

Deinde Paulus ait, *in ipſo condita omnia viſibilia & inuiſibilia*, abſolutè, nulla facta mentione officiorum. quo ſignificare voluit naturas omnes viſibiles & inuiſibiles eſſe conditas. Angeli enim ratione naturarum ſuarum dicuntur inuiſibiles: & res viſibiles ac inuiſibiles abſolutè dictæ, ratione naturarum ſuarum ſunt viſibiles &

biles & inuiſibiles. Denique ſi ab ipſa Chriſti in terris origine, iubentur Angeli Chriſtum adorare, vt Deum, quomodo non fuerunt illi, vt Deo ſubiecti. Id verò ait Paulus Hebr: 1. 6. *& cùm iterum* inquit, *primogenitum introducit in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* nam cùm Smalcius probat ſermonem hoc loco eſſe de introductione in orbem terræ futurum, quia Paulus cap. 2. ait ſe loqui de orbe terræ futuro, ineptiſſimam ſanè probationem adhibet. Si enim Paulus in cap: 2. de alia re loquens addit, ſe tunc loqui de orbe terræ futuro, quis, niſi ſtultus, inde colligat, etiam alibi, cùm ea de re non ageret, locutum eſſe de orbe terræ futuro. In cap: enim ſecundo agit de ſubiectione orbis terræ, quæ deſcribitur in Pſalmo octauo, eamq; accipiendam eſſe docet de orbe terræ futuro. in capite verò primo de alia re agit, nempe de introductione primogeniti in orbē terræ, eamq; ex alio ſcripturæ loco demonſtrat.

Temeritas Smalcij confutatur.

Error Smalcij, & locus Pauli expoſitus.

At enim Smalcius, Paulus cùm ait, *non enim Angelis ſubiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur*; putat illa verba, *de quo loquimur*, ad orbem terræ, cuius in præcedēti cap: meminerat referri, quod falſiſſimū eſt. de eo enim tantum orbe terræ, cuius in 2. cap: meminit, ait ſe loqui. hoc eſt de orbe terræ ſubiecto Chriſto, qui eſt orbis terræ futurus; imo ideò addit, *de quo loquimur*, vt eſſe alius orbis terræ, ab eo de quo ſupra locutus erat, intelligeretur. Nam in capite primo, quia de proprio orbe terræ locutus eſt, non oportebat addere hanc exceptionem: in capite verò ſecundo, quia non de proprio orbe terræ loquebatur, ſed de futuro, idcirco clarè expreſſit, ſe de alio orbe terræ, id eſt futuro, agere. Addo, cùm Pſalmus octauus de vero orbe terræ loquatur, myſticè verè orbis terræ futurus deſignetur, meritò Paulus, locum Pſalmi, à proprio orbe terræ, ad myſticum applicans, explicatione illa vti debuit, vt doceret verba Pſalmi, non in proprio ſed in myſtico ſenſu accipienda eſſe. tantùm verò abeſt, vt Paulus indicauerit ſe ante quoq; de orbe terræ futuro locutum, vt oppoſitum potiùs indicet, nempe ſe nunc de orbe futuro loqui, cùm ante locutus non fuerit: vt idcirco addi oportuerit, *De quo loquimur*, ne de illo orbe, de quo ante locutus erat, etiam nunc loqui putaretur.

Occurritur difficultati.

Neq; verò illa particula, *iterum*, mouere quempiam debet, vt exiſtimet neceſſarium eſſe, non de prima, ſed de ſecunda primogeniti introductione in orbem terræ, Pauli verba intelligere. illa enim particula non ad introductionem, ſed ad nouum de Chriſto teſtimonium re-

Digitized by Google

nium refertur, vt bene interpretes notant. Similes enim particulæ alijs quoq; ſcripturæ teſtimonijs, in eodem capite præponuntur. *Et rurſum,* &, *ad Filium autem.* Quare & hîc cùm dicitur, *Et iterum,* nouum ſcripturæ teſtimonium indicatur. Et ſanè verbum ipſum introductionis abſolutè poſitum poſtulat, vt de prima introductione intelligatur. Introducitur enim quis abſolutè, tunc cùm primùm introducitur, eò vbi ante non fuit; cùm verò ſecundò vel tertiò ingreditur, non dicitur introduci, ſed vel redire vel intrare. Quæ non ideo à me dicuntur, vt negem eadem Pſalmi verba de adoratione Chriſti ab Angelis, ad ſecundum quoq; Chriſti aduentum in mundum accõmodari poſſe; cùm Pſalmus 96. ex quo ea verba deſumpta ſunt, de Chriſti ad iudicium aduentu vaticinium contineat, ſed quòd ex mẽte Pauli præcipuè ad primum Chriſti aduentum accõmodentur. Prima enim in orbem terrarum introductio, eſt abſolutè introductio. Cùm verò Ariani exponunt de introductione in orbem terræ futurũ, id eſt in illam immortalitatem cœleſtem: id huic expoſitioni maximè obſtat, quod abſolutè de orbe terræ, non de futuro orbe terræ, vt in cap: 2. loquatur Paulus. Orbis autem terræ abſolutè poſitus, hunc aſpectabilem orbem terræ ſignificat.

Affingit Smiglecio dolum Smalcius, cùm ipſe malitioſus ſit in torquendis ſcripturis.

Non igitur doloſè agit Smiglecius, vt Smalcio videtur, cùm verba Pauli de introductione in orbem terræ abſolutè poſita, de hoc orbe terræ aſpectabili intelligi vult, ac ſi in textu ipſo poſita eſſent, cùm ea expoſitio in textu ipſo contineatur. Potiùs malitioſè agit, Smalcius, cùm ea, quæ de alio orbe terrarum, à Paulo dicta ſunt in capite ſecundo, allegat, ac ſi de eo orbe terrarum dicta eſſent, de quo agitur in capite primo: cùm ſatis conſtet, vti in capite ſecundo agit de orbe terræ myſtico, ita in primo de proprio. Orbis enim terræ abſolutè poſitus, hunc aſpectabilem deſignat: vt omnia ſcripturæ loca, in quibus fit mentio abſoluta orbis terræ, teſtantur.

Chriſtus, quia primo genitus, Dominus.

Adhæc ſi Chriſtus eſt *primogenitus omnis creaturæ,* vt teſtatur Paulus Coloſ: 1. 16. Primogenitus autem Regis, eſt naturalis Dominus regni: quare & Chriſtus cùm ſit primogenitus Patris, qui eſt Rex & Dominus omnis creaturæ, eſt ipſe quoq; naturalis Dominus omnis creaturæ, quare & Angelorum. & ſicut ante reſurrectionem erat Filius primogenitus: ita & Dominus omnis creaturæ atq; adeò & Angelorum. neceſſe igitur eſt, vt Angeli, qui ſunt naturà miniſtri Patris, ſint quoq; miniſtri primogeniti Filij eius. Nam quod ait Smal-

Angeli naturà Miniſtri Dei.

eius poſſe eſſe miniſtros Patris, qui ſunt pares Filio. id de miniſtris voluntate, non ſubiectione verum eſt. Angeli verò ſunt Dei miniſtri naturâ & ſubiectione. Similiter ſermo eſt non de Rege liberè electo, ſed de naturali Domino regni. Quocirca cùm legimus Angelos Chriſto in deſerto miniſtraſſe, non alia ratione, niſi vt Domino ſuo miniſtraſſe credendi ſunt. Nobis enim, vt pupillis curatores, iuſſu Dei miniſtrant; Chriſto verò, qui hac cura non eguit, vt Domino & Principi. quia vt primogenito Filio Dei, ac proinde naturali & hæreditario Domino ſuo.

Chriſtus duplici titulo rerum Dominus.

Cùm verò Smalcius ait, Chriſtum poſt reſurrectionem primùm
conſtitutum *hæredem vniuerſorum.* Hebr. 1. dicendum eſt, Chriſtum
duplici quaſi titulo eſſe hæredem vniuerſorum: alter titulus eſt Filij.
1. filius enim eſt hæres naturalis regni Patris. Alter Redemptoris, ſiue
2. ſanguine ſuo omnes à ſeruitute Dæmonis liberando, & in libertatem
filiorum Dei aſſerendo, iure ipſo redemptionis omnes ſibi comparauit, & Dominus omnium factus eſt: ſiue quòd in præmium paſſionis & mortis *gloria & honore coronatus eſt*, omniumq; Dominus & hæres conſtitutus. Priori titulo ſemper fuit Dominus & hæres vniuerſorum, atq; adeò Angelorum: ſicut ſemper fuit Filius primogenitus: poſteriori verò poſt reſurrectionem eſt hæres conſtitutus. de quo fuſiùs infra.

Cõfirmatur doctrina Smiglecij de Chriſti in Angelos poteſtate. Reſponſio Smalcij plena erroribus.

Denique in monſtris Arianiſmi ita ſumus argumentati: Chriſtus fuit ante mortem Dominus hominum, ergo & Angelorum. *Angeli* quippe *ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* vt dicitur ad Hebr: 1. 13. neceſſe igitur erat, vt & ipſi Chriſto ſubiecti eſſent, tanquam auctori ſalutis, & ex eius nutu voluntateq; in procuranda hominum ſalute penderent. Hoc argumentum diſſoluit Smalcius, negando Chriſtum fuiſſe ante mortem, omnium hominum Dominum abſolutum. negat etiam Angelos fuiſſe miſſos ante annunciatam & confirmatam ſalutem, propter illos qui ſalutem eſſent conſecuturi. id enim contradictionem implicare arbitratur. Ad extremum ſi tunc fuerant miſſi, non Chriſti ſed Dei auctoritate id factum eſſe, quod vel inde conſtare ait, quòd ipſe Chriſtus per Angelos à Deo ipſi additos vel miſſos, cuſtoditus & confirmatus fuit.

Primus error Smalcij, Chriſtum no

Verùm reſponſio Smalcij tot errores, quot verba continet. Error enim eſt dicere, Chriſtum aliquorum tantùm hominum, non omnium

mnium fuiſſe Dominum: qua enim ratione aliquorum fuit Dominus, eadem omnium. Sicut enim aliquos, ita & omnes æquè poterat ad ſuam fidem & obedientiam obligare, & ſibi ſubijcere: *Si enim* inquit, *non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem non habent excuſationem de peccato ſuo.* Ioan: 15. 22. Peccabant igitur omnes, quicunq; Chriſto docenti non parebant: & quemadmodum ij, qui tunc Chriſtum docentem audiebant, non obediendo illi, nec agnoſcendo illum pro Chriſto & Domino, peccabant: ita proculdubio omnes alij peccaſſent, qui prædicationi illius non obtemperâſſent, & illũ eſſe verũ Meſſiā & Dominũ ſuum non credidiſſent. *omnium hominum fuit Dominus in terris viuēs.*

Nam quod Smalcius ait, nondum ad Gentes Chriſtum pertinuiſſe, cùm ad ſolos Iudæos miſſus eſſet, Matt: 15. 24. id non facit quominus Gentium quoq; Dominus eſſet: etiamſi præcipuè ad Iudæos miſſus eſſet: ſicut enim Iudæos, ita & gentes potuit obligare ad ſuam fidem & obedientiam. quod ſi re ipſa gentibus non prædicauit (paucis quibuſdam exceptis) id non facit, quo minus poteſtatem, vt Dominus habuerit omnes gentes ſuis præceptis obligandi & ſibi ſubijciendi. Non enim tunc ſolùm, quis eſt Dominus, cùm actu imperat & præcipit, ſed etiam cùm ius & poteſtatem habet imperandi & obligandi. & ſicut illi gentiles, qui Chriſtum prædicantem audierant, obligabantur in illum credere, & pro Domino atq Meſſia ſuo agnoſcere: ita & alij omnes gentiles. Nam ignorantia ſolùm excuſabantur, quòd illum pro Domino ſuo non agnoſcerent, cùm Chriſtus reuera eſſet Dominus: & ſicut ab aliquibus agnitus eſt pro Domino: ita & ab omnibus. *Chriſtus & gentium Dominus fuit & Iudæorũ.*

Neque valet illa Statorij reſponſio, potuiſſe omnes Chriſtum tunc pro Deo & Domino ſuo agnoſcere & colere: non tamen fuiſſe obligatos. Re ipſa enim obligabantur, eum pro Deo ac Domino ſuo agnoſcere, qui Deus & Dominus erat: verùm excuſabantur à peccato propter ignorantiam ſuæ obligationis, vt Chriſtus ipſe loco citato affirmat. Is enim propriè excuſatur propter ignorantiam à peccato, qui ignorat id, quod alioqui tenetur facere. Nam qui nullam habet obligationem faciendi, hic non ignorantia excuſatur à peccato: ſed re ipſa, quòd nullam habuerit obligationem faciendi. *Statorius refutatus.*

Error etiam eſt, Angelos ante ſalutem à Chriſto annunciatam & confirmatam, non fuiſſe ad hominum ſalutem procurandam miſſos. id enim vel vnicus ille locus abunde docet, vbi Chriſtus ait, Mat. *Secundus error. Angelos Ante Chriſtum*

 18. 10.

curam homi-num nō ha-buiſſe.

18 .10. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Docet enim, quemlibet Angelum ſuum habere ad procurandam proculdubio corporis & animæ ſalutem: monetq; ne quiſquam illos ſcandalizet, eò quòd quilibet eorum, ſuum Angelum habeat, talis ſcandali vindicem. Quare negari non poteſt, niſi à proteruo & peruicaci, Chriſto ſalutē prædicāte Angelos cuſtodes hominibꝰ adfuiſſe, à quibus in ea, quæ annunciabatur, ſalute dirigerentur & iuuarētur.

Tertiũ error Angelos à Chriſto non miſſos.

Error etiam eſt aſſerere, Angelos tunc fuiſſe miſſos, non Chriſti ſed Dei auctoritate. Si enim vera eſt Chriſti apud Ioannem cap: 5. argumentatio: *Pater meus vſque modo operatur & ego operor: & quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit,* verè etiam licebit argumentari. Si Dei auctoritate Angeli tunc fuêre miſſi, Chriſti quoq; auctoritate miſſos eſſe. quanquam in præſenti negotio, non eſt neceſſe nos oſtendere, Angelos fuiſſe à Chriſto miſſos ad procurandam ſalutem hominum, ſed ſatis eſt, quòd in ſalutis procurandæ negotio, Chriſto ſubiecti eſſent, ab eiuſq; nutu & voluntate penderent. quippe qui auctor & præcipuus Dux ſalutis hominum eſſet ἀρχηγος, Act: 3. 15.

Veriſſimè igitur à nobis ſcriptum eſt, Chriſtum, cùm adhuc mortalis eſſet, vno nutu, ſi voluiſſet, euocare, quotquot vellet, Angelos potuiſſe, illisq; pro arbitrio miniſterium præſcribere. quod etſi

Veritas Ariano falſitas eſt.

ipſiſſimam falſitatem dicat eſſe Smalcius: ea tamen, falſitas eſt infidelibus Arianis; fidelibus autem veritas ipſiſſima, qui ex ſcripturis didicerunt, Chriſto eſſe omnia cōmunia cùm Patre, eundemq; Chriſtum & conditorem Angelorum & Deum ac naturalem ſeu hæreditarium Dominum eorundem eſſe.

Cùm verò Chriſtus Matt: 26. 53. ait. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* non negat, ſe per ſeipſum aduocare duodecim legiones Angelorum potuiſſe: quippè qui erat tùm Patri æqualis, & quæ Pater feciſſet, ipſe quoq; ſimiliter feciſſet; ſed quod in ijs ipſis, quæ per ſeipſum facere poterat, Patri deferebat, quo ſe minorem naturæ humanæ reſpectu intelligebat. Sic & in reſuſcitatione Lazari Patrem inuocabat, ad id, cuius efficiendi poteſtatem ipſe quoq; plenam habebat.

Smalcij inconſideratio tangitur.

Quod ſi conſideraſſet attentiùs Smalcius, non tam facilè dixiſſet, iſta duo è diametro pugnare, orare & ſummam poteſtatem habere. etenim qui orat ex neceſſitate, is proculdubio plenam poteſtatem rei faciendæ non habet. Chriſtus autem non neceſſitate ſed volun-

tate ora-

Digitized by Google

tate ora... vt & Patris gloria magis eniteret, & ſe eſſe à Patre miſſum confirmaret. Deferre inquit, Patri Chriſtus quomodo potuit, ſi idem Deus cum Patre fuit, & per omnia illi æqualis? Atqui humanæ naturæ reſpectu, & minor Patre fuit, & deferre illi tanquam maiori potuit.

Sed iam ad obiecta Smalcij diſſoluenda veniamus. ac inprimis, cùm ſic argumentatur. *Eius rationes expediuntur.*

Chriſtus in Paſſione fuit minor Angelis. non igitur habuit tunc ſummam poteſtatem in Angelos. Conſecutio hæc nullius eſt momenti: poteſt enim quis, in aliquo minor eſſe altero, in alio verò maior. Chriſtus igitur, etſi minor fuerit Angelis, ſiue carnis natura, ſiue tolerantia mortis, vt innuit Apoſtolus ℣. 9. (pati enim & mori poterat, quod in Angelos non cadit) poteſtate tamen fuit æqualis Deo, ac proinde maior Angelis, & ſummum ius in Angelos habuit.

At enim inquit, Si Chriſtus in paſſione fuit confortatus ab Angelo, non habuit tunc ſummam poteſtatem in Angelos. Et hæc conſecutio nulla eſt. quis enim non videt, Dominum ſi à ſeruo conſolationem capiat, non idcirco deſinere eſſe Dominum, nec amittere ius & poteſtatem in ſeruum. Accedit, quòd Chriſtus non ex neceſſitate fuit indigus conſolationis, ſed ex nimia ſua charitate; qua ſicut volens ſubiecit ſe paſſioni & morti noſtra cauſa: ita & triſtitiæ illi afflictioniq;, ratione cuius voluit ab Angelo confortari. Hæc igitur confortatio ab Angelo, non defectũ poteſtatis in Chriſto arguit, ſed affectũ nimiæ charitatis, quo ſe omni cõſolatione pro nobis priuauit.

Quo etiam modo dicendum eſt, cùm Smalcius ait Chriſtum ab Angelis cuſtoditum, Marci 1.13. non enim cuſtodia Angelorum eguit, vt infirmas & fragilis, ſed miniſterium admiſit, vt Dominus: cuius etiam miniſterij, non cuſtodiæ, meminit Marcus citato loco. *Chriſtum ab Angelis cuſtoditum falſò Smalcius aſſerit.*

Deniq; cùm Petrus ait, Chriſtum profectum *in cælos ſubiectis ſibi Angelis & poteſtatibus*: non ita accipiendum eſt, quaſi tunc primùm cæperit eſſe Dominus Angelorum, & poteſtatẽ in eos habere, ſed quòd tum re ipſa & in effectu clariſſimè hoc dominium in eos exercuit, & declarauit ſe eſſe Dominum Angelorum. & quamuis poteſtate ſemper eos habuit ſibi ſubiectos; poſt reſurrectionem tamen etiam re ipſa, & vſu poteſtatis ampliſſimo. *Locus D. Petri exponitur.*

Ex æqualitate Chriſti cum Patre perfecta Chriſti poteſtas demonſtratur. CAP: V.

PRæter ea, quæ adduximus, Scripturæ clariſſima teſtimonia de perfecta Chriſti poteſtate, quam Ariani imperfectam & mutilam eſſe volunt: illud quoq; premit aduerſarios potentiſſimè, quòd cùm Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore fuerit æqualis Deo, neceſſariò quoq; debuerit eſſe æqualis poteſtate. Etenim *cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit.* Phil. 2. quid clarius? quid illuſtrius? Nam ſi forma Dei, qua erat æqualis Deo, ſit natura Dei, vt omnes Catholici credunt, non dubium eſt eum qui naturâ Deo æqualis eſt, eſſe quoq; poteſtate æqualem. Si verò forma Dei, ſit Diuina poteſtas, vt aduerſarijs placet, neceſſe quoq; erit, Chriſtum ante ſuam exinanitionem & humiliationem ad mortem, fuiſſe Deo poteſtate æqualem, ac proinde non imperfectam, ſed plenã & perfectam poteſtatẽ in omnia habuiſſe. non enim poteſt cogitari maior poteſtas illa, quæ eſt par & æqualis Diuinæ poteſtati.

Qui Deo naturâ æqualis eſt, eſt etiam poteſtate.

Neq; verò dubitari poteſt, aſſeri hoc loco à Paulo, Chriſti æqualitatem cum Deo. Non enim (vt quidam parùm conſideratè dixerunt) Paulus dixit, Chriſtum non eſſe arbitratum facere hanc rapinam, vt eſſet æqualis Deo, ſed eſſe ſe æqualem Deo, non arbitratus eſt eſſe rapinam. quod eſt, ſuam æqualitatem, quam habebat cum Deo, non exiſtimaſſe rapinam eſſe. vt idcirco vereri & recuſare poſſet humiliationem: vti faciunt ij, qui per faſtum aut vim, honorem rapiunt: partim enim nolunt, partim timent ſe humiliare, ne honorem illum periculo exponant. At Chriſtus libens & intrepidè humiliauit ſeipſum, ſciens ſe illum honorem & æqualitatem cum Deo, nec cum faſtu poſſidere, vt nollet: nec cum vi & rapina vt timeret humiliari. quòd verò hanc æqualitatem cum Deo ante mortem habuerit, dubitari non poteſt, ſicut & formam Dei, in qua erat æqualis Deo. Hac enim æqualitate non obſtante exinaniuit ſeipſum, & humiliauit vſq; ad mortem.

Reſponſio Smalcij inualida oſtenditur.

Reſpondet Smalcius, hanc æqualitatem, non fuiſſe abſolutam, & abſolutè parem poteſtati Diuinæ, ſed in certo genere rerum. hoc eſt in nobis ſaluandis. At nôn euadet hinc tam facile, vt putat Smalcius. Nam etiam poſt reſurrectionem negant iſti Chriſto abſolutam æqualitatem cum Patre; & tamen fatentur eſſe poteſtatem perfectã & ſummam. quia eſt æqualis perfectæ & ſummæ poteſtati Diuinæ.

ergo pari

Digitized by Google

ergo pari ratione, negare non poſſunt, ante reſurrectionem fuiſſe perfectam in Chriſto poteſtatem, cùm fuerit æqualis Diuinæ, quantumuis ea æqualitas non eſſet abſoluta. Quocirca aut negare debent Ariani Chriſtum ante reſurrectionem fuiſſe æqualem Deo, contra expreſſa Pauli verba; aut ſi id negare non poſſunt, non poterunt etiam vllo modo negare ante reſurrectionem perfectam in Chriſto poteſtatem fuiſſe, vtpote æqualem poteſtati Dei. quæ enim poteſtas eſt æqualis perfectæ poteſtati, ipſam quoq; perfectam eſſe neceſſe eſt. Nam etſi quia non eſt abſolutè æqualis, non eſt abſolutè perfecta: tamen quia ponitur in aliqua ratione æqualis, erit in illa eadem ratione æquè perfecta: alioqui ſi id negetur de poteſtate Chriſti ante reſurrectionem, pari ratione negãdum idem erit de poteſtate Chriſti poſt reſurrectionem, cùm vtrobiq; dicatur eſſe æqualis poteſtati Diuinæ.

Quanquam Ariani, ſi in ſua ſententia de Chriſti poteſtate perſiſtant, nullo modo affirmare poſſunt, Chriſtum fuiſſe poteſtate æqualem Deo, neq; ante reſurrectionem, neq; poſt. Nam Chriſti poteſtatem non abſolutè eſſe æqualem arbitrantur Diuinę poteſtati, ſed in certo tantùm genere, id eſt in nobis ſaluandis. Atqui ante reſurrectionem non concedunt Chriſto poteſtatem æqualem Dei poteſtati etiam in nobis ſaluandis. quippe cùm contendant non omnem poteſtatem in nobis ſaluandis tùm habuiſſe, videlicet neq; poteſtatem peccata perfectè dimittendi, neq; Spiritũ S. dandi; neq; nos immortales reddendi, nec omnibus hominibus, Dæmonibus, Angelis imperandi, vt ex cap: 3. manifeſtum eſt. Si igitur non omnem poteſtatem ſaluandi Chriſtus ante reſurrectionem habuit, ſequitur non habuiſſe parem ac æqualem Diuinæ poteſtati, ſed multò minorem: ſiquidẽ multæ eius poteſtatis partes in ea deſiderentur. Si enim æqualis poteſtas, eſt tanta poteſtas, quanta in Deo ad nos ſaluandos. Chriſtus autem ante reſurrectionem, non tantam quantam Deus habuit poteſtatem ad nos ſaluandos: ergo ne in poteſtate quidem nos ſaluandi fuit æqualis Deo. Quare cùm nec abſolutè, nec in certo genere poteſtatis fuerit æqualis Deo, nullo modo fuit æqualis Deo, contra Apoſtolum hanc æqualitatem Chriſto tribuentem.

Ariani repugnare Apoſtolo ſeſe nolint debēt

Poſt reſurrectionem etiam non poſſunt in ſua ſententia tribuere Chriſto æqualitatem cum Deo, nec abſolutam, vt vltro fatentur, nec in certo rerum genere. quod oſtendo. Nam Chriſtus poſt reſurrectionem ſecundum ipſos, ſaluat nos, pro nobis offerẽdo, in cœlo interpellan-

Chriſtus etiam poſt reſurrectionẽ nullo modo Deo æqua-

lis iuxta Arianos. terpellando pro nobis, & Deo ſe ſubijciendo. Deus verò ſaluat nos abſolutè, ſua poteſtate abſoluta & independenti, nulli ſe pro noſtra ſalute ſubijciendo: quæ eſt magna admodum inæqualitas poteſtatis ſaluandi. Deinde Chriſtus ſaluat nos dependenter à ſuo ſanguine, & redemptione facta. Deus autem ſua poteſtate abſoluta nullis medijs eſt ſubiectus, nec ab vllis medijs dependet: cùm etiam ſine Chriſti ſanguine poſſit nos ſaluare. Quare ne in nobis quidem ſaluandis poſſunt affirmare in ſua ſententia, Chriſtum æqualem cum Deo poteſtatem habere: niſi ad Catholicam ſententiam ſe transferant, & agnoſcant in Chriſto non ſolùm poteſtatem nos ſaluandi per redemptionem & ſanguinem, & ſacrificium, quæ conuenit Chriſto, quà homo eſt, ſed etiam abſolutam, quæ illi, vt Deus eſt, conuenit. eius enim reſpectu dicitur abſolutè æqualis Deo.

Ineptia Smalcij detecta. Futiles enim ſunt Smalcij ratiunculæ, quibus ſuaderi exiſtimat, Chriſtum non eſſe abſolutè æqualem Deo. Chriſtus enim, inquit, cùm ſit homo, non poteſt eſſe tantus, quantus Deus ac proinde nec æqualis: quaſi verò Chriſtus, quà homo eſt, & non, quà Deus eſt, dicatur æqualis Deo. Nam & Paulus, cùm eum æqualem Deo dixit, nominauit formam Dei, in qua eſſet æqualis Deo: in forma enim ſerui & hominis eſt multo minor & inæqualis. rectèq; Catholici concludunt; Cùm homo, quà homo, non poſſit eſſe æqualis Deo, neceſſe eſſe Chriſtum Deum verũ eſſe: alioqui eſſe æqualis Deo nõ poteſt.

Deinde ait de ea æqualitate Paulum locutum, quam Chriſtus non habuerit pro rapina, quamq; pro rapina habere potuerit, quod de illa æqualitate abſoluta dici non poteſt. At minimè neceſſe eſt, Chriſtum potuiſſe habere pro rapina ſuam æqualitatem: neq; id modus loquendi requirit. Satis enim eſt ad dictum modum loquendi, quod non habuerit pro rapina: ſicuti alij habere ſolent, cùm rapiunt alienos & ſibi non debitos honores: ſicut & lucifer per rapinam ſibi arrogauit cum Deo æqualitatem: *ero* inquit, *ſimilis altiſſimo.*

Deniq; cùm ait æqualitatem iſtam, talem fuiſſe, quam Chriſtus deponere, & qua ſeipſum priuare ad tempus potuit. At Deus nunquam poteſt deponere ſuam æqualitatem, quia non poteſt deſinere eſſe tantus, quantus eſt. non igitur Chriſtus abſolutam illam cum Deo æqualitatem, qua tantus eſſet, quantus ipſe Deus, habuit.

Chriſtus nũquam depo- Dico vti veriſſimũ eſt, Deum ſuam æqualitatem deponere nullo modo poſſe, niſi Deus eſſe deſinat: ita falſiſſimum eſt, Chriſtum aliquando

aliquando ſuam æqualitatem cum Deo depoſuiſſe. primùm quod Apoſtolus diſertè ait, Chriſtum ſeipſum exinaniſſe, non deponendo formam Dei, qua erit æqualis Deo, ſed accipiendo formam ſerui, qua erat ſimilis hominibus. Quæ ergo temeritas Smalcij eſt, longè aliter hanc exinanitionem interpretari, quàm eam Paulus explicârit? Optimè enim ea exinanitio in forma ſerui intelligi abſq; vlla depoſitione formæ Dei poteſt ac debet. Vt enim ſi Rex aliquis aut Princeps à rebellibus ſubditis indignè tractetur vt vilis aliquis ac vulgaris homuncio; non illico neceſſe eſt, vt Rex eſſe deſinat, nec poteſtate Regia in ſubditos priuatus exiſtat, nec tantus in ſeipſo eſſe ceſſet, quantus ante pro ſua Regia dignitate fuit; licet non tantus apud illos rebelles habeatur: ita Filius Dei cùm in forma ſerui omnes miſerias atq; adeò mortem ipſam crucis ignominioſam ab hominibus excepit, non idcirco neceſſe erat, vt Deus eſſe deſineret, & omni Diuina poteſtate, qua erat æqualis Deo, priuatus; ſed ſolùm, quòd cùm Deus eſſet, & tantæ in ſe dignitatis & maieſtatis, vt eſſet æqualis Deo: tamen non pro ſua Diuina dignitate habitus & tractatus ſit.

ſuit æqualitatem cum Deo. Smalcius à Paulo diſſentit.

Deinde idem ratione quoq; efficaciſſima probamus. nam formam Dei & æqualitatem Chriſtus deponere non poterat, niſi deſineret eſſe Deus, & Filius Dei. Atqui toto illo exinanitionis ſuæ tēpore, Chriſtus non deſiit eſſe Deus, aut Filius Dei. ergo toto illo exinanitionis tempore formam Dei & æqualitatē non depoſuit. Minorem ita probo. Nam quod ad exinanitionem attinet, eam Paulus collocat in Formæ ſerui acceptione. ita enim ait: *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* magna enim Domini exinanitio eſt, fieri ſeruum, & vt ſeruum tractari. Atqui dum formam ſerui acciperet Chriſtus, non deſijt eſſe Deus & Filius Dei. ergo cùm ſe exinaniret, non deſijt eſſe Deus & Filius Dei. ſiue enim tunc formam accepit, cùm homo factus eſt, quod & Catholici credunt, & Paulus hoc locò indicat, formam ſerui vocans ſimilitudinem hominum & habitum hominum: eſt enim humana natura ſerui natura, ſi ad Dei naturam comparetur: ſicut natura Dei, eſt natura Domini: ſiue tunc formam ſerui accepit, cùm vt ſeruus tractari cœpit, capi, ligari, flagellari, crucifigi, vti aduerſarij volunt: certè vtrumuis dicatur, Chrîſtus in forma ſerui, ſuam Diuinitatem retinuit, nec deſijt eſſe Deus, & in forma Dei: alioqui toto paſſionis tempore non fuiſſet Deus, nec Dei Filius: neq; tunc credi à quoquam Deus & Dei Filius potuiſſet.

Chriſtus ſi depoſuiſſet æqualitatē cum Deo, depoſuiſſet & naturam Filij Dei.

Digitized by Google

iſſet. quod tamen ita à vero abhorret, vt etiam tunc Diuinitatem ſuam declarauerit Chriſtus, cùm & Caiphæ adiuranti, ſe eſſe Filium Dei benedicti faſſus eſt, & Pilato interroganti an Rex eſſet, reſpondit, ſe eſſe Regem non de hoc mundo, ſed cœleſtem planè & Diuinũ. Malcho etiam dum caperetur, auriculam abſciſſam Diuina ſua virtute reſtituit. Latro ſimiliter in cruce, eum Dominum ſuum & Regni illius cœleſtis Regem agnouit, eidemq; Chriſtus paradiſum mox promiſit. Centurio itidem cum ſuis, videns & terræ motũ, & quòd clamans expiraſſet, ex ijs veluti Diuinitatis eius argumentis credidit, & confeſſus eſt, illum in cruce morientem fuiſſe Filium Dei: *Verè hic homo,* inquit, *Filius Dei erat,* Mar: 15. 39. Matt: 27. 54. Deniq; Paulus ipſe, Chriſtum in cruce patientem, Filium Dei fuiſſe diſertè fatetur, Hebr: 5. 8. *Cùm eſſet, Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam.*

Veritate Smalcius cõuictus aliquid fatetur, in aliquo halluci natur.

Tandem & Smalcius in cap: 12. veritate ipſa cogente, fatetur Chriſtum in cruce fuiſſe Filium Dei & Deum: in morte tamen formam Dei amiſiſſe, cùm mori & deſinere eſſe idem ſint, in eoq; potiſſimùm exinanitionem, quam Paulus commemorat, ait eſſe poſitam. Sed turpiter hallucinatur Smalcius: primùm quòd Paulus nõ loquatur de exinanitione formæ ſerui, ſed de exinanitione in forma ſerui, quam Chriſtus, in forma ſerui accepta & retenta, habuit: *Formam* inquit, *ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Atqui mori, non eſt formam ſerui accipere, ſed amittere; non eſt in ſimilitudinẽ hominum fieri, ſed eſt ſimilitudinem hominũ perdere: nec eſt habitu inueniri, vt hominẽ, ſed eſt habitu inueniri, vt nõ hominem. Non igitur Paulus de ea exinanitione, quæ fuit in morte & ex morte, loquitur; ea enim eſt exinanitio formæ ſerui, non in forma ſerui, ſed de ea quæ mortẽ præceſſit, & fuit ipſius mortis cauſa; nec dicit, Chriſtum humiliaſſe ſeipſum in morte, ſed factũ fuiſſe obedientem vſq; ad mortem, ponens humiliationem in illa obedientia peracta, ad quam ſe demiſit, cùm ex mãdato Patris ſubiecit ſe tam acerbæ paſſioni & morti. Obedientia enim ad mortem ſeu ſubijciendum ſe morti, mortem præceſſit, tanquam ipſius cauſa. Quocirca Smalcius ſua reſponſione, Potiùs formæ ſerui, quàm formæ Dei depoſitionem adſtruit. nam quòd in morte Chriſti, forma ſerui amiſſa ſit & exinanita, nemo dubitat: licet de tali exinanitione non loquatur Paulus: quod verò ſit amiſſa & exinanita forma Dei, Pau-

Smalcius aliud dicit, aliud dictum ſtult.

lus non

Digitized by Google

lus non dicit, ſed Smalcius. qui eſt ſecundus lapſus Smalcij. Etenim Chriſtum mori, eſt deſinere eſſe hominem, non verò eſt deſinere eſſe Deum, niſi forte ex mente Smalcij, non Pauli. Paulus enim nihil tale loquitur, ſed Smalcius ex ſua erronea opinione, qua putat Chriſti Diuinitatem fuiſſe accidens illius hominis, infert deſinente homine illo, Diuinitatem quoq; deſijſſe. quippe accidentia deſinunt, quando eorum ſubiecta deſinunt. At nos, qui Chriſti Diuinitatem non accidens, ſed naturam eſſe confitemur, minimè concedimus aut concedere debemus, Chriſto mortuo, ipſius quoq; Diuinitatem extinctam eſſe. Homine enim mortuo, Deus manſit, qui etiam hominem illum ad vitam reuocauit. Diſertis enim verbis Chriſtus hanc ſe poteſtatem (quæ proculdubio Diuina erat) & ſumendi iterum animam ſuam, & templum corporis ſui reædificandi ait habuiſſe. non igitur morte perijt, eius Diuinitas. *Smalcij Diuinitatem Christi, accidens putat eius humanitatis.*

Eadem Diuina poteſtate, Chriſtus illo ipſo die, quo mortuus eſt, Latronem induxit in paradiſum, & deſcendens in infernum, in eo ſpiritu, in quo ſe viuificauit, his qui in carcere erant, Spiritibus prædicauit. 1. Pet: 3.19. Idq; etiam ex eo ipſo, de quo agimus, loco deducitur. Etenim ſi Chriſtus talem formam Dei habuit, qua eſſet æqualis Deo, ex conſequenti talem Diuinitatem habuit, quæ eſſe nunquam deſineret. nam Diuinitas deſinens eſſe, non eſt æqualis Diuinitati, quæ non poteſt deſinere. *Christus mortuus Deus fuit.*

Peſſima igitur eſt Smalcij conſecutio, cùm ex morte Chriſti, Diuinitatis quoq; mortem ac interitum infert: cùm hæc illatio non ex Pauli verbis, ſed ex Smalcij abſurdis & præconceptis erroribus contra ſcripturas, inferatur. Ex quibus etiam patet, exinanitionem, de qua Paulus loquitur, non in depoſitione formæ Dei, ſed in ſuſceptione formæ ſerui, & demiſſione illa ac obedientia, qua ſe paſſioni & morti Chriſtus ſubmittere voluit, poſitam eſſe; nec in morte, ſed ante mortem factam eſſe: neq; quomodo per mortem ſe exinaniuerit Chriſtus, docet Paulus; ſed quomodo ſe infirmitati & malis omnibus vſq; ad ipſam mortem ſubijciendo, exinaniuerit & humiliauerit ſeipſum. *Smalcio, dū Christus moritur etiam Diuinitas interit.*

Obijcit Smalcius, Deum eo die, quo Chriſtū ſuſcitauit ex mortuis, Filium ſuum genuiſſe, vt dicitur Act: 13.33. & Hebr: 5.5. quod ſignum eſt, Filium Dei per mortem eſſe deſijſſe. At negandum eſt, ſcripturas vſpiam dicere, Filium Dei eſſe per reſurrectionem genitū. *Obiectio Smalcij emendata.*

Nam in Actis non dicitur, Deum, reſuſcitando Chriſtum, ipſum genuiſſe. Vnde enim hoc colligi poteſt? an quia citatur locus Pſalmi ſecundi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* At non citatur ad reſurrectionem comprobandam, ſed ad oſtendendum promiſſiones de mittendo Saluatore impleuiſſe Deum, cùm Chriſtum reſuſcitauit. Quis enim & quantus ſit Chriſtus, quamq; ad ſaluandum efficax, id ex eo patet, quod Pſalmo 2. ad eum dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Neq; verò reſuſcitatio propriè generatio dicitur, (quanquam regeneratio dici poſſit) nec aliquid eſt, quòd vrgeat generationem de reſurrectione interpretari. Ad Hebr: verò cap: 5. non dicitur, poſt reſurrectionem, ea verba ad Chriſtum dicta eſſe, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: ſed ſolùm eundem eſſe, qui Chriſtum conſtituit Pontificem: & qui ad eum multo ante, imò ab omni æternitate dixit: *Filius meus es tu.* & quemadmodum in 2. Pſalmo illis verbis declarauit eum eſſe Filium ſuum: ita & in Pſalmo 109. declarauit eum eſſe Pontificem, illis alijs: *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Error Smalcij. Nam quòd Smalcius putat Chriſtum poſt reſurrectionem factum eſſe Pontificem, error apertus eſt contra ſcripturas, quæ aſſerunt, ſemel, idq; in cruce Chriſtum ſacrificâſſe, Heb: 9. 28. & cap: 10. 10. 12. Solùm enim poſt reſurrectionem factum eſt, vt Chriſtus cœlum, quaſi Pontificatus ſui propriam ſedē intraret, vt in æternū in ea reſideret, hoſtiaſq; ac oblationes ſecundùm ordinem Melchiſedech Deo pro nobis offerret. Hebr: 8. 1. 2. 3. 4. *Errore Smalcij conceſſo, ille nil concludit.* Et quamuis verum eſſet, Chriſtum poſt reſurrectionem primùm factum Pontificem, non illico ſequeretur, tunc primum ad eum dictum; *Filius meus es tu.* Nam qui ante dixit ad eum: *Filius meus es tu*: poſtea etiam dixit: *Tu es ſacerdos.* neq; Paulus præter hoc quidquam amplius vrget.

Refutatur Smalcij alia obiectio. Iam & illud obiectum Smalcij diluendum, cùm ait: ſi Chriſtus dicatur abſolutè æqualis Deo: fore vt duo Dij introducantur: quod, ait, Smiglecium & eius aſſeclas moliri. At nō Smiglecius id molitur, aut quiſpiam Catholicorum, ſed ſtupiditas, & ignorantia Smalcij facit, vt arbitretur, non poſſe Chriſtum dici æqualem Deo, niſi ſit alter Deus. Nam etſi ſtatuatur vnus Deus cum Patre, veriſſimè dici poterit, eſſe tantus Deus, quantus Pater, hoc eſt tanta virtute, perfectione, poteſtate, quanta Pater. Si enim vna ſit vtriuſq; Diuinitas, etiam quantitas & magnitudo Diuinitatis erit vna. Quorum autem vna eſt magnitudo, ſunt in quantitate æqualia. quod ita eſſe facilè depre-

hende-

Digitized by Google

hendemus; ſi concipiamus animo (id quod Deus per abſolutam ſuam potentiam facere poteſt) duo corpora diuerſa, vnam numero quantitatem habere: tunc enim tanta eſſet vnius magnitudo, quanta alterius. quæ eſt æqualitatis definitio æquè conueniens diuerſis quantitatibus, ac eidem in diuerſis ſubiectis conſtitutæ.

Concludo igitur Smalcium cum omnibus ſuis aſſeclis probare nunquam poſſe, repugnare Chriſtum dici abſolutè Deo æqualem. Cùm enim Paulus abſolutè, & abſq; illa, quæ à Smalcio fingitur, æqualitatis limitatione loquatur, abſolutè quoq; verum erit eſſe æqualem Deo, hoc eſt tantum Deum, quantus eſt ipſe Pater, tantæ perfectionis, poteſtatis, maieſtatis. Rationes verò, propter quas id admittere Smalcius veretur, non tam rationes dici debent, quàm ſomnia ac deliramenta Cætus Rakouienſis Multò enim efficacius argumentum eſt ab auctoritate Pauli abſolutè aſſerentis, quàm ab auctoritate Smalcij abſolutè negantis. Accedit quod, vt à nobis deductum eſt, niſi Ariani abſolutam Chriſto æqualitatem concedant, nullam concedere poſſunt. Nam etiam illa limitata, quam fingunt in rebus ad ſalutem ſpectantibus, æqualitas, nullo modo dici poteſt æqualitas, ſed ſumma inæqualitas; cùm non æquali cum Deo ratione Chriſtum nos ſaluare, fateri, velint nolint, debeant: Chriſtum quidem Patri ſe ſubijciendo, ſacrificando, interpellando pro nobis, ſanguine nos redimendo: quorum nihil Deo Patri conuenit, qui abſoluta poteſtate nos ſaluat, non dependenti, ſicuti Chriſtus homo.

Smalciũ nil eorum quæ recepit probare poſſe, concluditur

Ariani aut omnem aut nullam cum Deo æqualitatem concedũt Chriſto, neceſſe eſt.

Chriſtum, æqualitatem ſuam abſolutam cum Patre, ex vnitate virtutis & operationis, probare, cõtra Arianos oſtenditur. CAP: VI.

SI Paulo credere nolunt Ariani, Chriſti cum Deo æqualitatem tam perſpicuè aſſerenti; credant ſaltem Chriſto, eandem argumento efficaciſſimo comprobanti. Etenim cùm grauiter argueretur à Iudæis, eo nomine quòd in Sabbatho curaret, Diuinamq; legem, id vetantem, violaret, non alio aduerſus eos argumento vſus eſt, quàm eo, quo ſuam cum Patre æqualitatem, ex vnitate virtutis & operationis vtriuſq; aſſeruit. Ioan: 5. 17. *Pater meus* inquit, *vſq; modo operatur, & ego operor.* hoc eſt, ſi Pater meus, etiam modo, id eſt etiam in Sabbatho, operatur: ergo & mihi licitum eſt operari. quæ conſecutio, niſi Chriſtus Patri æqualis eſſet, nulla eſſet omnino. Nam quod maiori operari licitum eſt, non illico ſequitur minori quoq; licitum

Chriſtus ipſe ſe æqualem Deo probat.

citum eſſe : cùm à maiori ad minus argumentum affirmatiuè non valere, omnes norint.

Smalcius refellitur. 1.

Quod ſi dicat Smalcius, id quod Patri licitum eſt, licere quoq; Chriſto ob conceſſam à Patre poteſtatem, etiamſi illi abſolutè æqualis non ſit. id duplici ratione refellitur. Primùm, quia non ſequitur, ſi Pater vti poteſt ſua poteſtate in die Sabbathi, Chriſtum quoq; ſua poteſtate à Patre participata vti ſimiliter poſſe : non enim par eſſet vtriuſq; ratio. Pater enim, quia eſt ſupra Sabbathum & ſupra omnem legem, nulla lege impediri poteſt ab vſu ſuæ poteſtatis : Chriſtus verò cùm ſtatuatur minor Patre, ſubiacet legi Paternæ de non operando in Sabbatho.

Quod ſi dicatur, Patrem non ſolùm communicâſſe poteſtatem Chriſto ad operandum, ſed etiam conceſſiſſe, vt ea poſſet vti die Sabbathi, id etſi verum eſſet, non tamen facit ad Chriſti argumentationem. neq; enim Chriſtus ex diſpenſatione à Patre obtenta argumentatur, ſed à pari poteſtate. Pater operatur, ergo & ego operari poſſum. alioqui non quia Pater operatur, liceret Chriſto operari, ſed quia Pater diſpenſauit cum ipſo in lege. quod alienum eſſe à Chriſti argumentatione nemo non videt. Quare etiam Iudæi, hanc conſecutionem non aliter intellexerunt, niſi quòd Chriſtus faceret ſe æqualem Deo. mox enim ℣. 18 addit Euangeliſta : *Propterea ergo magis quærebant Iudæi eum interficere, quòd non ſolùm ſoluebat Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Nimirum æqualem ſe Patri faciebat : quia quod Patri licitum eſt, ſibi quoq; licitum eſſe pari ratione affirmabat.

Iudæi meliꝰ verba Chriſti acceptârunt quàm Ariani.

2. Alterum eſt, quo refellitur Smalcius. quòd Chriſtus ipſe longè aliam ſuæ conſecutionis rationem reddit, non ex conceſſa à Patre virtute, ſed ex vnitate virtutis & operationis ductam. quia enim neq; Filius poteſt operari ſine Patre, neq; Pater ſine Filio, idcirco ſi Patri licitum eſt operari in die Sabbathi, conſequens eſt, Filio quoq; ſimiliter eſſe licitum operari. hoc enim eſt, quod ait ℣. 19. *Amen Amen dico vobis, non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem : quæcunq; enim ille fecerit, hæc etiam Filius ſimiliter facit.* quibus verbis vna & eadem operatio Patris & Filij luculenter deſignatur. quod ita oſtendo. Etenim ſi diuerſæ eſſent operationes Patris & Filij, non eſſet verum, Filium non poſſe facere, niſi quod viderit Patrem facientem. alioqui Chriſtus non potuiſſet ſuſcitare mortuos, cæcos il-

Vnitas operationis Patris & Filij, probat Chriſtum Deo æqualem.

Digitized by Google

cæcos illuminare, ſanare infirmos, niſi ſimilia opera priùs Pater operaretur, & Filius ea videret Patrem operantem: quod tamen falſiſſimum eſſe quis non videt?

Christus nõ facit opera similia Paternis, sed eadem.

Similiter neq; verum eſſet, quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit; neceſſe enim eſſet, ſi Pater aliquid faciat, Filium aliud opus ſimile efficere; quod proculdubio falſiſſimum eſt. Pater enim ſua Diuina virtute fecit, vt ſtella noua oriretur & duceret Magos in Bethleem: neq; tamen Filius aliam ſtellam produxit, aut fecit vt ſimiliter moueretur. Pater fecit deſcendere Spiritum S. ſicut columbam, neq; tamen filius fecit aliam ſimilem columbam deſcendere. Cùm igitur non poſſint hæ propoſitiones exponi de diuerſis operationibus Patris & Filij, neceſſe eſt de vnitate operationis, ac ex conſequenti de vnitate virtutis intelligi. Si enim non vna numero virtus eſſet vtriuſq;, non eſſet neceſſarium vnam quoq; operationem eſſe. à diuerſis enim virtutibus quis prohibet diuerſas numero operationes proficiſci, vt à duobus caloribus duas calefactiones. ergo ſi verum eſt, quod hoc loco aſſeritur, non poſſe non eſſe vnam vtriuſq; operationem, ſequitur vnam eſſe vtriuſq; virtutem. Ex quibus manifeſtum eſt, cùm vna & eadem ſit Patris & Christi operatio, rectè inferri: Si Patri licitum eſt operari in die Sabbathi, Chriſto quoq; idem licitum eſſe.

Smalcius difficultatis nodum vitat.

Smalcius cùm id argumentum à nobis propoſitum nititur refellere, id vnicum refellere omittit, in quo totum argumenti pondus verſatur. Nos enim ex vnitate virtutis & operationis à Chriſto expreſsè aſſerta, æqualitatem abſolutam cum Patre aſſerimus: ille, cùm nihil, quo hanc vnitatem operationis oppugnaret, haberet, id ſolùm refellere diſſimulauit, quo tota res conficitur, ſolùmq; alia quædam minora conatus eſt refellere, quæq; vnitate operationis ſuppoſita, nullam vim habent ad abſolutam æqualitatem Chriſti euertendam.

Smalcius cæcus, videntes cæcos facit.

Primùm igitur pertinaciam & cæcitatem eorum deplorat, qui in his Chriſti verbis inæqualitatẽ Chriſti & Dei non aduertunt: quomodo enim is, qui nihil à ſe facere poteſt, æqualis abſolutè eſt ei, qui nihil non à ſeipſo facit, & qui ſi à ſeipſo omnia non faceret, Deus nõ eſſet. At quanto maior cæcitas & pertinacia eſt, qui quod totus mũdus in verbis Chriſti videt, viditq; ſemper, ipſe ſolum cæcutiens non videat? Euidens enim per ſe clarumq; eſt, ſi Chriſti & Patris vna ſit, eademq; operatio, vt nec ipſe ſine Patre, nec Pater ſine ipſo, quidquã

facere

Vnitas operationis vnitatem virtutis & naturæ in Chriſto & Deo arguit.

facere poſſit, Chriſtum eſſe omnino æqualem Patri. quorum enim eſt vna eademq; operatio, eſt etiam numero vna eademque virtus ac natura, vt paulo ante deduximus: ſiquidem ſi diuerſæ virtutes eſſent, poſſent etiam diuerſæ operationes eſſe. vbi ergo non poſſunt eſſe diuerſæ operationes, ibi nec ſunt diuerſæ virtutes. vna ergo numero virtus, ac ex conſequenti vna numero natura. Quod ſi vna ſit natura Patris & Filij, non poteſt non eſſe perfecta & omnimoda æqualitas. quomodo igitur in tanta luce caligat Smalcius? Nam & ex vnitate operationis ſequi omnimodam æqualitatem perſpicuum eſt, & vnitatem operationis hoc loco negari nullo modo poſſe, niſi vis Chriſti verbis afferatur. Etenim vti oſtendimus, illa Chriſti verba, *non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi viderit Patrem facientem*; ſi de diuerſis operationibus Patris & Filij exponantur, falſa erunt: nec aliter eſſe vera poſſunt, niſi de vnitate operationis intelligantur.

Ad captum Smalcij aliquid dicitur.

At non capit Smalcius, quomodo Filius cùm nihil à ſeipſo faciat, ſit æqualis Patri abſolutè, qui omnia à ſeipſo facit. Capiat igitur & diſcat id fieri poſſe propter vnitatem virtutis. Etenim qui vna eademq; virtute operantur, ita vt non poſſint non niſi vna virtute operari, pares omnino poteſtate eſſe neceſſe eſt, tantamq; omnino eſſe vnius, quanta eſt alterius, virtutem. Cùm igitur Filius eadem omnino virtute, qua Pater, operetur, vt oſtenſum eſt, non eſt mirum æqualem eſſe abſolutè Patri poteſtate, ac ex conſequenti natura. Nec obſtat quòd à ſe non faciat quidquam, ſed à Patre. id enim ſicut non tollit vnitatem operationis & virtutis: ita neq; tollere poteſt æqualitatem poteſtatis: Per eãdem enim virtutem & Pater operatur à ſeipſo: quia illam habet à ſeipſo, & nullum habet autorem, ſicut virtutis ita & operationis. Filius verò operatur non à ſeipſo: quia Patrem ſicut virtutis ſuæ habet autorem, ita & operationis. Et ſanè inæqualitas tunc inferri poſſet, cùm quis non poſſet quidquam facere à ſeipſo ob defectum vel dependentiam poteſtatis: at ſi vna & eadem poteſtate vna manu operentur, non poteſt quidem alter ſine altero operari, ſed id fit propter vnitatem poteſtatis, quæ eſt in vtroque, & propter inſeparabilitatem vnius ab altero, (qui enim virtute non ſeparantur, nec operatione ſeparari poſſunt) non verò propter defectum aliquẽ poteſtatis: ac proinde citra inæqualitatem. Hunc verò modum non nos ipſi fingimus (vt calumniatur Smalcius) ſed ex Chriſti verbis manifeſtè deduci oſtendimus; ita vt aliter Chriſti verba intelligi nullo modo poſſint.

Chriſtus, etſi nil à ſe faciat, quomodo æqualis Patri ſit, docetur.

...lcij ca-...

Nam

Nam quod obijcit Smalcius, eũ qui nihil poteſt facere à ſeipſo, non eſſe verum & ſummum Deum, pari modo diſtinguendum eſt. Si enim ob defectum vel dependentiam virtutis non poſſit, veriſſimum eſt, talem non eſſe verum & ſummum Deum. Deo enim nec vlla virtus deeſſe, nec eſſe dependens poteſt. At ſi non ob defectum, nec ob dependentiam virtutis, non poſſit à ſe facere quidquam, ſed ob vnitatem & inſeparabilitatem virtutis & naturæ, eum dici verũ & ſummum Deum, nullo modo negari poteſt. quomodo enim is, qui vnam cum Deo virtutem & naturam habet, eſſe Deus verus negari poteſt? Tali porrò ratione Chriſtus non poteſt facere à ſe quidquam, nempe propter vnitatem virtutis & naturæ. Cùm enim vnam eandemq́; virtutem habeat cum Patre, non poteſt operari, niſi Patre ſimul operante. Et nihilominus eſt vnus cum Patre Deus; quia vnam & eandem virtutem, & ex conſequenti vnam naturam habet cum Patre; eritq; Deus de Deo. Pater verò eſt Deus à ſeipſo, id eſt non ab alio. vterq; tamen verus & ſummus Deus ob vnitatem virtutis & naturæ. Alioqui ſimili argumento neq; Pater eſſe verus Deus & ſummus probaretur. is enim qui ſine alio nihil operari poteſt, non eſt ſummus Deus. Atqui Pater ſine Filio nihil operari poteſt. non eſt igitur Deus. Minor habetur hic ℣. 20. quæcunq; enim Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. nihil ergo Pater facit, quod non ſit neceſſe Filium quoq; ſimul facere. hæc enim de vnitate operationis accipi neceſſariò debere demonſtrauimus. Hoc igitur argumentum ſimili modo, ſicut illud Smalcij diſſoluendum eſt, nempe Patrem non poſſe ſine Filio facere quidquam, non propter defectum poteſtatis, ſed propter vnitatem operationis & virtutis. Et ſicut cùm Apoſtolus ait, *Deum mentiri non poſſe*, non defectum Diuinæ poteſtatis, ſed immutabilitatis virtutem in Deo indicat: ita hîc non defectum virtutis, ſed inſeparabilitatem & vnitatem virtutis indicari manifeſtum eſt.

Eiuſdem obiectio.

Smalcij ratio nec Patrem DEVM eſſe probat, ſi quid probat.

Quòd ſi non intelligit Smalcius, quomodo Filius omnem ſuam virtutem accipiat à Patre, abſq; omni tamen dependentia: reputet ſecum, dependentiam propriè illam dici, cùm quis ita accipit ab alio, vt potuerit non accipere: vti in ijs accidit, quæ ex liberalitate dantur: tali enim acceptioni opponitur inopia. Filius non ita accipit virtutem à Patre, vt potuerit ea vnquam carere: non enim ex liberalitate & gratia, ſed naturaliter & neceſſario. idq́; ab æterno: quod enim eſt ab æterno, ſemper fuit, & nunquam non eſſe non potuit. Adhæc

Dependentia propriè qd eſt?

Chriſtꝰ quomodo accipit à Patre virtutem operandi.

Digitized by Google

ſi eadem virtus æquè independens accipiatur, poterit accipi talis virtus abſq; dependentia. Cùm igitur conſtet ex hoc loco, Filium propter vnitatem operationis habere eandem virtutem cum Patre, non ſequitur eam virtutem accipere cum dependentia. Si enim eandem virtutem accipit, accipit æquè independentem vti eſt in Patre, ac proinde ſine dependentia.

Ex quibus infero, peſſimè inferre Arianos ex eo, quòd Filius à ſe ipſo non poſſit quidquam facere, eſſe Patri inæqualem. id enim Chriſto conuenit propter identitatem virtutis & operationis, vt ex Chriſti verbis manifeſtum eſt. At ex identitate virtutis non aufertur, ſed infertur æqualitas: qui enim eadem virtute operatur, pari poteſtate operatur, & omnino æquales ſunt; ſicut poteſtate ita & natura. quod vt magis pateat; Quæro ab Arianis, quænam ſint illa opera, quæ Filius non poteſt facere, niſi videat Patrem facientem? ſuntné diuerſa Patris & Filij opera, an eadem? ſi diuerſa, ſequetur illud abſurdum, quod ante deducebamus, priùs Patrem opus ſuum facere debere, cum Filium aliud ſimile opus exemplo Patris facturum, quod per ſe falſum & abſurdum eſt. Si eadem; ergo Patris & Filij eſt vna eademq; operatio, & ex conſequenti eadem virtus & natura. Sicut enim ſapientia artificis, nihil poteſt operari, niſi quod operatur artifex: nec diſtincta eſt operatio ſapientiæ & artificis, ſed vna & eadē: ita Filius, cùm ſit ſapientia Patris; nihil poteſt operari, niſi quod operetur Pater.

Ariani vrgentur.

Socinus & Smalcius quales Chriſti verborū interpretes.

Infero præterea peſſimè Smalcium cum Socino interpretari Chriſti verba: cùm aiunt Filium idcirco non poſſe quidquam facere à ſeipſo: quia nihil poteſt facere niſi poteſtate conceſſa, & iuſſu, ac nomine Patris. Ea enim interpretatio omnem planè ſenſum Chriſti verborum euertit. Non enim hanc Chriſtus verborum ſuorum reddit rationem; neq; conceſſionem vel iuſſum Patris vrget, ſed identitatem operationis; *niſi* inquit, *viderit Patrem facientem.* idcirco igitur non poteſt facere à ſeipſo, quia non poteſt quidquam facere, niſi videat Patrem quoq; eadem opera facientem. Non dicit, niſi videat Patrem poteſtatem faciendi concedentem, ſed facientem: neq; dicit iubentem, ſed facientem: facientē inquam, nō diuerſum aliquod opus, ſed illud idē opus, quod Filius facit. mox enim ſubiungit: quæcunq; enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Deniq; non dicit, Patrem demonſtrantem, quæ ſoli Filio facienda ſunt, ſed quæ Pater ipſe

Digitized by Google

ipſe vnà cum Filio facit. Demonſtrare autem Pater, ſe vnà cum Filio facientē non poteſt, niſi re ipſa faciat idem, quod facit Filius. Quemadmodū igitur aliud eſt facere, aliud poteſtatem faciendi concedere, vel iubere: ita longè aliud Chriſt⁹ his verbis dicere exiſtimandus eſt, quàm quod iſti abſurdi & inſulſi homines Chriſtum dicere volunt. Volunt enim illa verba, *niſi viderit Patrem facientem*, ſic accipi, ac ſi dictū fuiſſet, [Niſi quod faciendi poteſtatē aut iuſſum à Patre habuerit] Hæc enim ſunt ipſa verba Socini contra *Wuiecum* folio 254. Scilicet iſtis hominibus peracutis, idem eſt facere, quod faciendi poteſtatem concedere, vel iubere. O cœcas hominum mentes! Si enim tam impudenter ſcripturas peruertere liceat, quid veri vnquam ex ſcripturis elici poterit? Similis eſt illa, ſequentium verborum interpretatio: *Quæcunq; enim Pater fecerit*, id eſt quæcunq; Patrem facientem viderit: quid ſtolidius ac abſurdius? nonné aliud eſt, Patrem facere; aliud facientē à Filio videri. Nam quod vrget Socinus particulam (*enim*) quæ habet vim reddendi rationem, id ſanè friuolum eſt: ea enim particula reddit rationem, cur Filius non poſſit à ſe quidquam facere niſi videat Patrem facientem. quæcunq; enim Pater re ipſa fecerit, hæc & Filium ſimiliter facere neceſſe eſt.

Arianis idē eſt facere, & poteſtatē faciendi concedere.

Eorū in interpretando nequitia.

Quibus verbis nouum & efficaciſſimum ſumitur pro abſoluta Chriſti æqualitate argumentum. Si enim *Quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* eſt igitur Filius abſolutè æqualis Patri. Quæ enim ſunt illa opera, quæ ſi Pater fecerit, & Filius ſimiliter facit; num diuerſa ſunt Patris & Filij opera, vel eadem numero? Si diuerſa, ſequetur abſurdum; cùm plurima Pater fecerit, quibus ſimilia Filius non facit, vt ſupra deductum eſt. Si eadem numero opera. ergo vtriuſq; eſt vna numero operatio, & ex conſequenti vna numero virtus & natura, vt ante deducebamus: alioqui niſi ſit vna numero virtus in vtroq;, non erit vna numero operatio. à diuerſis enim virtutibus, diuerſæ numero operationes proficiſcuntur: & ſicut in priori ſententia non poteſt Filius operari, niſi Pater operetur propter identitatem virtutis; ita in poſteriori, propter eandem identitatem nihil Pater operatur, quod Filius ſimiliter non operetur: ita vt ſimiliter idcirco dicatur operari; quia eadem numero virtute operetur.

Denuo Ariani vrgentur.

Imperitè vero Smalcius obijcit Smiglecio ſummam audaciam, cùm ex illis Chriſti verbis, *quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*, infert,

Smalcius craſſè ignarus.

cit, infert, nil Patrē facere niſi quod Filius ſimiliter facit. Iudicent docti, an nō ſit hæc Smalcij ſupina & craſſa ignorantia. Cùm enim, *omnia* dicat; nihil excipi, nemo diffiteri poteſt. Quare & cùm dicitur, *Quæcunq; Pater fecerit*, nihil excipitur ex ijs, quæ Pater facit, quominus idem Filius faciat. Quòd ſi nihil facit Pater, quod non faciat Filius: ergo nihil facit, niſi quod facit Filius. Nam ſi aliquid faceret, quod non facit Filius, non eſſet verum, *quæcunq; Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.*

Eiuſdem inepta argumentatio.

Nec minus futilis eſt illa Smalcij argumentatio, cùm idcirco negat, eadem numero poteſtate Patrem & Filium operari: quia Filius à ſe non poteſt facere quidquam. Etſi enim vna ſit numero poteſtas: tamen in Filio eſt à Patre, in Patre non eſt ab alio, ſed à ſe: & idcirco eadem numero poteſtate & Filius non à ſe dicitur operari, & Pater à ſe. Non igitur ex hoc capite refelli poteſt vnitas numerica poteſtatis: ſiquidem ſtante vnitate poteſtatis, & Filius eadem poteſtate nihil poteſt à ſeipſo: quia ea poteſtas in Filio non eſt ab ipſo, & Pater omnia poteſt à ſeipſo. quia eadem poteſtas in Patre eſt ab ipſo, hoc eſt à Patre.

Christo Pater non ſolū ex dilectione ſed ex natura etiam opera demōſtrat.

Alterum argumentum ad oppugnandam Filij Dei æqualitatem cum Patre, adducit Smalcius, cùm ait. Quomodo is, cui Pater ex dilectione omnia, quæ facit, oſtendit, æqualis eſſe abſolutè poteſt, ei qui omnia naturali poteſtate agit? ſed facile refutatur. Nam quia Filius eadem prorſus opera, & eadem qua Pater virtute operatur, eſt vnius virtutis & naturæ cum Patre, vt dictum eſt: ac proinde verus Deus, & ſic illi non ex dilectione, ſed naturaliter demonſtrantur opera Patris, eaq; Filius naturaliter videt. quatenus verò ex dilectione demonſtrantur eadem opera, indicatur in Chriſto alia quoq; natura, humana videlicet, cui ex gratia demonſtrantur opera Patris videnda. hæc enim demonſtratio non fit docendo, ſicut magiſter demonſtrat diſcipulo: ſed opera re ipſa exhibendo, vt pote, quæ Filius videre debeat Patrem facientem. ℣. 19. Quod opus à Patre exhibitum Filius vt Deus naturaliter videt: vt homo, ex gratia Patris: ſicq; vtrumq; verum eſt, & Filium eſſe vnius operationis ac naturæ cum Patre, & Patrem ex dilectione demonſtrare ei, quæ facit. vt dicitur: ℣. 20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ facit.* Vtrumq; diuerſarum naturarum reſpectu ſaluari poteſt ac debet, cùm id verba Chriſti poſtulent.

Tertio

Tertio loco ſic argumentatur Smalcius. quomodo is abſolutè Deo æqualis eſſe poteſt, in quo incrementa operum locum habent: & cui præter ea, quæ habet, plura dari poſſunt? cùm certiſſimum ſit, Deum, vt omnia à ſeipſo habet: ſic etiam ſimul, & ſemel habere, quæ ſcilicet in eius natura ſita ſunt.

Sed quæro à Smalcio, an in Deo incrementa operum, locum habeant, necne? ſi affirmet, ſeipſum euertet, cùm ex eo Chriſtum æqualem Deo neget, quòd in eo ſint operum incrementa, iuxta id quod ℣. 20. dicitur. *Et maiora his demonſtrabit ei opera, vt miremini.* Si negat, ſequetur, Deum omnia ſimul & ſemel feciſſe, nec vllum opus nouũ deinceps facere poſſe. Vnde neq; verum erit, quod hîc Chriſtus ait, Patrem demonſtraturum Filio maiora opera ſua, quæ facit. vt enim dictum eſt, hæc demonſtratio, eſt operum à Patre effectorum exhibitio, perficiturq; operando, non docendo. Quod ſi Smalcius non ſolùm operum, ſed etiam virtutis incrementa intelligat, primum impropriè loquitur: deinde probabit nunquam, in Chriſto virtutis & poteſtatis incrementa locum habuiſſe: omnem enim virtutem ſuam & poteſtatem Chriſtus ſemper habuit. vt cap: 2. demonſtratũ eſt. *Reijcitur Smalcius.*

Vrget adhæc Smalcius argumentum Socini, qui ait. Si Chriſtus ſit æqualis Deo, ſequitur eum non eſſe æternum & ſummum Deum. nemo enim ſibi ipſi æqualis eſſe poteſt. Id nos ita diluimus: Chriſtum non ſibi ſed Patri eſſe æqualem, & quamuis Pater ſit idem Deus cum Chriſto, non tamen eſt eadem perſona. Hîc Smalcius clamat peti principium. At immeritò, imò ſtultè. Reſpondens enim non petit principium, cùm ex ſuis principijs reſpondet, & oſtendit id quod obijcitur non ſequi ex ſuis principijs: quod iuſtiſſimè fieri, nemo, niſi ſtolidus, negabit. Hîc verò ita accidit. oppugnant enim nos aduerſarij, quòd ex noſtra, de æqualitate Chriſti cum Deo, ſententia, ſequatur Chriſtum ſibi ipſi eſſe æqualem. nos refellimus negando id ſequi, cùm ex noſtra & omnium ſapientum ſententia, natura & perſona diſtinguantur: & quamuis Chriſtus & Pater ſint idem Deus, non tamen eadem perſona. Adhæc diſtinctio naturæ & perſonæ ita à nobis ante probata eſt, vt non ſine ſumma temeritate pertinaciaq; ab aduerſarijs negari poſſit. quocirca cùm in toto fere ſuo libro ſimilem petitionem principij nobis obijcit Smalcius, non ſolùm nos improbè calumniatur, ſed etiam quid ſit petitio principij, turpiter ignorat. *Smalcius cũ Socino refutati.* *Principium quando non petitur.* *Smalcius petere principium quid ſit, ignorat.*

Smalcius temerè verba Christi intorquendo, Christo imponit.

Mirari verò non poſſum eius incredibilem temeritatem, cùm Chriſti hoc loco verba detorquet, ita vt eum oppoſitum dicentem faciat, nempe ſe non omnimodè Patri æqualem eſſe, quòd ipſe conceſſa à Patre poteſtate operetur, Pater verò abſolutè operetur: cùm nihil tale Chriſtus loquatur. non enim ait, *Filium non poſſe à ſe facere quidquam,* niſi quod Pater ei conceſſerit, ſed, *niſi quod viderit Patrem facientem*, facientem, inquam, non aliud ſimile opus, ſed idem opus, quod facit Filius: ex vnitate autem operationis æqualitatem omnimodam ſequi manifeſtum eſt: non igitur inæqualitatem, ſed æqualitatem probat Chriſtus; nec id dicit Chriſtus, quod illi affingit Smalcius, ſed prorſus oppoſitum.

Duobus argumentis probatur Christi æqualitas absoluta.

Reſtant duo alia in eodem capite, pro Chriſti abſoluta æqualitate argumenta. Alterum ſumitur ex ℣. 25. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo.* Si enim Filius æquè ac Pater habet vitam in ſemetipſo, erit proculdubio abſolutè æqualis Patri. Vita enim in ſemetipſo, vt fatetur ipſe Smalcius, eſt vita, quæ aliunde non ſuſtentatur. alia enim dicuntur habere vitam non in ſemetipſis, ſed in alio, quia ab alio ſuſtentantur: *in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.* Atqui vita quæ ſuſtentatione nõ indiget, eſt vita Diuina. omnia enim alia præter Deum à Deo dependent, & ſuſtentatione indigent. *in manu enim eius ſunt omnes fines terræ, & ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Rom: 11. Si igitur Filio dedit Pater vitam habere in ſemetipſo, dedit vitam Diuinam, talem qualem habet ipſe. ac proinde dedit Filio, vt ſit æqualis abſolutè. Habendo enim vitam Diuinam ſeu naturam Diuinam, tantus eſt, quantus ipſe Pater, cum ratione Diuinæ naturæ, Pater ſit id quod eſt.

At inquit Smalcius, vitam in ſemetipſo Patrem habere naturâ, Chriſtum verò Patris beneficio. ſed longè à propoſito aberrat. Nam ſi vita in ſemetipſo eſt vita Diuina, & idem quod natura Diuina; Natura autem Diuina, facit naturâ, non beneficio Deum. Chriſtus quoq; data ſibi vita in ſemetipſo, erit natura, non beneficio Deus: vita enim in ſemetipſo nõ poteſt, niſi cũ natura Diuina cõmunicari.

Alterum ſumitur ex pari cum Patre honore. Si enim Pater omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem, vt dicitur ℣. 23. ergo pari honore honorandus eſt Filius, ſicut honoratur & Pater: quæ conſecutio non fundatur in particula, *ſicut*, Grammaticè ſumpta: ea enim non ſemper quanti-

tatem,

Digitized by Google

-tatem, ſed aliquando qualitatem & ſimilitudinem, eamq; ſæpè imperfectam ſignificare poteſt: vt ſi dicam, Sicut honorificant Dominum: ita & famulum honorificare debere, ſed fundatur in ratione honoris. Sicut enim Pater propter poteſtatem iudicandi, honore Diuino honorandus eſt: ita cùm omne iudicium, ſeu omnem ſuam poteſtatem iudicandi dederit Filio, eo fine, vt honoretur: idcirco Filius honore pari honorandus eſt: quia propter eandem iudicandi poteſtatem. In quibus enim eſt eadem honoris ratio, eis idem etiam honor competit.

At inquit Smalcius, eſſe in eo imparitatem, quòd Filius ob datum ſibi iudicium & poteſtatem honorandus eſt: Pater verò abſolutè propter ſuam poteſtatem a nemine acceptam. Verùm ſi in hoc ſolo ſtatuatur imparitas, quòd in Filio ſit poteſtas accepta, in Patre nõ accepta; ea profectò nulla eſt imparitas. Nam ſi par poteſtas accipiatur, vti eſt in dante, accipiens æqualem poteſtatem habebit cum dante, & æqualem honorem merebitur. Exemplum eſto. Si Pater Rex creet Filium Regem, pari dignitate & poteſtate Regia præditum, nemo inficiabitur Filium pari honore regio dignum eſſe, ſicut & Patrem ob parem dignitatem Regiam; neq; ex eo, quòd ea dignitas ſit accepta à Patre, minorem honorem merebitur in Filio, quàm in Patre. Non igitur ſola acceptio præciſè facit imparitatem, quando in re accepta non eſt imparitas. *Smalcio prima euaſio nõ ſuccedit.*

Addit Smalcius aliam imparitatem; Nam Filium ait honorari tantùm, vt miſſum à Patre. idcirco enim dicitur ℣. 23 *Qui non honorificat Filium, non honorificat & Patrem, qui miſit illum.* Itaque ſolùm propter miſſionem, & tanquam miſſus à Patre, eſt honorandus Filius. nunquam autem idem prorſus honor debetur miſſo, qui mittenti. At ridiculus eſt Smalcius, qui non intelligit, quod vel rudiſſimi quiq; intelligunt. Etenim, vt in eodem exemplo perſiſtam; Si Rex Pater creet Filium ſuum Regem, eumq; ad ſubditos mittat, nemo diffitebitur miſſum Regem pari honore à ſubditis excipiendum eſſe, ſicut & ipſum Patrem; cùm par ſit in vtroq; Regia dignitas, Regij honoris cauſa. Non igitur omnis miſſio facit imparitatem, ſed miſſio ſubditi & inferioris, qui mittitur non cum pari poteſtate & dignitate: non verò cùm mittitur quis cum pari cum mittente poteſtate & dignitate, vt cùm Pater Rex, Filium à ſe creatum Regem, mittit ad ſubditos ſibi ſubijciendos. quod exemplum eſt maximè appoſitũ *Nec ſecũda.*

& accom-

& accommodatum ad miſſionem Filij Dei à Patre explicandam, citra vllum æqualitatis præiudicium. Quare quod ℣. 23. dicitur, eum qui non honorificat Filium, & Patrem non honorificare, qui miſit illum, non quæcunq; miſſio indicatur, ſed miſſio cum pari poteſtate & dignitate cum mittente. Sicut cùm Rex Pater mittit filium Regem. Talis enim miſſio requirit, vt parem honorem miſſus cum mittente habeat.

Ex his omnibus concluditur, Chriſtum eſſe, & tota vita fuiſſe æqualem Patri abſoluta & omnimoda æqualitate, ac proinde & poteſtate parem eidem fuiſſe: nec vlla poteſtatis parte caruiſſe. vti Ariani non minus abſurdè quàm impiè calumniantur.

Quomodo Christus poſt reſurrectionem dicatur factus Dominus. CAP: VII.

NImis impudenter Aduerſarij ad dominium Chriſti minuendum abutuntur eo ſcripturæ loco, quo Chriſtus poſt reſurrectionem dicitur factus Dominus. ita enim dicitur Act: 2. 36. *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eũ & Chriſtum fecit Deus, hunc* IESVM, *quem vos crucifixiſtis.* Quod iſti ita intelligendum exiſtimant, vt Chriſtus dicatur tunc factus Dominus, quia factus eſt perfectè Dominus, cùm ante non eſſet perfectè Dominus. Et verò impiam hanc & blaſphemam expoſitionem eſſe, primùm oſtendunt illæ omnes ſcripturæ, quas de perfecto Chriſti Dominio ſupra adduximus. Illæ enim teſtantur Chriſtum ita fuiſſe Dominum, vt eſſet æqualis Patri, & omnia eſſent in manu eius; & quæcunq; Pater faceret, illum quoque facere, vna eademq; operatione, vna virtute. quæ proculdubio oſtẽdunt illum perfectè Dominum fuiſſe, nec vllam poteſtatem ad perfecti dominij rationem illi defuiſſe. Adieceram duo alia loca illuſtria. Alterum ex cap: 3. Ioan: 34. *non enim ad menſuram Deus dat ſpiritum.* alterum ex cap: 1. 14. *Verbum Caro factum eſt, plenum gratiæ & veritatis.* quæ teſtimonia cùm Chriſto nihil defuiſſe manifeſtè doceãt, quid enim illi defuit; qui non ad menſuram Spiritum accepit, & qui plenus fuit gratia & veritate: à Smalcio tamen, vſitata ipſi temeritate, detorquentur. Et quidem quod ad primum attinet, nec ad Chriſtum ea verba referenda putat, nec denotare ſupra omnem menſurã, Deum dare ſpiritum, ſed non ad vnam menſuram. qua in re ſuum, hoc eſt Hæreticum ingenium oſtendit. Horum enim proprium eſt, nouas in-

Blaſphemare eſt Chriſto aliquãdo imperfectũ dominiũ affingere.

Hoc tripliter probatur.

Improbatio prima aduerſariorũ reprobatur.

Digitized by Google

nouas in dies artes, ad receptos ab omnibus ſcripturæ ſenſus euertendos, excogitare.

Aio igitur ea verba neceſſariò ad Chriſtũ pertinere. primò quia ad eum finem commemorantur, vt probent Chriſtum Dei verba loqui. non enim ad menſuram Deus dat Spiritum: ac ſi diceret: quia nulli alteri contigit non ad menſuram Spiritum accipere à Deo, niſi Chriſto, cuius menſura eſt ſine menſura habere omnia; idcirco ſolius eſt Chriſti verba Dei loqui: alij ſiquidem ſicut ad menſuram accipiunt Spiritum; ita & verba Dei quadam tantùm ratione loqui poſſunt: At Chriſtus perfectiſſimè & omnimodè. quia non ad menſuram accepit ſpiritum à Deo. Quocirca particula, *enim*, coniungens hæc verba cum præcedentibus tanquam rationem ipſorum, ſatis oſtendit ad Chriſtum referenda eſſe, ſicut & præcedentia. Deinde ſtatim adiungit: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius*; quibus verbis explicat cauſam, quare nõ ad menſuram Deus det Spiritum Chriſto. quia nimirum Pater diligit Filium, & ex hac dilectione omnia dedit in manu eius. cui enim abſq; menſura dedit Spiritum, nihil quoq; negauit, ſed omnia dedit in manu eius. Adhæc niſi de Chriſto intelligantur, de nullo alio intelligi poſſunt. Alijs enim ad menſuram Deus dat Spiritum, vt ſcriptura teſtatur. Nam & omnia in menſura, numero, pondere facit Deus: & in particulari Spiritum diſtribuit ad menſuram. vt dicitur 1. Cor: 12. 11. Rom: 12. 3. Eph: 4. 7. Soli verò Filio non ad menſuram. quod enim datur ad menſuram, datur parcè aut mediocriter: quod verò datur non ad menſuram, datur largiſſimè & effuſiſſimè. Inanes verè atque adeò nullius momenti ſunt coniecturæ Smalcij: Nam etſi non nominetur Filius: tamen ex ſubiecta materia apparet, alteri quàm Filio accommodari non poſſe. Quod verò dicitur, *dat*, in præſenti; cùm Filio iam ante dediſſet, modus eſt loquẽdi vſitatus, quo præſens, tum pro futuro, tum pro præterito ſolet accipi. Sic Ioannis 21. 23. *& non dixit ei* IESVS, *non moritur*, id eſt non morietur. Sic Ioan: 5. cùm dicitur, *Quæcunque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*: vox *facit* æquè præteritum ac futurum tempus reſpicit. Et hoc ipſo loco de dilectione præterita loquens, ex qua Pater omnia dedit in manu Filij, ait in præſenti: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Inutilis ergo prorſus eſt illa Grammatica Smalcij, quam adeò vrget ad id, quod intendit probandum. Vox enim (*dat*) nihil prohibet,

quominus de præterita datione accipi poſſit. Deniq; cùm Smalcius, non ad menſuram dare, exponit, non vna eademq; menſura dare, an non manifeſtam vim facit ſcripturæ? aliud enim eſt non ad menſurã dare abſolutè; aliud non ad vnam eandemq; menſuram dare. ſicut aliud eſt menſura, aliud vna eademq; menſura. Scriptura igitur primùm dicit, non ſecundùm, & abſolutè, non ad menſuram dare, eſt, nulla menſura ſeruata, & ſine omni mẽſura dare. Sicut enim dare ad menſurã, eſt dare iuxta menſurã, & ſecundùm menſurã Rom: 12 3. Eph: 4. 7. ita non ad menſuram dare, eſt, non iuxta menſuram nec ſecundùm menſuram dare, ſed ſupra omnem menſuram. Deniq; hoc ſenſu ſcripturam his vocibus vti, loca citata liquidò monſtrant.

Secunda ſimiliter rejicitur. Quod ad alterũ attinet locũ, inprimis falſũ eſſe ait, & errorẽ reputat (cum enim primũ errorẽ Smiglecij recenſet) legere apud Ioannem; *Verbum caro factum eſt*; cùm legendum dicat, *fuit*, non factũ eſt.

At ſi is error eſt, omnium, qui hucuſq; vixerunt, Chriſtianorum error eſt. nullus enim vnquam aliter legendum exiſtimauit; ne Ariani quidem ipſi: adeò vt intoleranda ſit Smalcij præſumptio & arrogantia, qui omnium communem ſenſum, errorem appellare non veretur. Et ſanè vel ex hoc perſpicitur, quo ſpiritu Ariani ſcripturas interpretentur. Si enim credendum eſt, Spiritum Dei in Eccleſia eſſe, & in ea manere in æternum, ſecundùm promiſſa Chriſti, vt doceat eam omnem veritatem, is proculdubio non priuati alicuius ſpiritus erit, ſed communis omnium fidelium, & in toto Eccleſiæ corpore reſidens Cùm igitur omnes, qui vnquam fuerunt fideles, in aliquid conſentiunt, id proculdubio in Dei ſpiritum referendum eſſe nemo dubitauerit. è conuerſo, qui communi omnium fidelium ſenſui contradicit, non Dei, ſed cacodæmonis ſpiritu agitari credendus eſt. is ſiquidem vti communem fidelium conſenſum ferre non poteſt, ita id vnicum machinatur, vt nouitatibus Eccleſiam perturbet, & in nouos errores quotidie inducat. Tales ſunt omnes Ariani, quibus nihil curæ eſt, quid omnes fideles ſentiant, quid totus orbis, vbiq; terrarum doceat & amplectatur, dummodo ſua dogmata falſiſſima & peſtilentiſſima tueri & quoquomodo confirmare valeant. Vnus illorum ſe meliùs ſapere & acutiùs longiuſq; videre arbitratur, quàm mille Auguſtinos (quæ, malùm, tanta arrogantia & ſuperbia!) quamq; omnes in vniuerſo orbe terrarum Chriſti fideles. quod & in præſenti loco ſcripturæ ſatis oſtenditur, quem cùm omnes ad

Digitized by Google

nes ad hunc vſque diem, ita, vt nos legimus, legerint, legendumq́; non aliter putauerunt vnquam, vtpote ad id omnibus loci ipſius circumſtantijs pene adacti: ſoli Ariani contemptis omnibus omnium iudicijs, aliter legendum intelligendumq́; arbitrantur. Verùm quid dicat Smalcius, expendamus. ait enim vocem ἐγένετο hanc etiam ſignificationem habere, vt in vocem, *fuit*, verti poſſit. Eſto. at etiam verti poteſt, *factum eſt*: vti omnes, quotquot hucuſq; fuerunt, ſcripturæ interpretes vertendum putauerunt. Quod proculdubio ita conſtanter & vnanimi conſenſu non cenſuiſſent, niſi omnis ratio ex circumſtantijs loci ducta, ita omnino fieri poſtularet. Vt enim cætera omittam; poſtquam dixiſſet Ioannes, quid Verbum fuerit in principio, vbi fuerit, quid egerit; deinceps narrare incipit, quid eſſe poſtea conſequenti tempore cœperit. & ante quidem erat Deus, nunc verò cœpit eſſe caro. ante erat apud Deum, nunc cœpit eſſe apud homines; ante omnia per ipſum facta ſunt, nunc gratia & veritas per ipſum facta eſt, & de plenitudine eius accepimus omnes. Cùm igitur docere voluerit, Verbum cœpiſſe eſſe carnem, proculdubio nõ potuit dixiſſe, & Verbum caro fuit, ſed Verbum caro factum eſt. ſicut & quod adiungit, *& habitauit in nobis*, indicat cœpiſſe in nobis habitare in carne, cùm ante eo modo non habitâſſet. & gratiam ac veritatem per eum factam eſſe, vbi pariter eſt vox ἐγένετο. Deinde docti cenſent vocem ἐγένετο tunc verti debêre per Verbum *fuit*, cùm res aliqua fuit olim, & nunc non eſt talis. Atqui Verbum etiam nunc eſt caro, ergo non debet verti per verbum *fuit*. Nam etſi horreat Socinus, Chriſtum modo dicere carnem, quod caro duntaxat mortalem carnis conditionem ſignificet; tamen id minimè neceſſarium eſt. Sæpè enim abſolutè hominem vel carnis naturam & ſubſtantiam ſignificat. Certè in paradiſo ante peccatum mors nondum erat, quia per peccatum ingreſſam eſſe in mundum ſacræ literæ docent: & tamen Adam de Eua dicit, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Hoc etiam in loco D. Ioannes abſolutè carnis naturam, non mortalem conditionem reſpexit: idem enim dicere voluit per Verbum carnem factum, quod verbum hominem factum. & in verbo in carne poſito, non tam infirmitatem, quàm maieſtatem & gloriam quaſi vnigeniti à Patre conſiderat, plenitudinemq́; gratiæ & veritatis.

At inquit Smalcius, multa iam ante de Chriſto in mundo con-

uerſante dixerat. non igitur potuit iſta de incarnatione loqui, quæ illa omnia præceſſit: ſed occurrendum eſt, etiam multa, habitationem Chriſti nobiſcum ſubſecuta, in antecedentibus dixiſſe, non igitur debuiſſet quoque dicere, *& habitauit in nobis.* Sanè præpoſterum cenſeri non debet, ſi poſteriora priùs narrentur, non per ſe, ſed occaſione aliqua, ad alia meliùs explicanda: vti hoc loco feciſſe Ioannem per anticipationem, non dubium eſt.

Ait deinde Smalcius, non ſtatim ac Verbum caro factum eſt, fuiſſe plenum gratiæ & veritatis, ſed poſtquam habitauit inter Apoſtolos, & quando viſa eſt ab illis gloria eius. Verùm errat Smalcius. Nam verba illa, *plenum gratia & veritatis*, iunguntur cum illis, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* vt ex Græco textu manifeſtum eſt. Cætera verò de viſa gloria eius, veluti in parentheſi poſita intelliguntur. Verbum igitur ſtatim ac caro factum eſt, habitauit in nobis, & ex conſequenti ſtatim fuit plenum gratiæ & veritatis. non enim de habitatione inter Apoſtolos, ſed inter homines id intelligendum eſſe docet ipſa anthiteſis. Sicut enim ante dixerat, in principio habitaſſe apud Patrem: ita nunc dicit habitaſſe in nobis, id eſt inter homines. Cœpit autem habitare inter homines ſtatim, ac eſt caro factum.

Neq; ſatis fuit Smalcio, loci huius lectionem mutare, plenitudinemq; gratiæ & veritatis, Chriſto, ab ipſo eius in terris ortu, denegare; ſed & ipſam plenitudinem gratiæ & veritatis non abſolutè & ſimpliciter, ſed reſpectiuè & ſecundùm quid, ratione doctrinæ accipi omnino vult; nempe vt nihil eorum omittat, quibus Chriſti dignitati & maieſtati quocunq; modo detrahi poſſit. At tota via errat. Sicut enim gloria eius, fuit gloria quaſi vnigeniti à Patre, hoc eſt talis & tanta, quanta vnigenitum Dei Filium decuit: ita & plenitudo gratiæ & veritatis, tanta intelligenda eſt, quanta vnigenitum Filium Dei decuit: hoc eſt non ad menſuram, vt dicitur: Ioan: 3. Pater enim, ſicut non ad menſuram diligit Filium: ita nec ad menſuram eum implet, vt alios, ſed omnia dedit in manu eius. vt ibidem dicitur. Quod ſi plenitudo non eſt ad menſuram, conſequens eſt eſſe plenitudinem abſolutè & ſimpliciter, non ſecundùm quid tantùm, ita vt nihil ſit, quod non dederit: hoc enim eſt, non ad menſuram dare, non ad menſuram diligere. Vt enim Filio Dei vnigenito nil maius cogitari poteſt; ita & plenitudo gratiæ, quæ illi, tanquam vnigenito

Digitized by Google

nigenito Dei, competit, tanta eſt, vt maior cogitari non poſſit.

Sunt quidem & leguntur in ſcriptura alij quoq; gratia pleni, vt B. Virgo. S. Ioannes Baptiſta, S. Stephanus, ſed magno diſcrimine: nullus enim eſt plenus, vt vnigenitus Filius Dei, ſed vt ſerui pro modulo ſuo. & ſicut alia eſt plenitudo maris, alia fluminum: item alia plenitudo lucis in ſole, alia in ſtellis: ita alia eſt plenitudo Filij Dei, alia ſeruorum Dei. Hi enim, vt vaſa quædam modica & anguſta, pleni ſunt: Filius autem, vt vas quoddam immenſum: quantùm enim dignitas Filij Dei, excedit omnem aliam hominum omnium dignitatem (qui exceſſus dubio procul eſt immenſus) tantùm plenitudo Filij Dei excedit, aliorum Sanctorum plenitudinem: quæ etiam ad plenitudinem Chriſti, vt flumina ad mare comparatur. Vt enim flumina ex mari: ita de plenitudine Chriſti nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, id eſt gratiam legis Euangelicæ, loco gratiæ legis veteris; vt communiter exponunt interpretes. Nam & lex vetus, gratia quædam Dei erat, in beneficijs quibuſdam externis conſtituta, per quam homines adoptabantur in filios Dei, & fiebant populus eius peculiaris, vti id exaggerat Paulus ad Rom: 9. 4. Verùm gratia legis Euangelicæ præcipuè in beneficijs ſpiritualibus ad ſalutem ſpectantibus conſtituta eſt; & ideo eſt lege præſtantior.

Tandem ne quid ad oppugnandam Chriſti plenitudinem deſiderari poſſet, hoc etiam vltimo loco adiungit Smalcius, poſſe ea verba de eo tempore, quo iſta Ioannes ſcripſit, hoc eſt poſt Chriſti reſurrectionem, commodiſſimè accipi. vt facilè quiſque perſpiciat in hoc vnico omnem iſtorum induſtriam deſudare, vt Chriſti dignitas & gloria, quàm maximè minuatur: hoc enim ſpectant, dum teſtimonia pro dignitate & gloria Chriſti tam ſtudioſè oppugnant & imminuunt. Sed non eſt conſilium aduerſus Dominum, & gloria illius oppugnari quidem poteſt, expugnari verò non poteſt. Aio igitur, falſiſſimum eſſe, quod aſſerit Smalcius. Etenim verbum, ait Ioannes, fuiſſe plenum gratia & veritatis, tunc, cùm eſt Caro factum & habitauit in nobis. At poſt reſurrectionē, quo tempore Ioannes id ſcribebat, non habitabat in nobis, ſed in cœlo. Huius etiam verbi, quod habitauit in nobis plenum gratia & veritatis, gloriam ſe vidiſſe ait, quaſi vnigeniti à Patre: quod proculdubio ante reſurrectionem contigit, tunc cùm eius gloriam in Transfiguratione ſpectaret, Patre atteſtante: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Agnoſcat ergo Smalcius ſe menda-

ſe mendacium poſuiſſe brachium ſuum, & nihil ad demoliendam Chriſti plenitudinem afferre poſſe, quod non ſit ipſa falſitate falſius.

Neq; verò dubitari poteſt duo prædicta loca, quæ ex Ioannis 1. & 3. capite adduximus: valere plurimùm ad perfectum Chriſti dominium comprobandum: licet enim expreſſè de Chriſti dominio nō loquatur, tamen ea continet, ex quibus Chriſti dominium neceſſariò inferri debet. Nam ſi Chriſtus gratia plenus ſemper fuit: cùm ſecūdùm aduerſarios præcipua Chriſti gratia & beneficium fuerit, poteſtas illa ac dominium in res omnes; ea quoq; gratia plenum ſemper fuiſſe conſequens eſt. Similiter ſi Deus non ad menſuram dat Spiritum Filio, & non ad menſuram diligit Filium, omnia abſolutè dedit in manu eius, & omnem illi poteſtatem in omnia conceſſit, vt ibidem infert S. Ioannes. quod eſt perfectum dominium ei contuliſſe. Dominium enim perfectum, perfecta poteſtate continetur.

Patet igitur ex dictis, quod in Actis legimus, Deum poſt reſurrectionem, Ieſum feciſſe Dominum, non poſſe ab Aduerſarijs eo ſenſu exponi. quaſi tunc primum perfectè fuerit factus Dominus, cùm ante perfectè Dominus non eſſet; cùm omnes ſcripturæ teſtentur, Chriſti poteſtatem ſemper fuiſſe perfectam, ac proinde & dominium, quod poteſtate definitur. At neq; verba in Actis vllo modo cogunt, vt eum ſenſum concipiamus, propter duo. Primum quòd alioqui neceſſe eſſet omnino affirmare, Chriſtum nullo modo ante fuiſſe Dominum. Scriptura enim abſolutè loquitur, Deum, feciſſe Chriſtum, Dominum. Si ergo ad id neceſſarium eſt, Chriſtum re ipſa non fuiſſe Dominum, ſequetur abſolutè non fuiſſe Dominum, & abſolutè caruiſſe omni Dominij poteſtate. non enim ſcriptura dicit, Deum feciſſe Dominum perfectum, ſed Dominum abſolutè. Quod ſi propter alias ſcripturas, quæ illum teſtantur ante fuiſſe Dominum, dicere nolunt Ariani, eum abſolutè factum Dominum, ſed tantùm ſecundùm quid, id eſt factum perfectum: licet enim abſolutè fuerit Dominus, tunc tamen non abſolutè fuit factus Dominus, ſed tantùm quoad perfectionem dominij: pari ratione nos dicimus, propter ſcripturas, quæ illum ante fuiſſe perfectè Dominum teſtantur, non eo ſenſu dici factum Dominum, quòd ante nō eſſet perfectè Dominus, ſed alijs modis, quibus is, qui eſt perfectè Dominus, dici poteſt factus Dominus: quæ eſt altera ratio, propter quam oſtendimus, locum hunc nullo modo nos cogere, vt intelligamus Chriſtum vel nullo mo-

Digitized by Google

nullo modo ante fuiſſe Dominum, vel certè perfectè non fuiſſe Dominum. Etenim cùm ſit etiam alius modus, quo is qui fuit verè & perfectè Dominus, poſſit dici factus Dominus, nulla neceſſitas eſt priori tantùm modo, non autem poſteriori verba ſcripturæ exponere: imò cùm priorem modum ſcripturæ omnes non admittant, neceſſarium prorſus eſt, poſteriori hunc locum exponere.

Dupliciſenſu Chriſtus poſt reſurrectionem dicitur factus Dominus.

Duo igitur modi ſunt, quibus Chriſtus poſt reſurrectionem dici poteſt factus Dominus, etiamſi ante perfectè fuerit Dominus. primus eſt, quoad actum dominandi: quamuis enim quoad poteſtatem fuerit ſemper perfectè Dominus: non fuit tamen, quoad actum dominandi: ſiquidem ab actu dominandi, ſalutis noſtræ cauſa, tota ſua vita abſtinuit. Vt enim ipſemet Apoſtolis dixit, ſe quidem eſſe Dominum, & rectè dici Dominum, tamen non veniſſe ſe in hunc mundum, vt illi tanquam Domino miniſtraretur, ſed potiùs vt ipſe alijs miniſtraret. quod idem Paulus dicit, cùm aſſerit, eum in forma Dei, formam ſerui aſſumpſiſſe, & in ſimilitudinem hominum factum eſſe: hoc eſt Dominum non pro Domini maieſtate, ſed pro ſerui humilitate ſe geſſiſſe, hocq; ipſum eſt ſe exinaniſſe, nempe à Dominantis maieſtate ad ſerui humilitatem ſe deieciſſe. non poſſet autem dici ſe exinaniſſe, niſi ante fuiſſet Dominus; & quidem talis ac tantus Dominus, vt eſſet æqualis Deo. Hoc idem etiam alibi Paulus commemorat, cùm ait Chriſtum cùm diues eſſet, pro nobis egenum factum eſſe. Hoc igitur modo rectè dici poſſe, Chriſtum factum eſſe Dominum: teſtatur inprimis S. Paulus, Rom: 14. 9. *In hoc*, inquit, *Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.* quibus verbis Chriſtum, poſt reſurrectionem, tam viuis quàm mortuis dominari cœpiſſe oſtendit; idq; poſt reſurrectionem aſſecutum eſſe; vt cùm ante non dominaretur, inciperet actu dominari. Ad Philip: etiam cap: 2. dicit donatum eſſe Chriſto poſt reſurrectionem nomen ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur: quod totum ad dominantis regnantiſq; maieſtatem ſpectat. qua maieſtate, tota ſua vita, ſalutis noſtræ cauſa, carere voluit. Poſt reſurrectionem igitur, IESVM illum crucifixum, ea ratione Deus fecit Dominum. quia cùm is viuens omnem à ſe maieſtatem & ſplendorem remouiſſet, & non dominanti ſed ſeruo potius ac miniſtro ſimilis eſſet, fecit Deus, vt re ipſa dominaretur omnibus, Dominiq; maieſtatem ac poteſtatem aſſumeret, in eaq; ab omnibus coleretur &

Digitized by Google

retur & adoraretur. Sicut enim is meritò diceretur aliquem feciſſe Regem, ſi illum regnare renuentem & humilem, ac priuatam vitam agentem, ad regnandum & regia poteſtate maieſtateq; vtendum induceret, faceretq; vt omnes illi ſeruirent, regioſq; honores exhiberent: ita proculdubio meritò Deus dici poteſt & debet, feciſſe Chriſtum Dominum, cùm illum tota vita ſua regnare nolentem, & humilem vitam agentem, ad Regiæ dignitatis maieſtatem poſt reſurrectionem euexit, & vt regnaret ac omnibus dominaretur, effecit. quod etiam SS. Patres declarationem Chriſti dominij appellant, & factū, id eſt declaratum Dominum interpretantur: non de verbali, vt ita dicam declaratione intelligendo, ſed de reali, quæ non verbis, ſed rebus perfecta eſt, reali nimirum regnandi maieſtate, quam fecit Deus Chriſtum poſt reſurrectionem habere.

Alter modus, quo Chriſtus poſt reſurrectionem dici poteſt & debet factus Dominus, quòd per paſſionem & mortem, nouum ius & titulum dominij ſibi aquiſiuerit: etenim non dubium eſt non vno iure & titulo, ſed multiplici poſſe aliquem Dominum eſſe regni alicuius. primùm iure & titulo naturali ac hæreditario. deinde iure belli, ſi illud ex hoſtium manibus bello & armis vindicauit, & à tyrannide in libertatem reſtituit. Hoc igitur modo Chriſtus poſt reſurrectionem nouo iure & titulo factus eſt Dominus, nempe iure Redemptoris: etenim cùm ante iure naturali, tanquam verus Deus & verus Dei Filius, eſſet omnium Dominus, non ſolùm ſecundùm Diuinam naturam, ſed etiam ſecundùm humanam, vt ex ſcripturis ante citatis manifeſtum eſt: poſt reſurrectionem nouo iure, iure inquam redemptionis factus eſt Dominus. Etenim, ſi, qui alium pretio emit, Dominus ipſius efficitur, & eum in ſuam poteſtatem pretio transfert, quantò magis Chriſtus, qui nos non corruptibilibus, auro & argento, ſed ſanguinis ſui pretio emit; quod magnum pretium meritò vocat Apoſtolus, 1. Cor: 6. 20.

Deinde cùm non ſolùm ob nimiam ſuam in nos charitatem, ſed etiam ob obedientiam, & mandatum Dei Patris, humiliauerit ſemetipſum vſq; ad mortem, mortem autem crucis, Deus tantam in homines charitatem, & tantam obedientiam eo præmio afficere voluit, vt hominem illum nouo iure & titulo, Dominum cœli & terræ conſtitueret, data ei omni poteſtate in cœlo & in terra. Matth: 28. conſtituens eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem prin-

cipatum

cipatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubijciendo ſub pedibus eius. Eph: 1. 21. hoc enim tum dicta loca indicant, tum alia, quæ paſſioni & morti Chriſti, eam, quam poſt reſurrectionem conſecutus eſt, gloriam attribuunt. Philip: 2. 9. Hebr: 2. 9. Apoc: 5. 12. Dan: 7. 13.

En quomodo, non obſtante perfecto Chriſti Dominio ante habito, dici poteſt & debet Chriſtus poſt reſurrectionem Dominus factus. vt vel ex eo intelligi poſſit, quàm imperitè Ariani argumententur, ex eo quòd Chriſtus poſt reſurrectionem dicatur Dominus factus, concludentes, ante reſurrectionem perfectè Dominum non fuiſſe. vtrumq; enim ſecundùm ſcripturas tenendum eſt, Chriſtum & ante reſurrectionem perfectè Dominum fuiſſe, & poſt reſurrectionẽ nouo iure ac titulo Dominum factum, neq; ipſa dominari ac regnare in cœlo & in terra cœpiſſe Non igitur gratis ſupponit Smiglecius, Chriſtum tota vita perfectè Dominum extitiſſe, vt illi opponit Smalcius: ſed ex ſcripturis ſupponit, quæ clariſſimè vbiq; perfectum Chriſti, cùm in terris ageret, dominium teſtantur: nullæ verò ſunt, quæ illud mancum, imperfectum, diminutum indicent: neq; id quod de Domino poſt reſurrectionem facto dicitur, eam vim habet, vt inferre poſſit, Chriſtum ante vel nõ fuiſſe, vel perfectè nõ fuiſſe Dominũ.

Errores Arianorum de Chriſti poſt reſurrectionem exaltatione refelluntur, & locus ad Philip: ab eorundem cauillationibus vindicatur. CAP: VIII.

NIhil eſt in ſcripturis ad Chriſti gloriam ſpectans, quod Ariani non minuant, vel vt minimum, in dubium reuocent. ita ſunt de Chriſti gloria, non tam augenda, quàm minuenda vel euertenda ſoliciti. quod cùm in alijs locis faciant, tum in eo quem tractandum ſuſcipimus ex cap: 2. ad Philip: vbi de Chriſto in hunc modum loquitur Paulus. *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS *Chriſtus eſt in gloria Dei Patris.* Hic primùm proclamat

 Smalcius,

Smalcius, exaltari & ſemper eſſe altiſſimum, inuicem pugnare. cùm igitur Chriſtus ob obedientiam, quam Patri ſuo ad mortem vſq; præſtitit, fuerit exaltatus, neceſſe eſt, vt ante exaltationem altiſſimus, vel non fuerit, vel eſſe deſierit, ex eoq; conſequitur, nonniſi poſt exaltationem perfectè factum eſſe Dominum & Deum. At errat toto cœlo Smalcius, ſiquidem & Paulo & rationi repugnat. Etenim Paulus diſertè docet Chriſtum, cùm in forma Dei eſſet æqualis Deo, ac proinde altiſſimus, tam humiliatum quàm exaltatum eſſe: non igitur repugnat, imò veriſſimum eſt, altiſſimum & humiliari poſſe, & poſt humiliationem exaltatum eſſe. Et qua ratione non repugnat altiſſimum humiliari, eadem non repugnat poſt humiliationẽ exaltari.

Altiſſimum humiliatũ & poſt exaltatum eſſe, ſed non à ſenſu Smalciano qui eſt contrarius Apoſtolo.

Nam quod reſpondet Smalcius, Chriſtum ita humiliatum eſſe, vt formam Dei & æqualitatem cum Deo deponeret, id expreſſè refellit Apoſtolus, cùm ait, exinaniuiſſe ſemetipſum forma ſerui accepta. Non igitur formam Dei deponens, ſed formam ſerui accipiens, ſeipſum humiliauit ſecundùm Apoſtolum.

Dicet fortaſſe. formam ſerui accipi non potuiſſe, niſi forma Dei depoſita. At id falſiſſimum eſt; Nam Chriſtus ad mortem vſque, tam formam Dei, quàm formam ſerui retinuit, vti ſupra demonſtratum eſt: cum ipſo etiam paſſionis tempore, quo maximè ſerui formã demonſtrauit, & ſeipſum Filium Dei confeſſus eſt: & à latrone in cruce pendens pro Domino agnitus; & à Centurione, eo quòd ſic clamans expiraſſet, verè Filius Dei creditꝰ; & à Paulo in cruce pendens Dominus gloriæ appellatus; deniq; dũ caperetur, Diuina ſua virtute Malcho auriculã reſtituit. Fuit igitur forma Dei ſimul cũ forma ſerui, & ex conſequenti fuit & æqualitas cum Deo ratione formæ Dei.

Ridiculus verò eſt Smalcius, cùm ait, in ipſa morte, cùm eſſe Chriſtus deſijt, formã quoq; Dei amiſiſſe. Nam ſi, quia eſſe per mortem deſijt, formam Dei amiſit: pari ratione formam quoque ſerui amiſiſſet: aut igitur nunquam fuit Chriſtus in forma ſerui, aut ante mortem fuit. Porrò ante mortem, ita fuit in forma ſerui, vt ſimul formam Dei retineret. quod etiam negare non audet Smalcius, cùm concedat illum in cruce Filium Dei fuiſſe, conſequens eſt, formam ſerui non excludere formam Dei, & accipiendo formam ſerui, non depoſuiſſe formam Dei. Quod ſi verum eſt, toto paſſionis tempore Chriſtum formam Dei retinuiſſe, verum quoq; erit ſuam æqualitatẽ cum Deo retinuiſſe. Secundùm enim formam Dei, erat æqualis Deo.

Quod ſi.

Digitized by Google

Quod ſi æqualis Deo fuit, fuit & altiſſimus. altiſſimo enim æqualis eſſe nonpoteſt, niſi altiſſimus. Verum igitur erit, ſecundùm Paulū, altiſſimum toto paſſionis tempore humiliatum fuiſſe: nec tamen deſijſſe eſſe altiſſimum. Quòd ſi altiſſimus, manens altiſſimus humiliari potuit, potuit etiam exaltari: cùm exaltatio in eum, qui humiliatus ante fuit, propriè conueniat.

Dicet fortaſſe, ſaltem in morte Chriſtum formam Dei depoſuiſſe. At id Smalcij, non Pauli aſſertum eſt. neq; verò rectè inferri poteſt: Si Chriſtus per mortem homo eſſe deſijt, Deum quoq; eſſe deſijſſe. Et vt minimum, Paulus non in hoc humiliationem Chriſti collocat, quòd formam Dei depoſuerit, ſed quòd formam ſerui acceperit, & in ea vſq; ad mortem verſatus ſit, & ea Chriſti humiliatio, quæ mortem Chriſti præceſſit, ſatis eſt ad id, de quo agimus, nempe Chriſtum cùm eſſet altiſſimus in forma Dei, vt potè æqualis Deo, ſeipſum humiliaſſe.

Miror verò Smalcium negare auſum eſſe, Chriſtum tunc, cùm crucifigeretur, Dominum gloriæ à Paulo appellatum, 1. Cor: 2. 8. illis verbis. *Si enim cognouiſſent, nunquam gloriæ Dominum crucifixiſſent*; vult enim eo tempore, quo hæc ſcribebat Paulus, fuiſſe Dominum gloriæ, non cùm crucifigeretur: quo etiam ſenſu dicitur, auctor vitæ interfectus, Act: 3. 15. At longè clariora ſunt Pauli verba, quàm vt ſenſum eiuſmodi admittant. Vult enim dicere Paulus, ſi Iudæi cognouiſſent id, quòd tunc erat Chriſtus, nempe Dominus gloriæ, non fuiſſent auſi, ei manus inferre, ſed maieſtate eius deterriti, à tanto ſcelere abſtinuiſſent. Concedit ergo Paulus in Chriſto cruci affixo, eam maieſtatem, quæ ſi cognita fuiſſet, Iudæos à ſcelere illo deterruiſſet.

Adhæc quî negari poteſt, Chriſtum in cruce fuiſſe re ipſa Dominum gloriæ? Si enim Dominus gloriæ, is intelligendus eſt, qui eſt gloria & honore dignus; ſicut & Deus gloriæ, & Rex gloriæ eodem ſenſu accipiuntur; proculdubio Chriſtus in cruce Deus gloriæ fuit. quippe qui à multis, etiam tum, Domini honore & gloria cultus & honoratus eſt; Nam etiam latro eum Dominum ſuum reuerenter confeſſus eſt, & Centurio, vnà cum aliis, qui cum ipſo erant.

Tanta verò maieſtas in cruce pendentis erat, vt & terra tremeret. Terræ enim motu, Dei præſentiam & maieſtatem ſæpiſſimè in ſcripturis denotari, nemo eſt qui ignorat. Pſalmo 67.8. Pſal: 97.7. Pſal: 98. 1. Pſa: 113. 6. Ioelis 2. 10. Itaq; ex hoc veluti Diuinitatis ſigno, &

præterea ex eo, quòd magna voce clamans expirâſſet (quod procul- dubio naturam hominis morientis excedit. morientes enim vox & vires omnes deficere ſolent. hunc nec vox magna, nec vires integræ, Diuina ſcilicet virtute operante, defecerunt) illum vt Filium Dei Centurio agnouit & veneratus eſt. Si igitur re ipſa tūc fuit Dominus, & pro Domino creditus & cultus, cur etiam Dominus gloriæ re ipſa tùm fuiſſe non credatur? Nam quòd ſimilem modum loquendi in illis verbis (*auctorem vitæ interfeciſtis*) indicat, nos ſimili quoque modo accipiendum docemus: nempe Chriſtum, qui in cruce pendens & moriens fuit auctor vitæ, interfectum fuiſſe. morte enim ſua vitam nobis comparauit: quæ licet omnibus tunc non daretur, omnibus tamen parta erat & oblata. Neq; enim author vitæ hîc ſolùm dicitur, cùm actu vitam dat, ſed cùm id efficit, quo viuere, ſi velimus, poſſimus. Morte autem Chriſti nos eſſe viuificatos, nemini dubium eſt. quocirca neceſſe eſt Chriſtum moriendo authorem vitæ fuiſſe. Ridendus verò eſt Smalcius, cùm negat, Chriſtum vita priuatum, vitam in ſemetipſo habuiſſe, & multò minus alijs dare potuiſſe. Non enim vita iſta carnali, vitam alijs conferebat, ſed alia vita, longè diuiniori tàm ſeipſum quàm alios viuificare poterat, vti ſupra demonſtrauimus.

Cōtrariatur & rationi. Verùm non ſolùm Paulo Smalcius repugnat, cùm altiſſimum negat humiliari vel exaltari potuiſſe, niſi altiſſimus eſſe deſinat, ſed & ipſi rationi. Etenim in eo, qui altiſſimus eſt, duo neceſſariò diſtinguenda ſunt. primum poteſtas illa & dignitas ſumma, qua excedit omnes & in ſe digniſſimus eſt, vt ab alijs pro ſua ſumma dignitate ſummo honore colatur. alterum eſt, honor ille ſummus, qui ei, vt altiſſimus eſt, debetur. Vt igitur altiſſimus humiliari dicatur, non eſt neceſſe, vt ſummam illam poteſtatem & dignitatem amittat, ſed ſatis eſt, ſi non pro dignitate altiſſimi tractetur, ſed vt vilis quiſpiam, abiectus & infimus. Hoc enim modo ſi Rex mutato habitu à ſubditis modis indignis tractetur, & pro vili ac infimo habeatur, verè dici poteſt humiliatus, eo quòd omnis illius honor conculcetur. neq; tamen idcirco ſupremus princeps eſſe deſinit; neq: poteſtate ſua ſumma, quam in ſubditos habet, priuatur. Pari ergo ratione Chriſtus, in forma Dei, æqualis Deo exiſtens, humiliatus eſt: cùm & vilem ac obiectam naturam aſſumpſit, & in ea ſe paſſioni ac morti ſubiecit: neq; tamen idcirco Deo eſſe æqualis deſijt dignitate. licet in

effectu

effectu non pro tali, qui Deo æqualis eſſet, tractatus ſit. Et ſanè aliud eſt, in ſeipſo eſſe altiſſimum dignitate, aliud effectu, ſeu re ipſa ea facere vel admittere, quæ dignitati eius conueniunt. Altiſſimum igitur in hoc ſenſu humiliari non repugnat. quia non repugnat dignitati ſuæ contraria experiri, quæ eſt veriſſima humiliatio, quod ſine dignitatis in ſeipſo amiſſione fieri poſſe nemo non videt. Etſi enim dignitati ſuæ contraria patiatur; in ſeipſo tamen digniſſimus eſt, vt omni cultu & honore afficiatur, neq; ex eo, quòd aliquis re ipſa pro vili & abiecto ab alijs habetur; in ſeipſo vilem eſſe, nulliuſq; dignitatis ac pretij oportet: cùm aliud ſemper ſit, in ſe vilem eſſe: aliud apud alios vilem haberi, & pro vili re ipſa tractari: aliudq; eſt eſſe effectu vilem ac infimum, aliud dignitate: qui enim effectu vilis eſt ac infimus, dignitate poteſt eſſe ſummus.

Ex quibus manifeſtum eſt, optimum & inuictum eſſe noſtrum contra Aduerſarios argumentum, quo probamus, Altiſſimum exaltari potuiſſe, ex eo quòd & humiliari potuerit. neq; enim vel humiliato repugnat exaltari, vel altiſſimum humiliari: cùm altiſſimæ ſuæ dignitati contraria experitur. Illa enim Smalcij admiratio per ſe abſurda eſt, cùm ait: ſi ſummo honore caruit, quomodo altiſſimus fuit: idcirco enim altiſſimus fuit, quòd ſummo illo honore, quo tùm caruit, digniſſim⁹ fuit. Simile & illud. Deo altiſſimo pati & affligi repugnat: ergo & illo modo humiliari. Nam ſi de humiliatione paſſionis & mortis ſermo ſit, vti verum eſt, Deum in ſua natura Diuina tantam humiliationem recipere non poſſe; ita in natura aſſumpta, quæ paſſibilis ſit, poſſe, non minus veritati conſentaneum eſt. de factoq; Apoſtolus ait, Chriſtum æqualem Deo formam ſerui accepiſſe, in eaq; obedientem ad mortem vſq; crucis. Neq; ex hoc inæqualitas inter Chriſtum & Deum in natura Diuina apparet; vt obijcit Smalcius, ſed concors æqualitas. Vterq; enim in natura Diuina abſolutè cõſiderata affligi & pati nõ poteſt; vterq; in natura aſſumpta poteſt. *Germanus ſenſus de altiſsimi humiliatione & humiliati exaltatione.*

Iam verò cùm ſic argumentatur Smalcius, Chriſti æqualitas in eo etiam conſiſtebat, quòd paſſim adoraretur & inuocaretur. Ergo cùm paſſionis tempore re ipſa tali cultu deſtitueretur, re ipſa deſijt eſſe æqualis Deo. In hac argumentatione tria vitia ſunt: Nam inprimis falſum eſt, Chriſti cum Deo æqualitatem in actuali illa adoratione & inuocatione vllo modo cõſiſtere. eſt enim quid conſequẽs ad æqualitatem, non ipſa æqualitas. qui enim pares ſunt dignitate & *Tres horrendi lapſus Smalcij.*

 poteſtate,

Digitized by Google

poteſtate, pares quoq; honore cenſentur, ſed ex conſequenti. Nam honor dignitatem conſequitur: eſſentia verò ipſa æqualitatis ex poteſtate & dignitate æſtimanda eſt, ſiue eam actu honor & adoratio conſequatur, ſiue non. alioqui Deus cùm ante mundum conditum à nemine coleretur & adoraretur, non fuiſſet tantus in ſeipſo, quantus modo eſt, dum à mundo vniuerſo adoratur & colitur. Non igitur actualis adoratio vim habet, æqualitatem cum Deo augendi vel minuendi.

Illud etiam falſum eſt, in cruce Chriſtum nec inuocatum fuiſſe, nec Diuino honore cultum. vt enim ex dictis ſupra manifeſtum eſt, inuocauit eum latro, & Paradyſum inuocatione obtinuit. Centurio etiam cum ſuis honorem Filij Dei eidem detulit, & omnis ratio ſuadet, ei qui in cruce verè Filius Dei & Deus eſſe credebatur, potuiſſe Diuinos honores impendi.

Tandem & ille tertius error eſt, arbitrari Chriſtum ob defectum actualis honoris & adorationis, Deo non fuiſſe æqualem; nihil enim ille honor externus ad æqualitatem facit, vt dictum eſt. nec ſi deſit, eam minuit; nec ſi adſit, auget. alioqui & Deum ipſum ſeipſo quandoq; minorem eſſe oporteret, & Chriſtum ſi à paucis vel nullis coleretur, non fore Deo æqualem. non enim coli, ſed cultu Diuino dignum eſſe, ad æqualitatem cum Deo, facit. Non igitur vlla firma ratione noſtrum argumentum impugnari à Smalcio potuit, ne dicam expugnari, firmumq; manere neceſſe eſt, Deum vti ſe humiliare potuit, ita & exaltari poſſe.

At cùm Smalcius de exinanitione & humiliatione Chriſti longè aliter ſentiat, quàm à Diuo Paulo doceatur, illud etiam diligentiùs expendendum eſt. Paulus enim exinanitionem Chriſti, in forma ſerui accepta collocat: per formam ſerui naturam humanam intelligens; ratione cuius in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inuentus vt homo. vti mox ipſe Paulus exponit. Eam enim & ſerui naturam eſſe, ſi ad Diuinam (quæ natura Domini eſt) referatur, & maximam Chriſti exinanitionem continere manifeſtum eſt. Tam enim parua & exigua res eſt Deo hominem eſſe, vt inane quiddam & prope nihil Deus dicatur factus, cùm homo eſt factus: nempe tam magnus erat, vt æqualis Deo eſſet: factus eſt tàm paruus, vt in ſimilitudinem hominum eſſet, & habitu inuentus vt homo.

Longè aliter Smalcius formam ſerui interpretatur, vt conditionem ſer-

Digitized by Google

nem ſeruilem tantummodo denotat. Seruorum enim eſt premi, affligi, malè mulctari. At non ſic S. Paulus formam ſerui explicat. non enim ait in ſimilitudinem ſeruorum factum eſſe, ſed in ſimilitudinem hominum; nec habitu inuentum eſſe vt ſeruum, ſed vt hominem. Forma igitur ſecundùm Paulum eſt forma hominis, non forma mancipij. Et ſanè nemini dubium eſt, Chriſtum nunquam fuiſſe vllius hominis mancipium, nec in numerum ſeruorum ſub alicuius dominio redactum, nec ab vllo pro tali habitum. imò, vti dictum eſt, in ipſa cruce pro Filio Dei & Domino agnitum, & Diuinitatem ſuam verbis & factis tum docuiſſe. imò hac de cauſa condemnatum ad mortem & cruci affixum fuiſſe, quòd Filium Dei ſe faceret, vti ex accuſationibus Iudæorum, & proceſſu contra Chriſtum iudiciali patet. Quod ſi in eo forma ſerui conſtituatur, quòd captus, ligatus, cæſus, cruci deniq; affixus ſit, ea forma non ſerui, ſed hominis nocentis eſt. Neq; enim iſta Chriſto contigerunt vt ſeruo; ſed vt reo & nocenti. nam cùm ſeruus premitur & affligitur, ex dominio & abſoluta poteſtate premitur, non ſeruato iuris vllo proceſſu; contra Chriſtum verò, tanquam contra reum & ſontem proceſſum eſt, accuſationes adhibitæ, teſtimonia, conſilium, iudicium, deniq; condemnatio per ſententiam & decretum iudicis, non per abſolutam poteſtatem, vt cum ſeruis fieri ſolet, cùm vt ſerui condemnantur. Non igitur hoc ſenſu Chriſtus in paſſione formam ſerui ſuſtinuit, ſed formam rei & nocentis hominis. Forma autem rei & nocentis hominis, non eſt forma ſerui; cùm non ſerui ſolum, ſed & liberi homines rei fiant in iudicio, & ſæpè innocenter accuſentur & condemnentur, & procedatur cóntra illos, non vt in ſeruos, ſed vt in reos. Cùm enim quis innocenter affligitur ex abſoluto dominio, ſiue vero, ſiue vſurpato, tractatur vt ſeruus: cùm verò forma iuris & proceſſu iuridico affligitur, non vt ſeruus tractatur, ſed vt reus. Nullo igitur modo verum eſt, Chriſtũ formam ſerui, vt conditionem ſeruilem deſignat, accepiſſe; ſed ſolùm vt naturam humanam ſignificat, quæ, Dei reſpectu, eſt natura ſerui, & Deum, fieri hominẽ, eſt Dominũ fieri ſeruũ.

Accedit quòd forma ſerui opponatur à Paulo formæ Dei; ſimilitudo hominum æqualitati Dei. Sicut igitur forma Dei, qua Chriſtus eſt æqualis Deo, nulla alia eſſe poteſt, præter naturam Diuinam; nihil enim extra Deum, eſſe æquale Deo poteſt, ſed quidquid eſt extra Deum, eſt infra Deum, vti ſupra luculenter oſtendimus: ita forma ſerui

ma ſerui eſt illa, qua ſimilis eſt hominibus, & ratione cuius inuentus eſt habitu vt homo, quæ eſt natura ipſa hominis. Hanc igitur Chriſtus accepit, cùm formam ſerui accepit: ita vt mirum ſanè ſit, Arianos audere alias peregrinas interpretationes attexere ſine vllo ſcripturæ fundamento. cùm tam manifeſtè Paulus ſeipſum exponat, & ab omnibus bonis Chriſtianis hactenus non aliter intellectus & expoſitus ſit.

Neq; eſt quod Grammaticam vrgeat, quòd μορφὴ formam ſolùm exteriorem ſignificet. Conſtat enim apud Doctos non hanc ſolùm, ſed etiam internam & eſſentialem ſæpenumero ſignificare: & quamuis externam duntaxat formam ſignificaret: tamen cùm de vera & naturali, non de ficta forma agitur, ea ſine natura aſſumi non poteſt. Quis enim formam hominis externam verè aſſumat, niſi naturam hominis aſſumat, quòd ea naturæ neceſſariò cohæreat. Quocirca nec Chriſtus hominis formam iſto modo aſſumere potuit, niſi naturam hominis aſſumpſiſſet. Non ergo opponat nobis Smalcius, duarum in Chriſto naturarum fictionem: ea enim ipſiſſima eſt ſcripturarum doctrina, tum alibi paſſim, cùm Chriſto & Diuina & humana verè tribuatur: tum hoc loco expreſſè, cùm forma in Chriſto duplex aſſignatur, altera Diuina qua Chriſtus eſt æqualis Deo, altera humana, qua Chriſtus eſt ſimilis hominibus, crepent licet & rumpantur Ariani.

Solent Ariani illa verba Pauli, *in ſimilitudinem hominum factus*, de ſimilitudine vulgarium hominum exponere: vt ſenſus ſit, Chriſtum eſſe in ſimilitudinem vulgarium hominum factum, & habitu ſeu figura inuentum, vt hominem vulgarem. At falſiſſimè & contra Pauli mentem: etenim Chriſtus nunquam, aut pro vulgari homine habitus eſt, aut ſe pro vulgari homine geſſit. Nam & ipſo paſſionis tempore conſtanter ſe Filium Dei profeſſus eſt publicè in iudicio Caiphæ, & idem miraculis in paſſione factis declarauit, vt paulò ante docuimus: Regem etiam, licet non de hoc mundo, ſe faſſus eſt eſſe à Pilato interrogatus. quin Iudæi eo præcipuè nomine illum accuſabant, tùm quòd Filium Dei ſe faceret, tùm quòd Regem. Ioan: 19.12. adeò vt id etiam in titulum cruci impoſitum relatum eſſet; *Rex Iudæorum.* Item quòd commouerit populum docens per vniuerſam Iudæam incipiens à Galilæa. Luc: 23.5. quæ certè non ſunt vilis & vulgaris hominis, ſed magni & ſingularis indicia. Quod ſi Paulus de ſimilitudi-

Digitized by Google

militudine hominum vulgarium loqui voluiſſet, proculdubio non abſolutè dixiſſet, in ſimilitudinem hominum factus, ſed vel aliorũ vel vulgarium hominum: alioqui in ſimilitudinem hominum abſolutè fieri, eſt ſimilem fieri hominibus abſolutè in natura, vel in ijs, quæ naturam conſequuntur, proprietatibus: quod etiam habitus hominis, id eſt figura hominis, figura inquam naturalis indicat.

Vrget ſecundo loco Smalcius obiectionem ſuorum, dicentium. qui fieri potuit, vt Chriſtus exaltatione indigeret, ab alio præſertim petenda, quàm à ſemetipſo, cùm Deus aliena ope non indigeat: ex quo ritè inferri putant, Chriſtum, Deum perfectè non fuiſſe, cùm, vt exaltaretur ab alio, egeret. Verùm quod Ariani non intelligunt, nec quomodo fieri poſſit, capiunt: Paulus docet, eum qui in forma Dei erat æqualis Deo, ratione formæ ſerui acceptæ, & humiliatum eſſe, & exaltatione eguiſſe, & non niſi à Deo illam petere debuiſſe: Deus enim hominem exaltauit in forma ſerui humiliatum. Ergo ſecundùm Paulum, diuerſitas naturarum in Chriſto, vtrumq; facit eſſe verum. nempe & ratione Diuinæ naturæ qua erat æqualis Deo, exaltatione ab alio non eguiſſe, & ratione humanæ naturæ aſſumptæ eguiſſe. Etſi igitur iſta duo ſint inter ſe pugnantia, ſi ad eandẽ naturam referantur: non tamen ſi ad diuerſas naturas. vti hoc loco Paulum referre ex dictis manifeſtum eſt. Non igitur petimus principiũ cùm duas naturas allegamus; ſed Paulum duas in Chriſto naturas aſſerentem producimus, quem per formam Dei & formam ſerui, Diuinam & humanam naturam intellexiſſe, luce ipſa clariùs oſtendimus. Quanquam cùm dicimus Chriſtum, vt hominem eguiſſe, vt à Deo exaltaretur, non excludimus ipſum Chriſtum, quà Deus eſt: eſt enim vnus cum Patre Deus: vna vtriuſq; operatio & virtus, ita vt quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter faciat. Quare eguit Chriſtus homo, vt Diuina Patris & ſua virtute in humana natura exaltaretur. Neq; iterum accuſari poſſumus petitionis principij: cùm id manifeſtè ſupra probauerimus, & ex hoc ipſo Pauli loco neceſſariò conſequatur: Si enim ratione naturæ Diuinæ eſt æqualis Deo; cùm natura Diuina non ſit multiplex ſed vna; ſequitur Chriſtum eſſe vnum Deũ vnius virtutis & operationis cum Patre: & quæcunq; Pater facit, hæc & Filium ſimiliter facere. quare ſi homo ille exaltari eguit à Patre, eguit quoq; exaltari à ſeipſo, vt Deo.

Quomodo Chriſtus, licet altiſſimus, exaltatione eguerit docetur Smalcius.

Iam cùm quærit Smalcius, cur exaltationem ſuam petierit à Pa-

tre, cùm in ſeipſo vim id præſtandi habuerit. Reſpondeo, hominem illum in humana natura exaltatione eguiſſe, & illam ſibi præſtare ratione ſolius humanæ naturæ non potuiſſe: petere igitur debuiſſe, vt ſibi Diuina virtute præſtaretur. Cùm verò quærit Smalcius, cur à Patre petendum erat, quod à ſeipſo habere potuit. in promptu reſponſio eſt: nimirum quia non ſua ſolùm, ſed & Patris virtute, hoc eſt, quæ ſibi erat cum Patre communis, id præſtari debuit.

Quomodo item quis ſibi aliquid cõferre poſſit, idẽ Smalcius inſtruitur.

Illud minimè ferendum eſt, quod Smalcius adiũgit: quis inquit, vnquam fando audiuit aliquem ſibimetipſi aliquid dare, vel à ſemetipſo aliquid accipere, cum hæc manifeſtam implicat contradictionẽ? Nam ſi accipit aliquid à ſemetipſo, iam illud habet; ſi habet, quomodo poteſt accipere? Itané verò rudis eſt Smalcius, vt id ignoret, quod omnes norunt? Sic aqua cùm reſtituit ſe ad priſtinum frigus, nonné confert frigus ſibi ipſi? Sic viuentia cùm creſcunt & augentur, conferunt ſibiipſis augmentum, & perducunt ſeipſa ad maiorem quantitatem; fructus cùm matureſcunt, ſeipſos ad maturitatem promouẽt. animalia verò cùm vel ira inflammantur, vel alio affectu, alterationem illam in corpore à ſeipſis excitant; & centum alia exempla ſuppetunt, quibus clariſſimè docetur, idem ſibiipſi aliquid afferre poſſe, & à ſeipſo aliquid accipere. Illud verò quod Paulus monet, vt ſpiritu facta carnis mortificemus, quo alio modo intelligi poteſt, niſi in nos ipſos agamus, & potenter nobis reſiſtamus, in luctaque nos ipſos ſuperemus. Quod verò pro contradictione affertur, non contradictio eſt, ſed inſcitia. Vt enim quis det aliquid, non eſt neceſſe, vt illud habeat actu, ſed virtute. Sol enim impertit calorem ſublunaribus, ipſe tamen non eſt calidus actu, ſed tantùm virtute Deus dat rebus creatis motum & ſenſum; quæ tamen in ſe non habet, niſi virtute. Non igitur vllo modo ſequitur, quod infert Smalcius, ſi accipit aliquid à ſemetipſo, iam illud habet: poteſt enim ante acceptionem nõ habere actu ſed ſola virtute. ex quo omnis illa ſtructura contradictionis corruit.

Quomodo Chriſtus Patrem inuocauit, idem ibidem inſtruitur.

Carpit etiam Smalcius id quod ex ſcripturis dicimus. Filium, etiam in ijs, quæ erant poſita in ſua poteſtate, Patri deferre, eumque inuocare ſolitum; quod ridiculum planè & inſulſum iudicat, id ab alio petere, quod ipſemet in ſua poteſtate habeat. Id ſi ita eſt, inſulsè & ridiculè feciſſe Chriſtus putandus eſt, cùm Patrem in Lazari reſuſcitatione inuocauit; quod proculdubio in ſua ſitum erat poteſtate. Nam

Digitized by Google

te. Nam etiam aduerſarij fatentur, fuiſſe permanentem in Chriſto poteſtatem ad mortuos ſuſcitandos. Parum verò ad rem facit, quod ait Smalcius, in Chriſto poteſtatem fuiſſe à Patre datam: eſto enim fuerit data, hîc tamen non de ea re agitur: ſed an quis poſſit ab alio petere, quod ipſe habet in ſua poteſtate; ſiue illa poteſtas ſit data, ſiue non data. Cùm igitur negari non poſſit, in poteſtate Chriſti tūc fuiſſe Lazari reſuſcitationem, quomodo Patrem inuocauit? quomodo audiri ſe poſtulauit? Porrò vera huius rei ratio redditur ibidem à Chriſto Ioan: 11. 42. *Ego*, inquit, *ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti.* Chriſtus ergo, Patris inuocatione ad hoc opus habebat, vt omnes ex eo intelligerent, ipſum à Patre miſſum eſſe. Facit etiam & illa altera ratio, quam paulò ante commemorauimus: quia opera Chriſti, non ſola Chriſti virtute, ſed etiam virtute Patris effici debuerunt. meritò itaque Patris auxilium inuocandum fuerat.

Qui omnia Patri Chriſtus accepta retulerit, idem rudiſſimus homo eruditur.

Futile & illud Smalcij, ſi Chriſtus ſit idem Deus cum Patre, curare minimè debuiſſe, vt ei omnia accepta referret. Etſi enim, quà Deus eſt, eſt idem cum Patre Deus: tamen cùm ſit Deus de Deo; ratione originis & eſſe, & omnia accipit à Patre. quà verò eſt homo, ſic multo maiori ratione dependet à Patre, vt meritiſſimo iure illi omnia accepta referre debeat tanquam Deo.

Non videns Smalcij aliquè agnitione ſui præmiari poſſe, nec hoc præmium repugnare Chriſto, illuminatur.

Tertio loco Smalcius vrget, etiam aliam ſuorum obiectionem aientium, inſulſum nugatoriumq; eſſe, affirmare illum vnum Deum pro præmio ſuæ demiſſionis id habuiſſe, vt agnoſceretur qualis eſſet. Egregia ſanè (inquiunt) præmio afficiendi ratio, id cuipiam dare, quod in ipſius manu & voluntate eſt poſitum. Addunt: Egregium porrò illum vnum Deum iſti faciunt, qui eum præmio affici, adeoq; affectum fuiſſe docent. hæc iſti. At inprimis ſi negat Smalcius, poſſe id in præmium alicui dari, vt agnoſcatur qualis eſt, ſatis abſurdè negat. Nemo enim ignorat, laudem, præmium rectè factorum eſſe. atqui cognoſci dignitatem alicuius, eſt cum magna eius laude & honore coniunctum; meritò igitur id in præmium Chriſto dari poterat. Quòd ſi non in hoc hæreat, ſed abſurdum reputet id in præmium aſſignari, quod in eiuſdem ſitum eſt poteſtate, in eo etiam grauiter labitur. Nam vt cætera omittam, an non luce clarius eſt, ea quæ Deo pro beneficijs eius offerimus, magis in Dei quàm in noſtra poteſtate eſſe. Nunquid igitur tam impudens erit Smalcius, vt ea negec

 offerri

offerri Deo poſſe abſq; nugatione, vt ait, magna & abſurditate, quòd ea ſint in ipſius poteſtate? Faceſſant tales ineptiæ. conſtat enim offerri alicui poſſe etiam id, quod in eius cui offertur eſt poteſtate

Quanquam ſi Smalcius Diuinam & humanam naturam cum Paulo diſtingueret in Chriſto, intelligeret Chriſti exaltationem non fuiſſe in eius poteſtate, quâ homo, ſed quâ Deus erat. Deus enim hominem exaltauit. Nullum verò inconueniens eſt, hominem in præmium id accipere, quod non ſit in eius, quâ homo eſt, poteſtate, ſed ſolùm quâ Deus. Adhæc cùm Deo derogari putat, ſi præmio afficiatur, rurſum in eundem errorem incidit. Deum enim in natura aſſumpta præmio affici nullum inconueniens eſt: ſiquidem in natura aſſumpta, donationis & præmij capax eſt. Hoc verò modo Paulus, Chriſtum in forma Dei, æqualem Deo, ait, in forma ſerui aſſumpta, propter humiliationem ſuam præmio affectum eſſe. Vnde patet nõ potuiſſe inferre Smalcium, ex eo quòd Chriſtus præmio affectus ſit, Dominum ante perfectum non fuiſſe, ſed præter Deum, hominem etiam extitiſſe, vt in humana natura præmio affici poſſit.

Quarto loco Smalcius illa Pauli verba: *Donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* de Diuinitate donata intelligenda putat: ex quo cõſequitur Chriſtum ante donatam in reſurrectione Diuinitatem, perfectè Deum non fuiſſe. At nos clariſſimè docemus hoc loco non Diuinitatem donatam, ſed Diuinitatis honorem, ac nominis celebritatem. Nam & nomen, pro nominis fama & celebritate, ſumi poſſe, innumera exẽpla docent. *Melius eſt nomen bonum,* inquit Salomon Prou: 21. 1. *quàm diuitiæ multæ:* hoc eſt bona fama. & 2. Reg: 7. 9. dicit Deus Dauidi: *feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra,* hoc eſt nomen celebre. & hoc loco: *Nomen ſupra omne nomen,* eo ſenſu accipi; vt idem ſit, quod nomen celebre ſuper omne nomen, docet Paulus, cùm ſtatim exponens addit: *vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur.* Nomen igitur IESV eſſe ſupra omne nomen, eſt eſſe in toto mundo celebre, & omne illi genu flecti, omnẽq; linguam confiteri, quod nemo non videt, (niſi qui nihil videt) ad celebritatem pertinere. Neq; enim nomen IESV donatum tunc abſolutè fuiſſe dici poteſt, cùm ſatis conſtet illud vocatum fuiſſe ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur, & in circumciſione illi re ipſa donatum & impoſitum eſſe: hoc igitur ſolùm in reſurrectione donatum eſt, vt eſſet toti mundo celebre, & in nomine eius omne genu flecteretur.

Quod ſi

Quod ſi etiam per nomẽ, res ipſa, quæ tali nomine ſignificatur, intelligenda ſit, manifeſtum eſt, hoc Chriſto donatum eſſe, vt is eſſet celebris, ſuper alios omnes, qui nominari poſſunt. Idem ratio manifeſta conuincit. Etenim IESV nomen ſemper erat ſuper omne nomen in ſeipſo, id eſt digniſſimum omnĩ honore. hoc igitur illi donari non potuit, ſed id ſolùm donatum eſt, vt non ſolùm in ipſo, ſed etiam in toto mundo eſſet nomen ſuper omne nomen. eſſetq; in cœlo ac terra celeberrimum. Neq; enim poteſt dubitari Chriſti nomen ſemper fuiſſe ſuper omne nomen in ſeipſo, & omni alio nomine dignius. Nunquam enim in mundo quid maius erat Chriſti nomine, vtpote, qui ſemper fuit æqualis Deo, quod nulli hominum vel Angelorum vnquam contigit. Nullus tàm præſtanti ratione Deus & Filius Dei fuit, etiam ipſis Aduerſarijs teſtibus, vti fuit tota vita ſua Chriſtus. Nam quod Smalcius ait Chriſtum in paſſione & morte modico minoratum eſſe, quàm Angeli; non de Diuinitate procul dubio intelligendum eſt, ſecundùm quam erat longe alijs præſtantior. Nullus enim Angelorum talem ac tantam Diuinitatem habuit, propter quam pro Deo coli, & Diuino honore affici poſſet. quod cùm Chriſtus ante mortem haberet, conſequens eſt fuiſſe illum, tunc etiam Angelis præſtantiorem. Solùm verò naturæ humanæ reſpectu, quæ pati & mori poterat, & re ipſa paſſa & mortua eſt, dicitur *minoratus paulominus ab Angelis*, cùm Angeli nec pati nec mori poſſint. Cùm verò æqualitatem illam Chriſti cum Deo ait fuiſſe non abſolutam, ſed limitatam: & falſum aſſerit, vt ſupra demonſtratum eſt: & non ad rem reſpondet. Nam etiamſi admittatur illa æqualitas limitata, illa tamen talis eſt, & tanta, vt nulli alteri præter ipſum contigerit vnquam. quis enim dicere audeat, aliquem hominum vel Angelorum fuiſſe vnquam æqualem Deo? Quare neceſſe eſt affirmare, Chriſtum etiam hac ſua æqualitate limitata, fuiſſe ſupra omnes homines & Angelos.

Cùm verò Smalcius verba illa Ioannis, *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt*, ita reſtringit, vt nolit abſolutè ſuper omnes tàm homines, quàm Angelos intelligi, ſed ſolùm ſuper omnes Prophetas & Diuinos homines, primùm oſtendit ſe, ſui ſemper ſimilem eſſe, id eſt gloriæ Chriſti hoſtem & detractorem: deinde erroris ab ipſo Ioanne conuincitur: idcirco enim ſuper omnes eſſe affirmat. quia vt ℣. 34. ſubiungit, *non ad menſuram à Deo Spiritum accepit*; & ſicut Pater non ad

menſuram dilexit Filium; ita ſupra omnem menſuram dedit omnia in manu eius. Sicut igitur dubium non eſt, Chriſtum menſura Spiritus ſui à Deo accepti, & dilectione Patris, ſuperaſſe omnes homines Angelos: ita dubitari non poteſt, Chriſtum abſolutè fuiſſe ſuper omnes Angelos & homines. Accedit quòd Chriſtum Ioannes dicit eſſe ſuper omnes, non quocunq; modo, ſed vt Filium Dei. Atqui dignitate Filij Dei, erat ſemper ſuper omnes non homines tantùm ſed etiam Angelos. cùm nullus hominum aut Angelorum tam præſtanti ratione fuerit Filius Dei, vt Chriſtus: ita vt idcirco vnicus, proprius, vnigenitus Filius dicatur, quòd alterũ ſimilem non habeat. Abſolutè igitur ſuper omnes Chriſtum tunc fuiſſe, intelligendũ eſt omnino.

Ait quidem Smalcius, nos confundere cauſam cum effectu, cùm celebritatem nominis, quæ eſt effectus Diuinitatis, pro Diuinitate donata interpretamur. At nulla ratione, ſed ſola ſua auctoritate nudè probat, hoc loco intelligendam eſſe cauſam, non effectum: ſeu Diuinitatem, non verò honorẽ & celebritatem Diuinitati debitam: cùm nos ex aduerſo probauerimus verbis ipſis S. Pauli, & ratione, Diuinitatem nullo modo intelligi poſſe. non ergo cauſam cum effectu confundimus, ſed ipſe fingit de cauſa rem eſſe, vbi ſolius effectus fit mentio.

Ineptiſſimè ad extremum argumentatur ſic. Si Chriſtus fuit ante mortem altiſſimus, quid opus fuit ei à Patre donari honorem ſummum in toto mundo, cùm iſte honor non poſſet non contingere neceſſariò Chriſto? Nam quis hoc ineptiſſimè dici nõ videat. Paulus enim clarè affirmat, Chriſtum cùm in forma Dei eſſet, æqualem Deo atq; adeò altiſſimum fuiſſe, (quod de tempore mortem ipſius præcedente proculdubio intelligit) neq; tamen idcirco honorem ac nominis celebritatem in toto mundo conſecutum ait, ſed potiùs humiliatum & obedientem factum vſq; ad mortem. ita vt nemo inficiari poſſit, iſta duo magno diſcrimine à ſe diſtare, altiſſimum eſſe & altiſſimi honorem (præſertim in toto mundo) habere. Cùm igitur Smalcius quærit, quid opus erat, altiſſimo, honorem ſummum in toto mundo donari? reſpondendum eſt, opus fuiſſe, quia honorem illum in toto mundo, toto ſuæ humiliationis tempore non habuit, etiamſi toto illo tempore & digniſſimus eſſet: erat enim altiſſimus, & altiſſimi honore dignus. licet altiſſimi honorem actu non haberet in toto mundo. Falſiſſimum igitur eſt, honorem illum non potuiſſe

illi tunc

Digitized by Google

illi tunc non contingere, cùm certum ſit re ipſa illi toto tempore paſſionis eius non contigiſſe.

Similiter & illud quod ait, in perfecta Diuinitate donationi locum non eſſe, falſum eſſe multis modis conuinci poteſt. nam & nos multa Deo dona offerimus, quo tamen illum eſſe perfectum Deum non negamus: & quod ad Chriſtum attinet, nos non nudè aſſerimus, altiſſimo aliquid eſſe donatum, ſed in natura duntaxat aſſumpta. Non igitur ad hanc donationem accipiendam, opus eſt Chriſtum nō eſſe perfectum Deum, ſed ſolùm opus eſt, eſſe quoq; hominem.

Chriſtum meruiſſe ſuam exaltationem, ex verbis Pauli oſtenditur, & ſimul errores Smalcij de eadem re confutantur. CAP: IX.

NEgat Smalcius Chriſtum ſuam exaltationem promeruiſſe paſſione ſua & morte: etiamſi Paulus diſertè doceat, propter illam humiliationem & obedientiam vſq; ad mortem, fuiſſe à Deo exaltatum. Vrget inprimis vocem, *donáuit*, quæ exaltationem illam ex mera liberalitate & gratia, non ex aliquibus Chriſti meritis proceſſiſſe demonſtrat. At fallitur & impudenter errat. Nam ſi quis abſq; vllo pacto præcedente donat aliquid, is ex mera liberalitate & gratia donat. At ſi quis donationem in pactum deducit, is proculdubio non ex mera liberalitate & gratia, ſed etiam ex iuſtitia & dona obligatione: pactum enim obligationem iuſtitiæ inducere, nemo eſt, qui neſciat. Sic, ſi Rex promittat duci exercitus, ſi rem ſtrenuè contra hoſtem geſſerit, ſe donaturum eidem ciuitatem; eiuſmodi donatio in pactum deducta, ſub meritum cadit, & obligationem iuſtitiæ inducit; iniuſtusq; Rex ille, non ſolùm non liberalis eſſet, ſi duci poſt victoriam partam, donationem illam denegaret. Porrò tunc donatio in pactum deducitur, cùm ſub conditione operis promittitur: operanti enim ex iuſtitia, debetur merces promiſſa. Cùm igitur Chriſto promiſſa fuerit gloria & exaltatio, ſi humiliaret ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem, & pro ſalute hominum moreretur (hanc enim promiſſionem in illo noui fœderis pacto contineri neceſſe eſt) conſequens eſt, non ſolùm ex Dei liberalitate & gratia, ſed etiam ex pacto & iuſtitia promeruiſſe ſuam exaltationem & gloriam, in præmium ſuæ humiliationis & mortis. Vt enim rectè D. Paulus argumentatur, Rom: 11. 6. *Si gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non ex gratia.* Et ad Rom: 4. 4. *Ei qui operatur, merces non impu-*

Hallucinatur Smalcius negans exaltationē à Chriſto promeritā quòd ei ſit donata.

non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Etſi enim cùm quis operatur, ad aliquid conſequendum, nulla promiſſione & pacto interueniente, ei merces non debetur ex iuſtitia, quia non ex pacto: tamen ſi accedat promiſſio, neceſſe eſt, & opus habere rationem meriti, & merces rationem debiti. Cùm igitur Chriſtus operatus ſit ad hanc mercedem conſequendam, & interuenerit Diuina promiſſio; merces ei non imputabitur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, ſi vera eſt Pauli conſecutio. neq; donatio illa nominis ſuper omne nomen, gratuitæ donationis rationem habet, ſed donationis in pactum deductæ, & ex iuſtitia debitæ. Quocirca nullam vim habet argumentum Smalcij in donatione fundatum.

Eiuſdem aliud ruit fūdamentum, & an Deus obligari poſſit, docetur.

At enim Deus obligari non poteſt, ſed gratis omnia donat: quæ eſt altera Smalcij inſtantia. Verùm eſt, Deum à nemine obligari abſolutè, ſi nolit, poſſe; cùm ſummus ſit & nulli ſubiectus: ipſum tamen, ſeipſum obligare poſſe, & re ipſa ſe obligâſſe, & debitorem ex iuſtitia conſtituiſſe, Sacræ literæ teſtantur. *Fidelis* inquit ſcriptura, *permanet Deus, ſeipſum negare non poteſt.* 2. Thim: 2. 3. quod quid eſt aliud, quàm Deum ſua promiſſione, neceſſitatem & debitum quoddam ſibi imponere, ad ſua promiſſa implenda, ita vt oppoſitum facere non poſſit. Idem dixit Paulus Hebr: 6. 17. cùm ait, Deum *ad confirmandam promiſſionum ſuarum immobilitatem interpoſuiſſe iuramentum, vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus*; ſcilicet promittendo, hanc ſibi Deus impoſſibilitatem imponit, vt quod promiſit, non poſſit non facere. Ac ne quis exiſtimet debitum hoc ſolummodo fidelitatis eſſe, non iuſtitiæ, in eodem capite verſu 10. ait: *non enim eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius*: Ergo ſecundùm Apoſtolum iniuſtus eſſet Deus, ſi obliuiſceretur operis noſtri, & non remuneraretur illud. Idem Paulus 2. Thim: 4. 8. poſtquam dixiſſet ſe bonum certamen certâſſe, curſum conſummâſſe, fidem ſeruâſſe, mox explicat, quale præmium ſui certaminis & curſus, & ſeruatæ fidei expectet à Deo: *in reliquo* inquit, *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iuſtus iudex*; Coronam iuſtitiæ appellat phraſi Hebræa, coronam iuſtam & ex iuſtitia debitam. quod etiam magis explicat cū ait, *quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex*; Nam & reddere eſt actus iuſtitiæ; ſicut donare abſolutè, eſt actus liberalitatis, & reddere tanquam iuſtum iudicem, eſt ex iuſtitia reddere. Iuſtus enim iudex, in-

dex, iuſtum decernit, ac id quod iuſtitia poſtulat. quare cùm tanquam iuſtus iudex reddit, ex iuſtitia reddit. vnde quod ab Auguſtino quodam in loco de Deo pronunciatur, quòd reddat debita nulli debens, non ita accipiendum eſt, quòd Deus verè non ſit debitor: verè enim reddit debita. Sed idcirco nulli debere dicitur, quia vt idem Doctor ſanctus in Pſalmo 83. exponit: *Debitorem ipſe ſeipſum fecit non accipiendo ſed promittendo; neq; ei dici poteſt, redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti.* Quia igitur ſponte ſe fecit debitorem, non verò ab alio impoſitũ eſt ei debitum & obligatio, vti ijs accidit, qui accipiendo ab alio, conſtituuntur debitores: idcirco dicitur reddere debita nulli debens; illo ſcilicet modo debendi, quo ex neceſſitate, non ex voluntate fiunt debitores.

Neq; verò ex eo, quòd omnia opera noſtra ſunt debita Deo, iure negari poteſt, quidquam nobis à Deo deberi poſſe. Etenim cùm opera noſtra nobis à Deo quodammodo condonentur, ita vt non tanquã debita, ſed tanquam liberè præſtita exigantur à nobis, non eſt dubium, quin apud Deum mereri poſſint: Hoc enim modo opera ſerui, ſi ei à Domino condonentur, vt liberè illa efficiat ſi velit; poſſe, pacto interueniente, aliquid à Domino mereri, eſt extra controuerſiam.

Ex quibus patet, vocem *donauit*, non eam vim habere, vt & meritum tollat, & obligationem iuſtitiæ excludat, ſed ſolùm vt perpetuã & irreuocabilẽ donationẽ ſignificet. quod enim donatur, perpetuo & irreuocabili iure donatur; ſiue abſolutè donetur, & gratis nulloque interueniẽte pacto; ſiue ex obligatione iuſtitiæ pacto interpoſito.

Quod verò Smalcius ait, Altiſſimum mereri non poſſe: id ita ſoluitur; Chriſtum, quà altiſſimus erat in forma Dei, mereri non potuiſſe: at in forma ſerui accepta, ſicut humiliari & pati: ita & mereri potuiſſe Paulus dicit, cùm ait: *Propter quod & Deus exaltauit illum.* *Tertiũ ſubuertitur, & Altiſſimus qui mereri poſſit exponitur.*

Sed hoc errore Smalcij conuicto, alter eiuſdem error refellẽdus eſt. ait enim, Chriſtus niſi paſſus & mortuus fuiſſet, non potuiſſe vllo alio titulo, gloriam in reſurrectione obtẽtam, ſibi vendicare. Hoc enim quid aliud eſt, quàm omnem Chriſti dignitatem, quam tota vita ſua habuit, conculcare? Manifeſtè docent Sacræ literæ, Chriſtum toto vitæ ſuæ tempore, *gloriam quaſi vnigeniti à Patre* in ſeipſo habuiſſe: eamq; tum in transfiguratione aliqua ex parte manifeſtaſſe: tum operibus Diuinis ſibi deberi demonſtraſſe. Sic enim ait D. Ioan: cap: 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*: ad illam gloriam allu- *Iterũ Smalcius labitur circa Chriſti exaltationẽ*

Digitized by Google

deas & maieſtatem; in qua vnà cum Petro & Iacobo ab ipſo conſpe-ctusfuit, in Transfiguratione, vt dicitur 2. Pet: 1. *Speculatores facti illius magnitudinis.* Hanc eandem gloriam miraculo illo aquæ in vinum Diuina virtute tranſmutatæ, dicitur manifeſtaſſe. Ioan: 2. 11. Hanc gloriam agnouit in Chriſto Paulus, cùm cruci affixus penderet, eumq; propterea Dominum gloriæ appellauit, 1. Cor. hanc denique Chriſtus ipſe dicit ſe habuiſſe ab æterno apud Patrem priuſquam mũdus fieret. Ioan: 17. 5. eamq; eodem 22. dicit ſibi eſſe datam, & à ſe viciſſim datam Apoſtolis, vt vel eam ob cauſam ad prædeſtinationẽ id referri non poſſit. Quod etiam ratione in hunc modum explicatur. Etenim vnigenito Filio Dei ex hoc quòd eſt vnigenitus Filius Dei, debetur talis ac tanta gloria, quanta maior cogitari non poteſt: vt enim Filio Dei, nihil maius eſt ita & gloria ipſi debita maior nulla eſt: Secundùm enim dignitatem cuiuſq; maior vel minor gloria illi conuenit. Dignitas autem Filij Dei, omnes alias dignitates longiſſimè antecellit: quare & gloria, quæ ratione huius dignitatis, illi debetur, omnem aliam gloriam longè ſuperat. Si igitur dignitas Filij Dei, omnem gloriam ſibi vendicat; neq; poteſt cogitari vlla gloria, quæ dignitatem Filij Dei excedat, quaq; Filius Dei non ſit dignus; quis tam hebes eſt, vt non intelligat gloriam quoque in reſurrectione per paſſionem obtentam, fuiſſe etiam alio titulo illi debitam, nempe titulo Filij Dei? Et quamuis de facto, ſtante decreto Dei & Chriſti, *oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam,* Lucæ 24. 26. hæc tamẽ neceſſitas non fuit abſoluta, ſed ſolùm ex ſuppoſitione decreti & voluntatis Diuinæ: Decreuit enim Deus, vt, cùm ad ſalutem hominũ, Chriſtus pati ac mori debuerit, vt nec gloriam ſuam, corpori ſuo ſtatim communicaret, (alioqui pati non potuiſſet:) neq; in maieſtate ſua mundo appareret: alioqui, vt Paulus ait: *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent;* ſed vt eam per paſſionem & mortem in reſurrectione conſequeretur, idq; nouo iure ac titulo: ita vt quamuis illi ea gloria, iure & titulo Filij Dei, ſemper eſſet debita, vt monſtratum eſt: tamen etiam propter paſſionem & mortem, quam ex obedientia Patris, ſalutis hominum cauſa ſuſcepit, nouo quaſi iure ac titulo cœpit ipſi deberi.

Non igitur ex eo, quòd oportuerit Chriſtum pati, inferri poteſt, abſolutè non potuiſſe Chriſtum, gloriam illam, niſi patiendo, conſequi: ſed ſolùm ex voluntate Dei & Chriſti, vt dictum eſt, id eſſe

oportuit,

Digitized by Google

oportuit. Etſi enim vox *oportuit*, neceſſitatem indicat; tamen cùm neceſſitas, alia ſit præcepti, hoc eſt ex præcepto orta; alia ſit abſoluta, quæ ex natura rei proficiſcitur; ſubiecta materia non patitur, vt hic locus de neceſſitate abſoluta intelligatur, ſed ſolùm de neceſſitate præcepti. quis enim tam barbarus eſt, qui nõ intelligat, ſi Deus, Chriſtum mori, noluiſſet, pro ſalute hominum: aliiſq; modis ſalutem hominum per Chriſtum procuráſſet, ſine vllo Chriſti detrimẽto, Chriſtum nihilominus Diuina ſua gloria dignum futurum fuiſſe, eamq; re ipſa tunc conſecuturum fuiſſe. ſi enim in transfiguratione, antequam pateretur, poterat aliquam eius gloriæ partem in corpus effundere, quid ni potuiſſet reliquam etiam gloriam ſibi vendicare? quæ illi eodem titulo Filij Dei debebatur.

Imperitè Smalcius & illud ait, vel veriùs garrit, in hoc toto negotio non ſpectandam eſſe dignitatem Chriſti, ſed Dei voluntatem & conſilium. Vtrumq; enim neceſſariò ſpectandum eſt. Si enim ea gloria dignitati Chriſti abſolutè debebatur, proculdubio etiam citra paſſionem ei contigiſſet ex voluntate Dei, ſi, vti dixi, Deus Chriſtum mori noluiſſet: nunc verò ex Dei & Chriſti voluntate oportuit Chriſtum pati ſalutis noſtræ cauſa; & ex conſequenti gloria ſua ad tempus ſe priuare, eamq; non niſi poſt paſſionem & mortem obtinere: cùm tamen abſolutè etiam citra paſſionem, illam obtinere debuiſſet, ſi eum pati pro hominum redemptione non oportuiſſet. Porrò cùm per paſſionem obtinuiſſe gloriam ſuam dicitur, non ita accipiendum eſt, quaſi ſolo paſſionis titulo eam obtinuerit; cùm vtroq; titulo illi deberetur, & propter paſſionem, & propter Filij Dei dignitatem. vtrumq; enim ſcripturæ teſtantur. Chriſtum enim, vt pati poſſet, gloria ſua ſe tantiſper priuáſſe, manifeſtum vel ex eo eſt, quòd eam gloriam, quæ partim in Transfiguratione oſtenſa fuerat, partim ex Petri confeſſione magnificè oſtendebatur, grauiter, ne ante reſurrectionem cuiquam manifeſtaretur, prohiberet, ea potiſſimùm de cauſa, ne paſſioni & morti opponeretur aliquod impedimentum. Ita enim Marci 9. 21. legimus, poſtquam Petrus magnificè confeſſus eſt, ipſum eſſe Chriſtum Dei, ille mox *increpans illos, præcepit, ne cui dicerent hoc*, ſubdens hæc verba: *quia oportet Filium hominis multa pati, & occidi, & tertia die reſurgere.* quod ſatis clarè indicat, Chriſtum gloriam ſuæ Diuinitatis toto vitæ ſuæ tempore occultare, ne aliijs pate-

Digitized by Google

lijs patere [illegible]ine, eo fine vt pati moriq́; poſſet. Si igitur illi moriendum no[illegible]iſſet, eam proculdubio & in corpore ſuo manifeſtaſſet, & vt toti mundo eſſet conſpicua, ſine difficultate vlla effeciſſet: nunc vero eam poſt reſurrectionem reipſa conſecutus eſt; non ſolùm propter paſſionem, ſed etiam tanquam debitam ſuæ dignitati: ea enim vt pati poſſet, ſe priuare ad tempus voluit.

Tertiò cadit. Tertius error eſt Smalcij, cùm illa verba, *Vt in nomine* IESV *omne genu flectatur*, non de actu flectendi, ſed de obligatione flectendi, vult intelligi; eo videlicet ſenſu, vt ea obligatio flectendi ante reſurrectionem non fuerit; ſed primùm poſt reſurrectionem in præmium Chriſto ſit aſsignata. ex quo etiam infert, Chriſtum ante reſurrectionem, perfectam Diuinitatem non habuiſſe: quippe cùm nulla fuerit tunc obligatio ipſi genua flectendi. Quod verò Pauli verba de actu flectendi ſumi non poſſint, ex eo oſtendit; quòd alioqui Deus homines cogeret, & neceſſitatem abſolutam flectendi illis imponeret. quod & libertatem & religionem euertit. Quæ ratiocinatio ineptiſsima eſt. Etenim ſapientia Diuina, quæ diſponit omnia ſuauiter & fortiter, facit vt & omnino res eueniant, & ſuauiter, id eſt nulla vi libero arbitrio facta. Non enim vi ſed ſuaui gratiæ ſuæ influxu impellit hominum voluntates, vt non ſolùm non contra inclinationem ſuam, ſed etiam maxima inclinatione velint Chriſtum & agnoſcere, & eidem genua flectere. *Deus enim eſt, qui in nobis operatur velle & perficere pro bona voluntate.* Philip: 2. 13. alioqui non ſuauiter ſed acerbè duriterq́; agere dicendus eſſet, ſi vim voluntati afferret.

Hoc igitur in præmium datum eſt Chriſto, vt non ſolùm teneantur ei omnes genua flectere, ſed re ipſa flectant, vti & prædictum eſt à Prophetis: *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei:* & ſanè mutilum quiddam & imperfectum eſſet, ſi ſolùm obligatio flectendi mundo eſſet impoſita, nullo vel exiguo ſecuto effectu, maximè cùm eam obligationem etiam ante reſurrectionem fuiſſe Sacræ literæ doceant: effectum verò ſecutum, nonniſi poſt reſurrectionem. Quod non eo ſenſu à me dicitur, quaſi rem paruam exiſtimem, quòd omnes Chriſto teneantur genua flectere, vt falſò interpretatur Smalcius; ſed cùm id Chriſtus ante habuerit, nihil ferè noui ex eo præmio acceſſiſſet, niſi re ipſa honor illi Diuinus in toto mũdo exhiberetur.

Nihil verò refert, quòd non omnes & ſinguli homines illi genua flectant; non enim eo ſenſu dicitur, omne genu Chriſto flectendum,

quòd ſin-

Digitized by Google

quòd ſinguli flectant, ſed quòd non ſolùm cœleſtium, ſed & terreſtrium & infernorum genu in nomine eius flectatur: ita vt non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum id oporteat accipi. Sicut & cùm prædicitur; *& adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi*: non eſt neceſſe omnes & ſingulos Reges & gentes Chriſtũ colere. id enim re ipſa fieri non videmus, ſed quòd latiſſimè per totũ mundum Chriſti cultus & gloria propaganda ſit; licet non deſint multi, qui Chriſtum non agnoſcant, neq; colant.

Quod autem ad obligationem genua flectendi Chriſto pertinet; eam, ſicuti non nego fuiſſe nouo quaſi titulo & iure Chriſto poſt reſurrectionem in præmium datam, coniunctam tamen cum re ipſa & actuali flexione: ita eo ſenſu eſſe datam, quòd ante reſurrectionem non fuerit, admittere, Sacræ literæ non permittunt. Etenim, ſi ſecundùm ſcripturas Chriſtus ante reſurrectionem erat verus Deus, & Dominus, Diuino cultu dignus; conſequens eſt omnes illi fuiſſe obligatos genua flectere. Neq; enim alia ratio inquirenda eſt, cur Deo debeant genua flecti, niſi quia Deus eſt: neque alio præcepto opus eſt ad Deum colendum, cùm lex ipſa ſcripta in cordibus noſtris id doceat, eſtq; id vnum ex illis principijs lumine naturæ notis, quæ nemo ignorat. Aut igitur Chriſtus ante reſurrectionem verus Deus fuiſſe negandus eſt, aut cõcedendũ, omnes obligatos fuiſſe, vt illi genua flecterẽt.

Smalcius ſe erigere nititur ſed relabitur.

Reſpondet Smalcius, Chriſtum non fuiſſe perfectè Deum ante reſurrectionem, cùm poſt reſurrectionem ſit factus Dominus, & acquiſiuit nomen ſuper omne nomen, & omne iudicium, omnemq; poteſtatem in cœlo & in terra. At Chriſtum fuiſſe ante reſurrectionem talem Deum, qui eſſet æqualis ſummo Deo, & haberet omnia, quæ habet Pater, ſupra ſatis oſtenſum eſt, ac ex conſequenti fuiſſe perfectè Deum. Quæ verò poſt reſurrectionem conſecutus eſt, vel ad effectum dominij ſpectant, vel ad nouum ius & titulum dominij, vt ſupra abunde declaratum eſt.

Adhæc quantacunq; fuerit illa Diuinitas, negare tamen aduerſarij non poſſunt, fuiſſe illam Diuino honore dignam. alioqui idololatræ fuiſſent, quicunq; Chriſtum pro Deo tunc adorârunt, quales fuiſſe plurimos & ipſe Smalcius fatetur: cùm igitur Diuino honore dignus eſſet, ius habuit honorem Diuinum ab omnibus exigendi, ac ex conſequenti omnes erant obligati ad honorem illi Diuinum exhibẽdum; ius enim obligationem inducere per ſe manifeſtum eſt. Diui-

 nitas verò

Digitized by Google

nitas verò per ſe ipſam ius confert ad Diuinos honores. Hoc enim iure, ipſe quoq; Deus honorem ſuum requirebat: *Si ego Deus, vbi honor meus?* Diuinitatis enim ea eſt ratio, vt ipſa per ſeipſam omnes ſibi ſubijciat, & obliget ad debitum ſibi honorem exhibendum: neq; alio iure Deo ſeruitus & cultus debetur, niſi iure Diuinitatis, quia Deus eſt. Etenim Diuinitas eſt quid ſummũ & ſupra omnia. quare omnia ſibi ſubijcit. Ex quo patet, implicare contradictionem manifeſtam Arianos, nec ſcire quid loquantur, cùm inducunt Diuinitatem imperfectam. Si enim vera Diuinitas eſt, ſumma eſt; ſi ſumma, non eſt imperfecta, ſed perfecta. ſummo enim quid perfectius? Ea ſolùm Diuinitas imperfecta eſt, quæ ob ſimilitudinem & participationem Diuinitas dicitur: qualis eſt in Angelis & hominibus, dum Dij in ſcriptura nuncupantur. Et ſicut nemo verè dicitur Rex, niſi ſit ſummus in regno Princeps: qui verò poſt Regem eſt ſummus, non Rex ſed Prorex, vel primus Senator dicitur, diciq; poteſt vti Rex, non verò abſolutè Rex; ita verus Deus, nemo dici poteſt, niſi ſit ſummus Deus. quod ſi eſt poſt ſũmũ Deũ, Deus: ſeu inferior & minor Deus; non erit verus Deus, ſed ſimilitudine & participatione dũtaxat Deus. quę verò ſimilitudine, non eſſentia ſunt talia, non dicuntur verè talia. Quocirca & Chriſtum ſcriptura cùm pronunciet eſſe verum Deum; ſimul etiam ſummum & æqualem ſummo Deo nominat: æqualis enim ſummo ſummus eſt. minor verò ſummo æqualis dici non poteſt.

Quod ſi quis opponat, non omnem dignitatem, obligare omnes, ad honores ſibi exhibendos; reſpondendum eſt; inferiores dignitates, non omnes, ſed aliquos obligare: ſupremam verò dignitatẽ, qualis eſt Regia, obligare omnes. Etenim dignitas, quanto maior eſt, tantò plures comprehendit, quibus præeſſe facit: Summa verò dignitas ſuper omnes eſt, & omnibus præeſſe facit, ac proinde omnes obligat. Regia enim dignitas dici regia non poteſt, niſi ſit in regno ſumma. & quia ſumma eſt, omnes in regno obligat ad honorem Regi debitum ſuo loco & tempore exhibendum Cum igitur Diuinitas ſit ſumma quædam dignitas, quæ etiam Regiam in ſe comprehendat, neceſſe eſt vt omnes ſibi ſubijciat, & obliget ad honores Diuinos.

Ex quo etiam tale argumentum contra Aduerſarios duci poteſt. Regi enim omnes in ſuo Regno tenentur ſubiectionem & honorem regium exhibère. Atqui ante reſurrectionem Chriſtus fuit verè Rex omnium hominum, non deſignatus dũtaxat, vt nugantur Ariani, ſed verè

Digitized by Google

ſed verè & actu Regia poteſtate præditus. quam etiam non ſemel exercuit imperando. & agnouit ſe habere, cùm Pilato reſpondit, ſe eſſe Regem non de hoc mundo. Ergo omnes homines obligati erant illi, honorem vt Regi cœleſti & Diuino exhibere.

Addit Smalcius, Chriſtum ante reſurrectionem non fuiſſe Deũ Angelorum, quippe qui minor Angelis fuerit: imo neq; Dæmonum. Nam eum, inquit, tentabant, & mortis illius cauſa erant. nullo igitur modo tenebantur illi genua flectere. Sed rurſus contradictionẽ implicat Smalcius. non poteſt enim eſſe Deus verus, niſi omnium ſit Deus. Diuinitate enim ſupra omnes eſt: & eſt ſummus Deus. quod ſi ſupra omnes eſt, omnes ſibi ſubiectos habet, & poteſtatem in omnes habet. Etenim ſicut Rex, quia eſt ſummus in Regno Princeps, non eſt aliquorum tantum Rex, ſed omnium in Regno: quippe Regia dignitas cùm ſit in regno ſumma, facit Regem ſupra omnes eſſe: ita Diuinitas, cum ſit ſumma dignitas in toto mundo, facit toti mundo præeſſe, nec hominibus ſolùm vniuerſis, ſed & Dæmonibus, & Angelis. Diuinitate verò toti mundo præeſſe, eſt poteſtate præeſſe: eſt enim Diuina dignitas, ſicut & Regia coniuncta poteſtate. *Smalcius quot verba tot errata.*

Adhæc cùm ſcriptura diſertè teſtetur, Chriſtum Diuinitate, abſolutè fuiſſe æqualem Deo; an non conſequitur fuiſſe Deum non ſolùm hominum ſed etiam Angelorum? Si enim æquali cum Deo poteſtate omnibus præerat, quomodo Angelis non præerat? Nam futiliſsimum eſt, quod ait Smalcius, Chriſtum idcirco Deo æqualem abſolutè non fuiſſe, quòd poteſtatem ſuam à Deo omnem acceperit. vt enim ſupra Regis exemplo docuimus, id abſolutæ æqualitati minimè præiudicat. Si enim Pater filium ſuum Regem conſtituat, & ad ſubditos mittat; & mitti à Patre poterit, vt Filius: & vt Rex, erit æqualis Patri, æquali abſolutè poteſtate regia præditus. ita & in Chriſto accepta poteſtas à Patre, non cauſat vllam inæqualitatem: quia licet ſit à Patre accepta, æqualis tamen poteſtati Patris, accepta eſt, beneq; conuenire poteſt acceptio cum æqualitate. Neq; verò ex eo, quod legimus, Chriſtum in paſſione fuiſſe paulominus minoratum ab Angelis, licet inferre non fuiſſe Deum Angelorum. Nam ſimili ratione eſſet inferendum, non fuiſſe Deum etiam hominum: ſiquidem & præ hominibus minoratus eſt; de eo enim prædictum eſt: *ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* & apud Iſaiam, *non erat ei ſpecies neq; decor.* Vnde & à Pilato demonſtratus fuit

Digitized by Google

tus fuit Iudæis, illis verbis: *Ecce homo*: quaſi qui vulneribus ita deformatus fuerit, vt ne ſpeciem hominis præſeferret. Adhæc naturæ mortalis reſpectu ab Angelis minoratus dicitur; non Diuinitate: qua ſicut fuit æqualis Patri, ita & Angelis longè maior atq; ſuperiòr.

& quidem ridicula. Ridendum verò ſe propinat Smalcius, cùm probat non fuiſſe Chriſtum Deum Dæmonum, eoq; ab ipſis tentatus fuerit. Nam pari ratione, cùm legamus Deum, etiam ab hominibus non ſemel tentatum, ſequeretur Deum non eſſe hominum Deum. Si Dæmones tentando, an eſſet Filius Dei, ipſum eſſe Deum certò neſciebant, an illico ſequitur, illum verè Deum non fuiſſe? Deus enim eſt Deus etiam cùm non cognoſcitur, neq; creditur. Similiter & illa coniectura, quam inanis eſt, quòd Dæmones mortis Chriſti cauſa fuerunt: hoc enim ſolùm arguit eos Chriſtum, pro Deo non omnino agnouiſſe. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* At non ſequitur, propterea Deum nō fuiſſe, quia pro Deo agnitus non fuerit. Non enim ex noſtra aut Dæmonum cognitione pendet Chriſti Diuinitas.

Satis opinor eſſet ad probandum, omnes homines & Angelos, Chriſto ante reſurrectionem obligatos fuiſſe genua flectere, quòd eſſet tunc verus & perfectus Deus. quippe Patri æqualis. neq; ad hoc alio præcepto opus eſt. Deo enim quia Deus eſt, omnes genua flectere ſunt adſtricti; libet tamen duplex præceptum adiungere; alterum hominibus datum, alterum Angelis. Nam quod ad primum attinet, extat Diuinum præceptum omnibus hominibus à Deo impoſitum. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* vbi præcipit audiri Chriſtum, tanquam Filium ſuum, eiq; tanquam Filio ſuo in omnibus obediri. Audire enim hoc loco non ſolùm ad ſcientiam, ſed præcipuè ad obedientiam more Hebræo refertur. Quod ſi obediendum vt Filio Dei præcipitur, proculdubio illo honore atq; cultu, illaq; reuerentia, quæ Filium Dei decet: ita vt quo iure illi, vt Filio Dei, omnes obedire tenebantur, eodem etiam fuerant obligati, eundem vt Filium Dei colere, & honorem Filio Dei dignum exhibere. Obedientia enim non ſine honore conuenienti deferenda eſt.

Smalcius in dubio valdè ambiguo. Hic Smalcius in omnes partes ſe torquet. Ait primùm, valde dubium, immò falſum eſſe, an omnes & an vi huius præcepti, (*Hunc audite*) Chriſtum audire tenerentur. Nec enim, inquit, vox iſta ad omnes delata eſt; ſed tantùm à tribus Apoſtolis audita fuit, neq; per Apoſtolos tunc ſtatim alijs omnibus annunciata. At quid hoc aliud

eſt, quàm

Digitized by Google

eſt, quàm nodum in ſcirpo quærere? hac enim ratione dubitare poſſemus, an quæ Apoſtolis præcepta ſunt, in rebus ad ſalutem communem ſpectantibus, omnes afficere debeant; quod eſſet omnem vim præceptorum Chriſti tollere. neq; enim Chriſtus cum omnibus hominibus vnquam loquebatur, ſed cum ſolis Apoſtolis, in quibus omnes alios inſtructos eſſe voluit. id quod ipſemet explicat. *quod vobis* inquit, *dico, omnibus dico.* Cùm igitur Chriſtum audire, ſit res ad ſalutem omnium maximè ſpectans, neceſſe eſt id, ad Apoſtolos, nō pro ipſis ſolùm, ſed pro omnibus hominibus dictum eſſe. Non igitur dubium eſſe debet, nedum falſum, ex vi huius præcepti omnes adſtrictos ad Chriſtum audiendum fuiſſe, niſi de omnibus legis nouæ præceptis ſimiliter dubitare velimus. Quòd lex illa Dei non omnibus illico fuit annunciata, illi quidem à peccato excuſabantur, quòd legem quam ignorabant, non implerent: legi tamen ipſi à Deo ipſomet promulgatæ ſubiecti erant, eaque adſtringebantur. Neque enim ſi ſubditus ignorat, aliquem eſſe Dominum ſuum, eo ipſo à ſubiectione & obligatione liber exiſtit. Ignoratio enim, à peccato ſolùm liberat, non à ſubiectione: ſicut neque à debito creditori ſoluendo liber & immunis cenſeri debet, ſi illud ignoret.

Ait præterea Smalcius, longè aliud eſſe Chriſtum audire, & genua illi flectere. nam & Prophetas audire omnes tenebantur, quibus tamen genua non flectebant. At non aduertit magnum eſſe inter Prophetas & Chriſtum diſcrimen. Prophetas enim tenebantur audire homines, vt ſeruos à Deo miſſos: Chriſtum verò vt Filium. quare & alium honorem Prophetis habere tenebantur, alium Chriſto. Chriſti porrò honor, eſt honor Filij Dei: qui eſt honor Diuinus. hunc ergo honorem Chriſto deferre tenebantur, Hic verò honor continetur illis verbis, *Hunc audite.* Cùm enim obedientia & ſubiectio præcipitur, cum debito honore & reuerentia præcipi non eſt dubitandū: neq; obedientiam à reuerentia ſeiungi, ſed coniungi neceſſe eſt. idem igitur eſt, Chriſtum vt Filium Dei audire, & cum honore ac reuerentia Filio Dei debita audire; qui honor cùm ſit Diuinus, genuflexionem etiam comprehendit.

Smalcij instantia.

Manuducitur.

Quo etiam modo exponendus eſt ille locus, quo ſub amiſſione vitæ æternæ, omnes homines Chriſtum etiam ante reſurrectionem cognoſcere, & audire obſtrictos fuiſſe declaratur: Ioan: 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.*

Digitized by Google

Chriſtum. Si igitur omnes homines in Chriſtum credere tenebantur, alioqui vitam æternam non haberēt; tenebantur illum vt Deum agnoſcere, & illi vt Deo ſe ſubijcere cum debito honore & cultu.

Nam cùm Smalcius reſpondet, cognitionem Chriſti præcipuè in reſurrectionis eius virtute cognoſcenda ſitam eſſe, ideoq; hoc teſtimonium ad tempora reſurrectionis, referendum eſſe: non aduertit ſanè, non ſolùm poſt reſurrectionem, ſed etiam ante reſurrectionem in Chriſto cognoſcendo vitam æternam conſtitutam fuiſſe: ita vt qui illum etiam ante reſurrectionem pro Deo & Domino ſuo agnoſcere nollet, is proculdubio vitam æternam non conſequeretur. Quare nihil facit Smalcius, cùm hoc teſtimonium ad tempora reſurrectionem conſequentia detorquet: cùm & ante reſurrectionem pronunciatum ſit, & de tempore etiam reſurrectionem antecedente intelligi omnino neceſſe eſt. Etſi enim poſt reſurrectionem perfectiùs Chriſtus cognoſceretur, cognita virtute reſurrectionis eius: tamē etiam ante cognoſci illa ratione debuit, qua tunc ſe hominibus manifeſtabat, idq; ſub iactura æternæ vitæ.

Chriſtus ab Angelis adoratus in hoc mundo.

Iam quod ad alterum præceptum datum Angelis attinet, illud exponit Paulus Hebr: 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* quod de Chriſti primo in hunc mundum aduentu intelligendum eſſe, res ipſa loquitur. Nam & orbis terræ abſolutè poſitus, hunc orbem terræ deſignat, & verbum introducendi, primam Chriſti in orbem terræ inductionem indicat.

Reſpondet Smalcius, non eſſe neceſſe ea verba de præſenti orbe terræ accipi; cùm orbis terræ, futurum etiam orbem terræ ſignificare poſſit. At vrgetur à nobis Smalcius potentiſſimè. Etenim orbem terræ abſolutè poſitū in propria ſua ſignificatione, non in tranſlata & impropria accipiendum eſſe, per ſe manifeſtum eſt: niſi aliquid eiuſmodi addatur, quod ad impropriam & tranſlatam ſignificationem determinet & cogat. alioqui temerè & ad libitum vocū ſignificationem à propria ad impropriam detorquere, eſt omnia confundere, & vocibus impudenter abuti. Cùm igitur hoc in loco de introductione in orbem terræ abſolutè ſermo ſit, nihilq; tale addatur, quod orbem terræ impropriè accipi doceat, temerarium planè eſt, orbem terræ hoc loco improprium, hoc eſt cœleſtem illum intelligere. Affert quidem duo loca Smalcius, in quibus orbis terræ abſolutè poſitus, non præſentem orbem ſed cœleſtem & futurum ſignificat, vt

Digitized by Google

ficat, vt cùm Matth: 5. 5. dicitur: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*: Terra proculdubio non hæc præſens ſed illa futura, quæ dicitur terra viuentium, intelligenda eſt. Secundo cùm ad Hebr: 10. 5. dicitur, *ingrediens mundum dicit, ſacrificium & holocautomata noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*; illum mundum cœleſtem intelligi vult, in quem ingrediens Chriſtus, ſacrificium Deo obtulit. Verùm hæc duo loca non probant id, quod Smalcio probandum fuerat; nempe orbem terræ abſolutè poſitum, ſine vlla circumſtantia reſtringente ad impropriam ſignificationem, accipi in impropria ſua ſignificatione, non pro hoc mundo præſenti: Nam in priori loco ex omnibus illis circumſtantijs manifeſtum eſt à Chriſto agi de mercede cœleſti, quam ſingulis beatitudinibus apponit. vnde & apud Marcũ dicitur: *merces veſtra copioſa eſt in cœlò*. quid igitur mirum eſt terræ nomen non in propria ſignificatione accipi, cùm id loci circumſtantia requirat. Non enim nos eandem vocem nunc in propria, nunc in impropria ſignificatione accipi poſſe negamus, ſed negamus id temerè & ad cuiuſq; placitum fieri debere, niſi loci circumſtantia id exigat. quæ ſi nulla oſtenditur, ficta debet iudicari talis acceptio vocis, & propria eiuſdem ſignificatio debet retineri. In altero verò loco falſiſſimum eſt, mundi nomen pro cœleſti illo mundo accipi; cùm ſacrificium propter quod ingreſſus in mundum dicitur, in hoc mundo præſenti, primùm obtulerit Chriſtus, vt aliàs docuimus, & paulò poſt docturi ſumus.

Verùm Smalcius probare nititur, orbem terræ ex Pauli ipſius explicatione, futurum orbem terræ ſignificare. Ita enim in cap: 2. loquitur: *non Angelis ſubiecit orbem terræ futurum de quo loquimur*. Ergo, inquit, Paulus in cap: quoq; primo de futuro orbe locutus eſt. illis enim verbis, *de quo loquimur*, indicat ſe ante de eo locutum. At friuola coniectura: non enim ideo addit, *de quo loquimur*, quòd ante de eodem locutus eſſet, ſed è contrario, quòd cùm ante de eo non eſſet locutus, nunc ſe de eo loqui docet. non enim dicit, de quo locuti ſumus, ſed de quo (nunc videlicet) loquimur. Adhæc non poſſe Paulum eo modo exponi, ac ſi in præcedentibus de orbe terræ futuro locutus eſſet, id argumento eſt, quod in præcedenti capite, ℣. 10. ipſorum etiam Aduerſariorum ſententia, de terra præſenti locutus ſit. cùm adducit de Chriſto Dauidis teſtimonium: *Tu Domine initio terram fundaſti*. Futilis verò & inepta eſt illa expoſitio Smalcij, quòd ea verba ſint

ba ſint Dauidis, non Pauli. Sunt enim & Dauidis & Pauli, cùm ea Paulus ex Dauide, Chriſto applicet. Futilior illa alia, Paulum ex Dauide adducere teſtimonium hoc, & Chriſto applicare, ſolùm quoad eam partem, qua docetur per Chriſtum futuram cœlorum mutationẽ, quæ illis verbis continetur: *Mutabis eos & mutabuntur*: hoc inquam longè futilius eſt, cùm fingat Smalcius, à Dauide id dici, quod ipſe minimè dicit. Non enim Dauid dicit quidquam de eo, per quem futura ſit mundi mutatio, ſed abſolutè tantùm dicit, mundũ à Deo mutandum. Falſum igitur eſt, Paulum adducere Dauidis in ea re teſtimonium, de qua ille nihil omnino dicit, vt fuſius in libro noſtro *de Verbo Carne* demonſtrauimus. Non igitur aliter teſtimonium Dauidis Chriſto à Paulo applicatum cenſeri debet, niſi quia Chriſtus eſt ille Dominus, qui initio terram fundauit, & in fine mundum mutaturus eſt. quod hæreſim Arianorum planè iugulat.

At inquit, theſis quam Paulus capite primo probare inſtituit, tempora poſt reſurrectionem reſpicit, nempe Chriſtum meliorẽ Angelis effectum: quare & omnes probationes idem quoq; tempus reſpicere conſequens eſt; Ante enim reſurrectionem, minor erat, inquit, Angelis. At hæc probatio ſatis inepta eſt. Nam ſi neget Chriſtũ Diuinitate fuiſſe præſtantiorem Angelis, etiam antequam reſurgeret, blaſphemus eſt, ſcripturiſq; repugnat; quæ eum in forma Dei, æqualem Deo, tum fuiſſe affirmant. quod de nullo Angelorum dici poteſt. Diuinus etiam honor nulli Angelorum ſine ſacrilegio poteſt impendi, vti Chriſto ante reſurrectionem non ſemel impenſus eſt: Si verò Chriſtum conditione corporis mortalis aſſerat, minorem fuiſſe Angelis; verum eſt, ſed non ad propoſitum: Non enim Paulo propoſitũ eſt probare, quomodo Chriſtus carnis immortalitate ſit melior factus Angelis, ſed quomodo Diuinitate ſit longè præſtantior omnibus Angelis: quod non tunc primùm factum eſt, cùm Chriſtus reſurrexit, ſed cùm *Verbum caro factum eſt*. Falſò etiam falſius eſt, eas omnes Chriſti præ Angelis præſtantias, quas in cap: 1. commemorat Paulus, non niſi poſt reſurrectionem Chriſto contigiſſe: cùm per ſe liqueat, Chriſtum tota vita ſua & Filium Dei, & Deum fuiſſe, initioq; terram fundaſſe. & ea dignitate fuiſſe, vt ſedere à dextris Dei dignus eſſet, licet re ipſa & in effectu, non niſi poſt reſurrectionem ſederit.

Smalcius elabi nititur ſed tenetur.

Inſtat Smalcius, cùm Chriſtus natus eſt in mundo, & eſſe cœpit, non rectè dici, tunc introductum fuiſſe. is enim introducitur, qui ante ex-

ante extitit; non qui tunc eſſe incipit. At leuis eſt inſtantia. vt enim homines cùm naſcuntur, dicuntur à Ioanne cap: 1. venire in mundum hunc: ita & Chriſtus, cùm natus eſt, rectè dici poteſt, & in mundum veniſſe, & in mundum introductus eſſe: qua enim ratione venire in mundum naſcendo potuit, eadem ratione potuit introduci. Nimis etiam acutus videri vult Smalcius, cùm ait eum, qui introducitur, prius tempore exiſtere debere, quàm introducatur. id enim forte verum eſt, ſi introductio fiat per motum localem, non verò ſi fiat per productionem: tunc enim produci eſt introduci; licet alio reſpectu produci, alio introduci dicatur. Quanquam ne hoc quidē Chriſto nato defuit. Extitit enim antequam naſceretur, nouem integris menſibus in vtero virginis. ex quo per natiuitatem eductus, in mundum introductus eſt.

Pergit Smalcius, Paulus ait Chriſtum iterum introductum in orbem terræ. Atqui in præſentem orbem terræ, non eſt niſi ſemel introductus, cùm natus eſt; in illum verò cœleſtem bis eſt introductus, bis aſcendit, ſemel cùm aſcendit in cœlum, & voluntate Dei clarè cognita ad nos deſcendit: quod ait conſtare ex illis ſcripturis, quæ docent Chriſtum ante fuiſſe in cœlo. Ioan: 3. 13. Ioan: 6. 62. Ioan: 16. 18. Iterum verò introductus eſt, & aſcendit in cœlum poſt reſurrectionem.

At intolleranda eſt Smalcij & ſuorum audacia, in duplici Chriſti aſſenſu aſſerendo; cùm in ſcriptura non niſi ſemel Chriſtū aſcendiſſe legamus, & in Symbolo Apoſtolorum profiteamur. In locis verò ab ipſo citatis, nihil eſt de aſcenſu Chriſti in cœlū, ſed ſolū de exiſtentia Chriſti in cœlo, quam ſecundùm Diuinam naturam eſſe intelligendam omnes Catholici fatentur, & nos in libro de *Verbo carne*, probauimus. Dato etiam illo abſurdo, non ſequitur neceſſariò de aſcenſu ſecundo in cœlum, verba Pauli intelligenda eſſe. Nam etiam in hunc orbem terræ non tunc ſolùm introductus eſt, cùm natus eſt ſecundùm carnem, ſed etiam cùm reſurrexit; niſi forte non in hoc mundo reſurrexiſſe credatur ab Arianis: imò & in ſecundo aduentu, cùm veniet in mundum iudicaturus, tertio introducetur. Quare ſi de introductione iterum facta, locus Pauli exponendus eſt, optimè exponi poteſt, huius orbis terræ, non illius reſpectu. Quanquam particulam illam in verbis Pauli, *iterum*, per traiectionem poſitam, Docti monent coniungendam eſſe cum particula, *Et*; non cum voce, *intro-*

Digitized by Google

ducit. vt ſit ſenſus; & iterum, cùm introducit. Nota etiam Paulum non dicere, cùm introduceret, in præterito, ſed verba præſentis temporis vſurpare. quod Smalcius non videtur aduertiſſe.

Smalcius nugatur. Adhuc nugari non deſinit Smalcius: agi hoc loco de introductione primogeniti; at reſpectu natiuitatis nō dicitur primogenitus abſolutè. non igitur de introductione per natiuitatem agitur hoc loco. Nugæ. Chriſtus enim in ſua ſecundùm carnem natiuitate fuit primogenitus Dei abſolutè, quia fuit verus Dei Filius, licet non ſecundùm eam, quæ ſecundùm carnem eſt, natiuitatem, dicatur primogenitus. Deniq; addit de publicato Angelis decreto de Chriſto adorando hîc agi. Talis verò publicatio nuſquam legitur facta ante reſurrectionē. imò ea leguntur, quæ ei contraria ſunt, qualia ſunt, quòd eum Angelus confortauerit; quòd potuerit rogando Patrem obtinere pluſquàm 12. legiones Angelorum, quæ non conueniunt cum adoratione Diuina. Verùm ſi Smalcius non legit publicationem huius decreti ante reſurrectionem, nos quoq; non legimus poſt reſurrectionem. Neque verò contraria ſunt adorationi, quæ de Chriſto ante reſurrectionem leguntur. Nam, quà Deus, erat adoratione dignus: quà homo mortalis & afflictus, conſolatione indigebat: ſiquidem ſponte ſe, ſicut paſſioni, ita & confortationi ſubmiſit. Similiter quà homo rogare Patrem potuit, vt illi daret legiones 12. Angelorum: quà verò Deus, imperare Angelis potuit. Quanquam & quà homo, ſi ſua poteſtate vti voluiſſet, potuit ſine precibus habere, quotquot vellet Angelos ad nutum: quia tamen in forma ſerui, non Domini ſed ſerui modo ſe gerere ex humilitate voluit, idcirco ait ſe rogaturum Patrem Nullo igitur modo potuit probare Smalcius, locum Pauli de introductione in orbem terræ futurum intelligendum eſſe. quocirca ſequitur de præſenti orbe terræ accipiendum: deq; illa introductione, quæ prima omniū fuit. ſemel enim introductus, iterū vt introduceretur nō eguit.

Patet ex dictis in hoc vtroque capite, quid in ſua exaltatione Chriſtus ſit conſecutus, nempe quòd re ipſa & in effectu ſit exaltatus. cùm in ſeipſo fuerit ſemper altiſſimus & æqualis Patri.

Poteſtatem iudicandi Chriſto ante reſurrectionem datam eſſe, immeritò negant Ariani. CAP. X.

SMalcius cùm omni Chriſtum dignitate ſpoliare cupiat: hoc etiam ad cætera adijcit. poteſtate iudicandi ante reſurrectionē caruiſſe,

camque

eamq; nonniſi poſt reſurrectionem obtinuiſſe At qua tandem ratione hoc tam audax aſſertum probat, cùm Chriſtus Ioan: 5. disertè fateatur, ſibi datū à Patre omne iudicium, ℣. 22. & omnem poteſtatem iudicium faciendi, ℣. 27. Ait ℣. 20. aſſeri, Patrem demonſtraturum Filio maiora opera. Hæc porrò opera eſſe, ad iudicium illud extremum ſpectantia; patere verò id, ait ex eo, quod mox de iudicio agere incipit, quaſi explicans, quæ ſint opera, quæ Patrem Filio demonſtraturum dixerat. At quàm inepta tantæ rei probatio. Nam inprimis Patrem demonſtrare opera Filio, non eſt dare Filio poteſtatē operandi, ſed re ipſa exhibere opera ſua Filio videnda, ita vt Filius re ipſa videat Patrem ſecum operantem. vti ℣. 19. dicitur, & nos ſupra demonſtrauimus. Quare etſi demonſtraturum Patrem opera ſua Filio promittatur: nō idcirco promittitur danda poteſtas Filio, ſed tantùm Patrem operaturum multo maiora opera cum Filio, eiq; ea exhibiturum videnda neq; enim tunc ſolùm habet Filius poteſtatem operandi, cùm Pater ſua opera demonſtrat ei, ſed etiam antequam demonſtret. poteſtas enim operandi in Chriſto erat permanens, ipſis Aduerſarijs teſtibus; demonſtratio verò operum Patris, erat ſolùm tunc cū Filius operabatur. tunc enim videbat Patrem operantem. ℣. 19. Ineptiſſima eſt ergo argumentatio à demonſtratione operum ad collationem poteſtatis. Deinde cùm dicitur Patrem demonſtraturum maiora opera Filio, non ea ſolùm intelliguntur, quæ die iudicij demonſtraturus eſt, ſed vniuerſè, quæ in futurum demonſtraturus erat. qualis erat mortuorum viuificatio, quæ paulò poſt ſecutura erat. Nam quia tunc Chriſtus ſolùm infirmos curauerat, nec vllum adhuc mortuum reſuſcitauerat, ideo minora tantùm opera Patre demonſtrante dicitur feciſſe: deinceps verò, quando mortuos viuificabit, multò maiora, eodem Patre demonſtrante, opera effecturus erat. Porrò non ſolùm iudicij generalis tempore, ſed & ante reſurrectionem mortuos erat viuificaturus Chriſtus. Tres enim mortuos ſuſcitauit. Quocirca de operibus viuificandi mortuos tam ante iudicium, quàm ipſo iudicij tempore à Chriſto efficiendis, intelligendum eſt, quod dicitur: *& maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini.* quæ etiam vltima verba ſatis indicant, talia opera demonſtraturū Patrem Filio, quæ illi mox viſuri & miraturi eſſent. quæ proculdubio antecedabant iudicij tempus. Quia verò hac iudicandi poteſtate præcipuè iudicij tempore vtetur Chriſtus, eamq; tunc inſigniter demonſtrabit, idcirco de ea loqui incipit, vſq; ad ℣. 30.

Smalcius leuiſſimè probat errores grauiſſimos.

Ex quo

Digitized by Google

Ex quo patet, ſumma temeritate, Smalcium negare Chriſto ante reſurrectionem, iudicandi datam poteſtatem, contra expreſſa Chriſti verba de data ſibi poteſtate. Nam quam poteſtatem tunc habuit ad viuificandos mortuos, eadem, die quoq; iudicij vtetur. quanquam negandum non eſt, Chriſtum in reſurrectione, poteſtatem quoq; iudicandi conſecutum, eo modo, quo ſupra diximus, eſſe Dominum factum, nempe nouo titulo & iure.

Non minus etiam temerè Smalcius, iudicium datum à Patre Filio, gubernationem exponit: quaſi non aliud ſit iudicare, quàm gubernare; cùm nec omnis gubernatio ſit iudicium, nec omne iudicium gubernatio. & licet ij qui gubernant, ſint etiam iudices, non tamen è conuerſo iudices gubernare neceſſe eſt. Porrò cùm dicitur Patrem non iudicare quenquam, ſed omne iudicium dediſſe Filio, non ita accipiendum eſt, ac ſi Pater à iudicio excludatur, vt ſolus Filius ſine Patre iudicaturus ſit. Diſertè enim dixit ℣. 19. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* quare nec iudicare poterit, niſi Patrem videat idem ſecum facientem. Cùm enim vna ſit vtriuſq; virtus & poteſtas, vna quoq; eademq; erit operatio. id ergo ita accipiendum eſt, quòd Pater illud iudicium non in ſua perſona, ſed in forma illius hominis exercebit. vnde & ℣. 27. dicitur: *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* homines enim humano more per homines & actus iudicij humanos iudicari conuenit.

Adhæc cùm dicitur, omne iudicium datum Filio, Ariani parem cum Deo poteſtatem intelligunt, parem inquam, ſed ſecundùm quid, non abſolutè; quia nimirum Pater habet eam ex ſe, Filius à Patre. Verùm ſi in hoc ſolo ſtatuatur imparitas, ea nulla eſt, nec vllam vim habet, æqualitatem abſolutam tollendi. Nam ſola acceptio, ſi res accepta ſit par, non minuit æqualitatem. Rex enim Pater, ſi Filium Regem creet, pari regia poteſtate præditum, abſolutè par erit Filius Patri, licet Filius à Patre ſit Rex, non Pater à Filio. quemadmodum verò acceptio paritati abſolutæ non derogat, ita nec honor. quare cũ eo fine dicitur, data ea poteſtas Filio, *vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem*; particula (*ſicut,*) licet non ſemper paritatem omnimodam ſignificet, hoc tamen loco ex circumſtantijs loci, colligitur omnimodam paritatem deſignare. Cùm enim par honoris cauſa aſſignatur, parem quoq; honorem aſſignari neceſſe eſt. Hic autem non ſolùm dicitur, honorificandum Filium, ſicut & Patrem, ſed & cauſa ho-

Digitized by Google

cauſa honoris par aſſignatur, nempe omne iudicium, ſeu omnis poteſtas iudicandi data Filio, propter quam ſicut honorificatur Pater, ita & Filius honorificari debet. Porrò ſicut Pater propter poteſtatem iudicandi ſummam honorificatur vt Deus: ita & Filius eandem poteſtatem ſummam habere dicitur, vt pari honore poſſit affici. Quanquam non nego duplicem in Chriſto poteſtatem diſtingui: alteram Diuinam & increatam, homini illi, vnione Diuinæ naturæ communicatam: alteram creatam, quæ ad Regiam Chriſti hominis poteſtatem pertinet. Regia enim poteſtate, iudicandi quoq; poteſtas continetur. Vtriuſq; verò reſpectu, Diuinum honorem Chriſto deberi: prioris quidem reſpectu abſolutè, quia Diuina eſt, & idem quod Deus: poſterioris autem reſpectu, non ſecundùm ſe abſolutè, cùm ſit poteſtas creata & infra Deum, ſed quia eſt Dei veri poteſtas, & Deus eſt is, qui illa poteſtate, in humana natura reſidente iudicat. quod vti bene percipiunt & intelligunt fideles: ita infideles Ariani non capiunt, & abſconditum eſt hoc verbum à cordibus eorum.

Negamus autem, ſi alicui puræ creaturæ Deus omnem ſuam poteſtatem iudicandi communicet, illam eo ipſo fore Diuino honore dignam: illa enim poteſtas, nec Deus eſt, nec ei, qui Deus eſt, conuenit. Neq; verò poteſtas, eo ſolùm nomine, quòd ſit eiuſdem generis cum Diuina, Diuinum cultum meretur, vti ſupra fusè docuimus. Quare cùm talem poteſtatem Chriſto tribuant Ariani, minimè affirmare poſſunt, eum Diuino honore dignum. Nam ſi dicant, propter iudicium omne datum Filio, Filium honorificari, ſicut & Patrem, reſpondebimus, omne iudicium datum Filio mereri Diuinum cultum, vel quia eo loco ſumma illa & increata iudicandi poteſtas intelligitur, vel quia eſt Filij Dei, qui Deus verus eſt, poteſtas. quæ ſi puri hominis poteſtas eſſet, Diuinum honorem nequaquam mereretur.

Patet igitur ex dictis nullam Aduerſarios rationem habere, propter quam poteſtatem iudicandi, Chriſto in terris agenti datam, negare debeant: quandoquidē ea eſſe tunc data expreſſis verbis à Chriſto dicatur. Illa verò, quam communiter adhibent, probatio; quòd tunc actus iudicij non exercuerit, toties à nobis iam exploſa eſt, vt dicta repetere non ſit opus. Per ſe enim manifeſtum eſt, aliud eſſe poteſtatem, aliud poteſtatis vſum, poſſeq; vſu poteſtatis aliquem carere, qui tamen poteſtate non careat: Pueros enim perfecto vſu rationis carere certiſſimum eſt, quis tamen tam ſtolidus eſt, vt eos ipſa

ratione carere (niſi homines eſſe negentur) audeat affirmare? quod etiam ſexcentis alijs exemplis illuſtrari poteſt. Etſi igitur Chriſtus cũ in terris ageret, actum iudicij non exercuerit: poteſtatem tamen, qua vti, ſi vellet, poſſet, habuiſſe, ſcriptura teſte, non eſt negandum.

Similis eſt illa alia conſecutio, qua Chriſtum in terris agentem, negant perfectè Chriſtum fuiſſe; quòd tum ſui muneris partes perfectè non exercuerit. Ea enim, ſimili ratione refellitur à nobis, quòd perfecta poteſtas haberi poſſit, etiam tum, cùm nullus illius poteſtatis vſus habetur. Nam ſi Chriſtus dicatur, id eſt *vnctus Spiritu ſancto & virtute,* ad tria illa Prophetæ, Regis, Pontificis munera obeunda: proculdubio omnem tam Spiritus quàm poteſtatis plenitudinẽ ſemper habuit, vt abunde ſupra à nobis demonſtratum eſt.

Et quidem quod ad munus Prophetæ attinet, aſſerunt id munus ante reſurrectionem non impleuiſſe: quia Dei voluntatem perſectè in ſua perſona non manifeſtauit, nempe de Gentium vocatione, & legis veteris abrogatione. in hoc enim Dei voluntatem non niſi per Apoſtolos patefactam eſſe dicunt. Verùm iterum in eodem errore verſantur. Nam vel exiſtimant, ea quæ Chriſtus ante reſurrectionem Apoſtolis non manifeſtauit, Chriſtum ignoraſſe, & perſectè Dei voluntatem non agnouiſſe; vel concedunt cum perfecta Diuinæ voluntatis cognitione in mundum eſſe miſſum. Si primum aſſerant, blaſphemi ſunt, & ſcripturis coarguuntur. Idcirco enim plenus veritatis in ſcriptura dicitur, quia omnem Diuinam voluntatem ad ſalutẽ nobis neceſſariam perſpectam habebat. & Ioan: 3 34 eo fine non ad menſuram ſpiritum accepiſſe à Deo aſſeritur: Si verò ſecundum dicant, ſequitur perfectè ad munus Prophetæ vnctum fuiſſe, & eo nomine perfectè Chriſtum fuiſſe. Etſi enim multa alia dicenda Apoſtolis in Spiritum S. referret, ea tamẽ ait Spiritum S. à ſe accepturum: ac ex conſequenti ſe eorum omnium perfectam notitiã habere demonſtrat. Quod ad alia verò Regis & ſacerdotis munera, negant abſolutè Chriſtũ ea ante mortem re ipſa geſſiſſe, ſed ſolùm ad ea deſtinatũ fuiſſe. quæ tã craſſa abſurda in ſequentibus capitibus refutanda ſunt.

Chriſtum in terris ſacrificaſſe, & Sacerdotem fuiſſe, contra impias Arianorum voces defenditur. CAP: XI.

NEmo fidelium hucuſq; extitit, qui de ſacrificio Chriſti in cruce peracto dubitaret: tam expreſſè enim in ſcripturis aſſeritur, vt nulli

vt nulli vnquam in mentem venerit, vllam ea de re controuerſiam mouere. Socinus auctor primus tanti paradoxi poſt ſexdecim à Chriſto ſecula extitit, qui id cum ſuis Arianis Rakouienſibus impudenter aſſerere doceréq; eſt auſus, peſſimè quibuſdam obſcurioribus ſcripturæ locis intellectis. cuius impudentiam ſecutus Smalcius ita ſcribit: Nos inquit, affirmamus Chriſtum ante reſurrectionem nullo modo Pontificem re ipſa fuiſſe. Sacrificium enim in terris nullum peregit, nec peragere potuit. Ita iſti perfidi ſtolidiq; homunciones vnicum illud ſacrificium, quo ſalus mundi perfecta eſt, ſubuerſum volunt. Verùm quantum à vero aberrent, ex ſcripturis doceamus.

Primùm igitur adduco locum Pauli ad Epheſ. 5. 2. quo expreſſè docet Chriſtum in cruce ſeipſum pro nobis tradidiſſe hoſtiam & oblationem Deo. *Dilexit*, inquit, *nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* quo in loco agi de traditione in mortem non eſt dubium: Ita enim ſcriptura ſemper hoc loquendi modo vtitur, cùm Chriſtum pro nobis ait traditum Rom: 4. 25. Roman: 8. 32. Gal: 2. 20. Eph: 5. 2. quod etiam Aduerſarij concedunt.

Pro ſacerdotio & ſacrificio Chriſti Argumentum 1.

Porrò modum, quo ſeipſum Chriſtus in cruce tradiderit, explicat mox Apoſtolus, *oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*: quia nimirum ſeipſum in oblationem & hoſtiam Deo tradidit. Nimis luce ſua perſtringit hic locus oculos Aduerſariorum. itaq; aiunt, illa verba *oblationem & hoſtiam*, non coniungenda eſſe cum verbo *tradidit*, ſed eſſe illuſtrationem & commendationẽ operis Chriſti, quòd ſeipſum tradiderit. At fucus iſte eſt, non reſponſio. quî enim fieri poteſt, vt verba illa, *oblationem & hoſtiam*, non coniungantur cum verbo *tradidit*, cùm ab eo regantur; nec aliud verbum ſit, cum quo coniungi poſſint: & niſi verbo *tradidit* coniungantur, nullum ſenſum per ſe faciunt. Sicut enim dicit Paulus, *tradidit ſemetipſum*: ita etiam dicit, *tradidit oblationem & hoſtiam.* vterq; enim accuſatiuus ab eodem verbo regitur, eidemq; verbo ſubijcitur: cùm verò aiunt ea verba, operis eſſe commendationem, craſſa æquiuocatione rem inuoluere volunt. Non enim traditio ipſa, vt iſti volunt, ſed res tradita illuſtratur & commendatur; neq; ſenſus eſt, traditionem eſſe oblationem & hoſtiam, ſed Chriſtum traditum eſſe oblationem & hoſtiam. Fatemur ſanè ſimilibus titulis opera bona ornari poſſe, vt Hebr: 13. *Beneficentiæ & cõmunionis obliuiſci nolite: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* At negamus hoc in loco titulos iſtos traditioni dari ſed rei traditæ. Sicut & Phi-

Digitized by Google

lip: 4. 18. (quem locum ineptè pro ſe citant) cùm dicitur; *quæ miſi-ſtis odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.* nō miſſio ſed res ipſa dicitur odor ſuauitatis, hoſtia accepta & placens Deo. Hoc igitur modo hoc loco Chriſtus traditus in mortem vocatur *oblatio & hoſtia Deo in odorem ſuauitatis*, non verò ipſa traditio. Ex quo conſequitur Chriſtum in cruce traditum pro nobis, fuiſſe oblationem & hoſtiam Deo: & aduerſarios in media luce cœcutire, cùm id ſumma temeritate negant, & vel ipſis Grāmaticæ regulis, erroris conuinci poſſunt.

Neq; verò tueri ſe poſſunt eo, quòd ſicut bona opera ſimilitudine quadam ſacrificia dicuntur, non veritate ipſa: ita nec Chriſtus in cruce, dicetur verè ſed ſimilitudine tantùm oblatio & hoſtia. Hoc enim telum ipſimet è manibus ſponte dimittunt, cùm neq; poſt reſurrectionem concedunt Chriſtum verè ſeipſum ſacrificaſſe, ſed ad ſimilitudinem tantùm quandam ſacrificij. quia inſtar ſacrificij, eſt illa actio grata Deo. vti expreſſè Smalcius docet.

Deinde clariſſimè demōſtratur, ſi Chriſtus in cruce fuit oblatio & hoſtia, non metaphoricā ſed veram hoſtiā fuiſſe neceſſariò. Etenim ſicut Agnus in veteri lege mactatus in honorem Dei, erat vera hoſtia, nō metaphorica: quia vera nō metaphorica mactatione efficiebatur hoſtia: ita ſi Chriſtus in cruce mactatus eſt hoſtia, nō poteſt nō eſſe vera hoſtia: ſiquidem per veram mactationem factus eſt hoſtia.

Huc ſpectat, quod Chriſtus iturus ad mortem & de morte ſua loquens, ait: Ioan: 17. 19. *& pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati*: nimirum per mortem, quam tunc ſubibat pro nobis, ſanctificabat ſeipſum pro nobis, id eſt ſacrificabat, vt omnes interpretes exponunt. Nam & paſſim in ſcriptura, ſanctificare pro ſacrificare ſumitur: & ſanctificandi vox, licet abſolutè poſita, poſſit etiam alia præter ſacrificium ſignificare: tamen ſanctificari pro alijs, non poteſt niſi ſacrificium deſignare. neq; enim ſanctificari pro alio quis niſi ſeipſum Deo offerendo poteſt. Neq; vnquam Chriſtus magis propriè eſt ſanctificatus pro nobis, quàm cùm vitam pro nobis fudit. Si enim animal, cùm in honorem Dei mactabatur, ſanctificabatur & ſanctum fiebat illa ipſa mactatione; quidni Chriſtus cùm mortem pro nobis ſubijt, proprijſſimè ſanctificauerit ſeipſum per mortem?

Argumentum 2. Alter locus eſt Heb: 1. 3. *purgatione peccatorum per ſemetipſum facta* (ποιησαμενος) *ſedet ad dextram maieſtatis in excelſis.* circa quem locum primùm noto, in Græco textu haberi *per ſemetipſum*, quod deſideratur in La-

tur in Latino. deinde participium eſſe præteriti temporis, *ποιησάμενος*, vt ſignificet factam ante purgationem peccatorum, quàm Chriſtus conſediſſet in dextera Patris, ac proinde antequam aſcendiſſet in cœlum. Porrò certum eſt ſecundùm ſcripturas, Chriſtum purgationem peccatorum nonniſi ſacrificio perfeciſſe. Hunc enim modum aſſignat Chriſto ſcriptura peccata tollendi, nempe offerendo ſe pro peccatis ſemel. Heb: 7. 27. Heb: 9. 28. Hebr. 10. 10. *Sanctificati ſumus per oblationem corporis* IESV *Chriſti ſemel.* Vnde hanc ipſam ob cauſam vocatur Chriſtus *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*; quia vt agnus Deo in ſacrificio oblatus & mactatus pro nobis, tollit peccata mundi. Quocirca conſequens eſt, Chriſtum antequam conſediſſet ad dexteram Dei, ſacrificium ad tollenda & purganda peccata obtuliſſe. Id quod etiam neſcio an non expreſſiùs idem Apoſtolus ait, cùm docet Chriſtum *per proprium ſanguinem introiſſe ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Priùs redemptionem inuenit, tùm cœlum introiuit. Redemptionem autem inuenit partam ſanguine ſuo: ſiquidem ſcripturæ omnes teſtantur, Chriſtum non aliter nos redemiſſe, niſi ſanguine ſuo, ſeu pretio ſanguinis ſui. Cùm igitur redemptio hæc facta ſit in cruce, in qua pretium redemptionis, hoc eſt ſanguis IESV Chriſti, eſt fuſum, oblationem quoq; in cruce eſſe factam neceſſe eſt, cùm redemptionem ſeu liberationem à peccatis non niſi per Chriſti oblationem factam eſſe ſcriptura teſtatur. Quam quidem redemptionem, etſi in cruce Chriſtus inuenit & perfecit; ad eam tamen nos illico non admiſit: ſed vt admittamur, ſemper pro nobis aſtat & interpellat in cœlis offerens Deo redemptionem à ſe inuentam & factam in terris. *Hebr: 9. 12.*

Ex vtroq; igitur loco apparet, Chriſtum antequam ſediſſet ad dexteram Dei, imò & antequam introiſſet in cœlum, nos à peccatis purgaſſe & redemiſſe: cumq; purgatio peccatorum & redemptio non niſi per oblationem ſit facta, conſequẽs eſt Chriſtum ante aſcenſum in cœlum, in terris oblationem & ſacrificium feciſſe.

Reſpondet Smalcius, non exprimi in hac ſententia locum, in quo facta ſit à Chriſto purgatio peccatorum: ex alijs autem eiuſdem epiſtolæ locis conſtare Chriſtum ſe in cœlis obtuliſſe, in hoc verò loco affirmari à Paulo purgationem peccatorum factam tunc, quando Chriſtus conſedit ad dexteram Dei. nũc enim aliud nihil agit, quàm quòd peccata electorum expiat. At ea reſponſio nihil penitus veri

 continet.

continet. Falſum enim eſt primò in his Pauli verbis, non exprimi locum in quo facta ſit purgatio peccatorum. Satis enim pro expreſſo habendum eſt, cùm dicitur ante ſeſſionē in cœlo, imò ante ipſum ingreſſum in cœlum factam eſſe. Heb: 9. 12. Antequam autem ingrederetur in cœlum, non alibi profectò fuit quàm in terra. quare ex verbis Apoſtoli concluditur, in terra factam eſſe.

Falſum etiam eſt, Chriſtum in cœlo primùm ſeipſum obtuliſſe. Quamuis enim ſcripturæ dicant, Chriſtum etiam in cœlis ſeipſum offerre: non tamen dicunt eam oblationem Chriſti eſſe primam, ſed prior eſt illa in terra facta ſemel, quam eandem Chriſtus in cœlis Deo ſemper repræſentat, & ſeipſum tanquam in cruce pro hominibus oblatum offert quotidie offeretq; in æternum. Quare oblatio in cœlis, ſupponit oblationem factam in terris. vt enim legalis Pontifex ex ſacrificio ante Sancta Sanctorū peracto, ſanguinem in Sancta Sanctorum inferebat & offerebat: ita Chriſtus ante Sanctuarium cœleſte ſacrificio oblato, intulit hoc ſacrificium ſuum in cœlum, hoc eſt ſemetipſum, idq; Deo pro nobis quotidie offert; & ſicut legalis Pontifex nō nouum ſacrificium in Sanctis Sanctorum offerebat, ſed eundem ipſum ſanguinem Deo in mactatione ante oblatum, in Sanctis Sanctorum Deo repræſentabat: ita nec Chriſtus nouum ſacrificium in cælis offert, ſed idem ipſum quod in terris in cruce obtulerat, hoc eſt ſeipſum, vt infra magis patebit.

Falſum etiam eſt, doceri hoc loco à Paulo, factam purgationem peccatorum, eo tempore quo ſedit Chriſtus ad dexteram Dei. contrarium enim ex Paulo colligitur, nempe priùs purgationem feciſſe, tum ſediſſe ad dexteram Dei. Facta enim purgatione ſedit. ſicut cùm quis confecto negotio ſedere dicitur, non intelligitur tunc cùm ſedet, conficere negotium, ſed ante confeciſſe, & poſt confectum ſediſſe. Denique falſum eſt, nunc nil aliud agere Chriſtum quàm peccata noſtra expiare, ſi id de prima expiatione accipiatur: primò enim peccata noſtra expiauit in cruce, in qua redemit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: deinde verò in cælis ad eam nos expiationem actu admittit, & facit vt eam actu conſequamur, cùm illam in cruce perfectè pro nobis comparauerit.

Argumentum 3. Tertio loco illa affero, in quibus Paulus diſertè docet Chriſtum ſemel duntaxat ſe ſacrificaſſe, Heb: 7. 27. *Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Heb: 9. 28. *Semel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Heb: 10.

Digitized by Google

Heb: 10. 10. *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.* quæ loca cùm de cœleſti illa oblatione intelligi nullo modo poſſint, de ſacrificio in terra facto intelligenda omnino ſunt. Etenim quæ in cœlis oblatio peragitur, non ſemel eſt facta, ſed fit ſemper & in æternum, vt & Aduerſarij fatentur; ſemel autem fieri & ſemper fieri ita pugnant, vt ſimul conſiſtere non poſſint. Si igitur oblatio, quæ ſemel eſt facta, dicatur eſſe in cœlo facta, vt vult Smalcius, non poterit dici ſemper in cœlo fieri. At enim ait Smalcius, eandem oblationem eſſe ſemel factam, & ſemper fieri in cœlo. Verùm nos quoq; fatemur idem. idem enim Chriſtus eundem ſeipſum ſemel obtulit, & ſemper offert. At non de hoc nobis res eſt, ſed an ea oblatio eo modo, quo in cœlis nunc offertur, ſit ſemel facta. aliud enim eſt eandem rem fieri, aliud eodem modo. Porrò omnis ratio vrget, eo modo quo aliquid ſemel tantùm dicitur factum, non poſſe dici ſæpiùs factum; tantùm abeſt, vt dicatur ſemper fieri. vnum enim excludit aliud.

At inquit Smalcius, poſſe id quod ſemel oblatum eſt, perpetuo dici offerri, quatenus nulla eius repetitione opus eſt, ſed vnica actio perpetuo durat. Verùm ſi hæc Chriſti oblatio in cœlis nihil aliud ſit, quàm illa Chriſti actio, qua interpellat pro nobis, quis non videt nō vnam actionem eſſe perpetuo durantem, ſed eandem actionem toties repetitam, quoties vel nos interpellatione Chriſti indigemus, vel eam nobis Chriſtus liberaliter impertit. Neq; enim antequam interpellatione Chriſti egeamus, Chriſtus pro nobis interpellat: neq; poſtquam interpellatione Chriſti conſecuti ſumus Diuinum beneficium, ſed vt Ioannes in ſua prima epiſt: ait cap: 2. 1. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum;* non antequam quis peccet habet Chriſtum aduocatum pro peccatis, ſed ſi peccauerit, habet aduocatum apud Patrem IESVM Chriſtum. neq; poſtquam peccata nobis remiſſa ſunt, opus eſt Chriſti interceſſione, vt remittantur. Sunt enim iam remiſſa. Non igitur vna eſt Chriſti interceſſio, ſed multiplex, & prout multi homines ſibi longo interuallo ſuccedunt, & multa peccata, & cauſæ interceſſionum: ita & multiplex ſit ipſa Chriſti interceſſio. ceſſat enim ceſſantibus cauſis, repetitur cauſis repetitis.

Ex quo patet, ſi id dicitur ſemel factum, quod iterum non repetitur, Chriſti in cœlis oblationem (ſi in interceſſione pro nobis conſiſtat) non poſſe dici ſemel factam; cùm toties, quoties opus eſt, repetatur: neq; ſemper eadem durat; cùm non ſemper ſint eædem in-

terceſſio-

Digitized by Google

terceſſionis cauſæ & neceſſitates, ſed interrumpitur & repetitur ſecundùm interruptionem & repetitionem cauſarum.

Accedit quòd Paulus Hebr: 9. 26. illam oblationem ſemel factã agnoſcit eſſe cruentam. quia ſi repeteretur, *oporteret Chriſtum frequenter pati ab origine mundi.* Ergo loquitur de ea oblatione, quæ facta eſt in cruce, non in cælo. Nam illa in cælo oblatio, vt dictum eſt, repeti poteſt; & quotidiè repetitur, non repetita paſſione & morte. Deinde ibidem ait, *Chriſtum ſemel per hoſtiam ſuam apparuiſſe,* id eſt, hoſtia ſua pro peccatis oblata apparuiſſe in cælo. quod alijs verbis ante dixerat: *Purgatione peccatorum facta,* c. 1. 3. *& æterna redemptione inuenta*, c. 9. 12. per hoſtiam enim à ſe oblatam in cruce, & purgationem peccatorum fecit, & æternam redemptionem inuenit. Denique ibidem probat, Chriſtum ſemel offerri debuiſſe: quia ſicut ſtatutum eſt hominibus ſemel mori; poſt hoc autem iudicium: ita & Chriſtus hominum ſaluator, ſemel mori pro illis debuit & offerre ſe ad illorum peccata tollenda, deinde venire ad iudicium, ſine peccato expectantibus eum in ſalutem. hoc eſt, non vt pro peccatis ſe iterum offerat, ſed vt det reipſa ſalutem expectantibus ſe, & perducat illos in cælum. Vnde patet, oblationem illam, quam docet ſemel factam, intelligendam eſſe illam, quæ fuit in cruce per paſſionem & mortem.

Non praui. det Smalcius Reſpondet Smalcius, oppoſitũ hoc loco potiùs affirmari, nempe Chriſtũ introiſſe in cælũ, vt ſe ipſum offerat. Sed errat, cùm putat iſta eſſe contraria. Offerre enim ſeipſum ad mortem, & ſeipſum iam per mortem oblatum Deo repræſentare & offerre minimè ſunt contraria, ſed ſubalterna: offerri enim ſacrificium poteſt, tum vt fiat, tum vt factum Deo repræſentetur. Priorem oblationem factam dicimus in terra: poſteriorem ſemper in cælo fieri. Secundò ait, non poſſe rationem Pauli ita intelligi, vt paſſio ſit oblatio; quia idem probaretur per ſeipſum: oblatio per paſſionem. At nec hoc quidquam habet momenti. Quis enim vel mediocriter logica tinctus neſciat, modium, quod ad theſim probandam aſſumitur, non eſſe neceſſe vt re differat à theſi, ſed ſatis eſt, ſi ratione & conceptu diſtinguatur: ſic per definitionem ſubiecti, demonſtratur de ſubiecto proprietas: à quo tamen non diſtinguitur definitio niſi conceptu. Sic igitur oblatio probatur per paſſionem: quia licet oblatio illa in re ſit idem quod paſſio; tamen conceptu diſtinguitur: & ſicut homo probatur per animal rationale, cum quo eſt penitus idem, ſic oblatio probari poteſt per paſ-

per paſſionem cum qua eſt idem. Tandem cùm hæc ſophiſmata nullam ſolidam probandi vim habere animaduerteret, reſpondet directè, paſſionem & mortem pertinere ad ſacrificiũ, tanquam præparationem quandam; non verò tanquam ipſum ſacrificium: ſicut & mactatio ante Sancta Sanctorum erat præparatio quædam ad ſolẽne illud ſacrificium, quod in Sanctis Sanctorum perficiebatur. Hæc reſponſio manifeſtè refellitur ex eo primùm, quod ſi eſſentia ſacrificij non ſtatuatur in mactatione, ſed in illa interpellatione pro nobis, poſſet repeti illa oblatio cœleſtis, non repetita oblatione: imò de facto repetitur toties, quoties repetitur interpellatio pro nobis, nihil enim aliud volunt eſſe illam oblationem cœleſtem, quàm interpellationem pro nobis apud Patrem. Ex hoc autem ſequetur non eſſe veram argumentationem Pauli, Heb: 9. 26. nec oporteret Chriſtum frequenter pati, ſi frequenter ſe offerret. quidni enim, morte pro nobis ſemel obita, ſæpius eandem repreſentare Patri poſſet, & ad noſtram ſalutem offerre. Deinde ſicut vnum ſacrificium poteſt eſſe præparatio ad aliud: ita ſacrificium in cruce factum, eſt præparatio ad illam oblationem cœleſtem: id enim offertur in cœlo, quod fuit oblatum in cruce. Sicut & in ſacrificio legali, vitulus ille & hircus, qui mactabatur ante Sancta Sanctorum, & quorum ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum, erat verè ſacrificium immolatum pro peccato, vt expreſſè dicitur Leuitici 16. 27. nihil enim illi ad rationem ſacrificij deerat: cùm mactatio animalis in honorem Dei, ſit veriſſimum ſacrificium: alioqui innumera ſacrificia legis veteris, quæ in mactatione victimæ conſiſtebant, non fuiſſent vera ſacrificia; & tamen illud ſacrificium erat præparatio ad ſequentem oblationem. ex priori enim ſacrificio ſumebatur ſanguis, & inferebatur in Sancta Sanctorũ: ita vt ſanguis ille bis fuerit oblatus: primùm in ipſa mactatione pecudis, cùm funderetur in Dei honorem: ſecundò cùm inferebatur in Sancta Sanctorum & Deo præſentabatur: quia enim erat ſanguis rei mactatæ & oblatæ, idcirco verè offerebatur, vt ſacrificium; cùm rem ſacrificatam contineret: Quare typus ſacrificij legalis non ſolùm nõ excludit præcedens ſacrificium; ſed etiam illud ita ſupponit, vt ſine illo non ſubſiſteret: ſupponit autem non vt nudam præparationem, ſed vt veriſſimum ſacrificium: ſiquidem in mactatione illa ſacrificij eſſentia poſita eſt.

Adhæc probare idem poſſumus ex figura Agni Paſchalis, quem Chriſti *Argumentum 4.*

Digitized by Google

Chriſti figuram fuiſſe patet, primùm ex eo, quòd Chriſtus ea de cauſa paſſim à Ioanne Agnus dicatur, quòd inſtar agni occiſus eſt, pro peccatis totius mundi. Ioan: 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Agnus dicitur non quocunque modo, ſed Dei, hoc eſt, Deo oblatus & immolatus: vt etiam Paulus eum vocat, *Paſcha pro nobis immolatum,* 1. Cor: 5. Dicitur etiam Agnus, qui tollit peccata mundi, quia per modum Agni occiſi pro peccatis, peccata tollit: ac ſi diceret, idcirco illũ voco Agnum, quia tollit peccata mundi, vt agnus, cùm pro peccatis occiditur & immolatur. quam etiam ob cauſam appellatur à Ioanne, *Agnus occiſus,* Apoc: 5. 6. 12. quia ſicut Agnus pro peccatis noſtris immolatus eſt. At longè clariùs idipſum docet S. Paulus, 1. Cor: 5. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Dicitur enim Paſcha, id eſt Agnus Paſchalis. hoc enim ſenſu legimus apud Euangeliſtas, occidi Paſcha, immolari, Paſchari, parari & manducari Paſcha. id eſt, Agnum Paſchalem, Luc: 22. 7. Mar: 14. 12. Quemadmodum igitur Agnus ille legalis in Paſchate occidebatur & immolabatur, & ideo dicebatur Paſcha: ita Chriſtus, vt agnus, die Paſchatis occiſus & immolatus eſt. Et ſicut ille agnus tunc cùm occideretur, ſeu in ipſa occiſione immolatus & ſacrificatus dicebatur: ita noſter agnus cùm in Paſchate occiſus eſt, in ipſa occiſione immolatus & ſacrificatus eſt.

Falſiſſimum igitur eſt, quod Smalcius folio 126. ſcribit, ſolùm illud ſacrificium Pontificis intrantis in Sancta Sanctorum, fuiſſe typum ſacrificij Chriſti. Nam & cætera legalia ſacrificia, erant figura ſacrificij Chriſti ſecundùm varias & multiplices rationes: *Omnia enim in figura contingebant illis*: & agnus Paſchalis erat typus Chriſti, non ſolùm proprietatibus agni, videlicet innocentia, manſuetudine; ſed etiam occiſione & immolatione: omnia enim hæc ſcriptura ex ſimilitudine agni Paſchalis accommodat Chriſto. Illud etiam legale Pontificis ſacrificium typus erat ſacrificij Chriſti, non ſolùm oblati in cœlo, ſed etiam in terra facti, vt paulò ante oſtendimus: cùm illud cœleſte, ſupponeret hoc in terra factum. & vt in legali Pontificis ſacrificio, ſanguis illius ſacrificij ante Sancta Sanctorũ facti, importabatur in Sancta Sanctorum: Sic Chriſtus ſacrificium in cruce factũ intulit in cœlum, & illud tanquam factum in terra obtulit & offert Patri pro nobis, & à nobis offerri vult in terris ritu Melchiſedechiano, vt alibi oſtendimus. quam etſi Smalcius more ſuo Hæretico, Affaniam contumelioſè appellat: ea tamen Affania eſt omnium ſan-

ctiſſimo-

Digitized by Google

ctiſſimorum Patrum & ſapientiſſimorum Theologorum, totiuſque orbis Chriſtiani: ita vt cum ratione inſanire oporteat eum, qui tales duces non ſequatur.

Deniq; ratione ita rem concludimus; Chriſto in cruce morienti pro nobis, nihil omnino deeſt, quod ad rationem ſacrificij ſpectet. verè igitur in cruce ſacrificatus dici debet. Etenim cùm animalia Deo in ſacrificium offerrentur, per ſolam mactationem in cultum Dei ea ſacrificij ratio perficiebatur: & Abrahamo cùm Deus præciperet, vt ſibi ſacrificaret filium, non aliud præcepit illi, niſi vt tolleret filium & illum occideret; cùmq; illum poſuiſſet ſuper ſtruem lignorum, ait ſcriptura, extendit manum & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum. gladio igitur immolabat, & occiſione perficere volebat ſacrificium. Cùm igitur in cruce Chriſtus ſe in mortem obtulit, & pro nobis ad Dei honorem occidi voluit, nihil illi ad propriam rationem ſacrificij defuit. *Argumentum 5.*

Verum igitur in cruce de ſe obtulit ſacrificium. Et ſanè ſi in cœlo intercedendo pro nobis dicitur ab Aduerſarijs offerre ſeipſum & ſacrificare: quanto magis moriendo pro nobis, offerre ſeipſum & ſacrificare dicendus eſt. Magis enim ſeipſum Deo & nobis impendit moriendo, quàm intercedendo: & ſi intercedendo poteſt peccata expiare, quanto magis moriendo.

Et hæc quidem argumenta veritatem Catholicam de ſacrificio cruento in cruce facto, ita conuincunt, vt ſtupidum vel truncum eſſe oporteat, qui ea vel non intelligat, vel non admittat. Verùm ad argumenta Aduerſariorum, quibus in tam pudendum errorem inducti ſunt, diſſoluenda veniamus.

Aduerſus Chriſti in cruce Sacrificium, Arianorum obiecta diluuntur. CAPVT XII.

PRimum itaq; & præcipuè hunc in modum argumentantur ex ſimilitudine legalis Pontificis, quam Paulus Chriſto applicat ad Hebr: 9. Sicut enim Pontifex legalis non niſi in Sancta Sanctorum ingreſſus, ſacrificium illud annuarium perfecit: ſic etiam Chriſtus nonniſi in cœlum ingreſſus, ſacrificium ſuiipſius peregit. *Primus inſultus Arianorum contra Chriſti in ara crucis oblationem reprimitur.*

Verùm Ariani hoc ipſo gladio iugulandi ſunt. Etenim ſi ſacrificium illud legale, ſimilitudo fuit ſacrificij Chriſti, vt & Paulus teſtatur, & res ipſa demonſtrat: in ſacrificio autem illo legali, vitulus

 & hircus

Digitized by Google

& hircus, priuſquam ſanguis eorum in Sancta Sanctorum inferretur, occidi & pro peccato immolari debuerunt ante Sanctuarium, conſequens eſt Chriſtum quoq; antequam Sanctuariũ illud cœleſte intraret, occidi & pro peccato immolari debuiſſe, tùm in ſanguine ſuo & per hoſtiam ſuam in cœlum intrare. Quia verò Smalcius impudenter negat, illam occiſionem, quæ ante Sanctuarium fiebat, fuiſſe verè ſacrificium, ſed ſolùm vult præparationem quandam fuiſſe ad illud ſacrificium in Sanctis Sanctorum complendum: idcirco verbis ipſis ſcripturæ tam craſſa ignorantia refellenda eſt. Sic igitur ſcriptura ait de hoc legali ſacrificio Leuit: 16. 27. *Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum ſanguis illatus eſt in Sanctuarium, vt expiatio compleatur, aſportabunt foras caſtra.* En quomodo ante ingreſſum in Sanctuarium immolatio & ſacrificium peragebatur, & ſanguis illatus in Sancta Sanctorum, ex peracto ante ſacrificio aſſumebatur. Quocirca miror Smalcium, qui cùm toties caput Leuitici à me indicatum legiſſe ſe ſcribat; rem, tamen adeò claram animaduertere non potuerit, vt, vigilanſné an dormiens legerit, iudicare non poſſim.

At inquit, ſacrificia illa, quæ ante ingreſſum & poſt egreſſum ex Sanctis Sanctorum offerebantur, non eius generis erant, cuius illud eſt, quod Chriſti ſacrificium figurabat, & altare, quod extra Sanctuarium erat, nihil prorſus ad hoc anniuerſarium ſacrificium pertinebat; verùm ſi id de alijs diſtinctis ſacrificijs intelligat, non ad rem loquitur: nos enim non de alio diſtincto ſacrificio loquimur, ſed de illo duntaxat vituli & hirci ſacrificio: ex quo ante Sanctuarium immolato, inferebatur ſanguis in Sancta Sanctorum: licet igitur alia ſacrificia non pertinerent ad illud anniuerſarium ſacrificium: tamen cùm non de illis ſacrificijs ſit ſermo, id totum ad rem non facit. Si verò id intelligat de illo ſacrificio vituli & hirci, cuius ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum, falſum dicit: plurimùm enim pertinebat illa præcedens mactatio ad illationem & oblationem ſanguinis in Sanctis Sanctorum: illa enim oblatio ab hac oblatione dependebat; & niſi vitulus & hircus ante Sanctuarium pro peccato immolatus eſſet, non fuiſſet eorum ſanguis oblatus in Sanctis Sanctorum.

At dicit pertinere, vt præparationem, non vt ſacrificium. Sed illam, quam Smalcius præparationem nuncupat, ſcriptura vocat ſacrificium & immolationem pro peccatis. Leuit: 16. 27. Vtroq; igitur modo

modo pertinebat, & vt ſacrificium, & vt præparatio. Nam ſupponebatur ſacrificium factum, ad hoc vt ex illo ſanguis ſacrificatus, inferretur in Sancta Sanctorum: neq; verò repugnat vnum ſacrificium eſſe præparationem ad aliud, & vnum ſacrificium ab altero dependere. Illam etiam mactationem vituli per modum ſacrificij, præparationem fuiſſe ſcriptura ipſa teſtatur.

Ac ne aliqua dubitatio remaneat, ex eo quod Leuit: 16. dicitur, ſanguinem illum in Sancta Sanctorum inferri debuiſſe, vt expiatio compleretur; id non ita accipiendum eſt, ac ſi ante Sanctuarium non fuiſſet peractum verum ſacrificium, cùm id ſcriptura fateatur, ſed quòd perfectio quædam maior & complementum illi addebatur in Sanctuario, cùm illud, quod iam erat factum, Deo præſentabatur & offerebatur vt factum. Quod idem fit à Chriſto, qui nunc in cœlo ſacrificium à ſe in cruce factum Deo repræſentat & offert ad expianda peccata; quod cùm facit, ius quodammodo ſuum repetit, vt ſacrificio à ſe peracto, hominum peccata expientur, & actu admittantur ad illam peccatorum remiſſionem, quam illis in cruce parauit.

Duplex igitur hoc loco oblatio diſtinguenda eſt, altera quæ eſt in ipſo ſacrificio, quæq; eſt eſſentialis ſacrificio: vt cùm Abraham filium ſuum offerret in mortem, volens eum occidere: altera eſt ſuperueniens ſacrificio, nempe cùm ſacrificium iam factum Deo repræſentatur, commendatur, offertur, ad hoc vt illud Deo ſit acceptum, & gratum ad eos omnes effectus, qui ex illo ſacrificio dependent, tribuendos. Prior oblatio fuit in cruce, vti demonſtratum eſt: poſterior fit in cœlo, fietq; ſemper. Quanquam Chriſtus nunc in cœlo exiſtens, non ſolùm offert ſeipſum in cœlo aſtando vultui Dei & interpellando pro nobis, ſed etiam in terra per inſtitutum à ſe ſacrificium ſub panis & vini ſpecie ſecundùm ordinem & ritum Melchiſedech. quemadmodum enim ſeipſum pro nobis in cruce mortuum, offert in cœlo: ita, quia ſemetipſum etiam nobis reliquit in terra ſub ſpecie panis & vini, conſequens eſt vtraq; ratione ſeipſum offerre. quod etſi blaſphemam matæologiam, pro ſua modeſtia, nuncupet Smalcius, ea tamen non noſtra ſed Pauli doctrina eſt.

Vt enim alia omittam, quæ alibi contra veſtrum *Wolkelium* docui, Paulus Hebr: 13. 10. agnoſcit nos, ***habere altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt:*** idq; ex eo probat, quòd ijs, qui tabernaculo ſeu legi veteri deſeruiunt, nō licet ijs victimis veſci,

Digitized by Google

quarum ſanguis infertur in Sancta Sanctorum, ſed earũ corpora cremabantur extra caſtra, non verò ad veſcendum proponebantur, vt ex Leuit: 16. manifeſtum eſt. Talis autem victima Chriſtus eſt, cuius ſanguis in cœlum illatus eſt. Non licet igitur corpus eius edere & ſanguinem bibere, ijs qui tabernaculo & legi veteri deſeruiunt, ita vt ad idem ſignificandum dicat Paulus, Chriſtum eſſe paſſum extra portam, vt ijs, qui ſunt extra caſtra, ſeu extra ceremonias & obſeruantias legis, ſe profuturum oſtenderet, eoſq; ſanctificaret per ſuum ſanguinem. Nobis autem qui Chriſtiani ſumus, & tabernaculo ſeu legi veteri non deſeruimus, licitum eſt edere de hoc altari, in quo apponitur caro & ſanguis huius victimæ illatæ in Sanctuarium cœleſte. Hic ergo diſcurſus S. Pauli an non manifeſtè indicat, eſſe in terra altare, in quo apponitur nobis edendum corpus Chriſti, & ſanguis bibendus, ſub ſpecie panis & vini; quibus illis, qui Chriſtiani nõ ſunt, veſci non licet. quòd ſi altare eſt menſa ſacrificij, conſequens eſt in hoc altari Euchariſtico ſacrificiũ exhiberi corporis & ſanguinis Chriſti: Neq; enim quis poteſt dicere hoc altare eſſe in cœlo, cùm non in cœlo, ſed in terra nobis relictum ſit corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia ad edendum & bibendum. neq; de ſpirituali duntaxat eſu intelligi poteſt, cùm ore ipſo ſumi à nobis corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpecie panis & vini Chriſtus inſtituerit. Non igitur blaſphema matæologia eſt, vt calumniatur blaſphemus Smalcius, corpus Chriſti & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini offerre, cùm ad hunc finem ſit altare Euchariſticum, vt in eo ſacrificium peragatur corporis & ſanguinis Domini, veriſſimumq; eſt Chriſtum non ſolùm manifeſtè ſeipſum pro nobis offerre in cœlo, ſed etiam ſub myſterio in panis & vini ſpecie in terra. Scio nonnullos interpretari dictum Apoſtoli, de altari crucis. At certè in altari crucis non proponitur nobis corpus Chriſti edendum, ſed in altari Euchariſtiæ: licet enim idem corpus fuerit in cruce, quod nunc eſt in Euchariſtia: tamen in cruce non habuit ſpeciem cibi, ſed extra crucem ſub ſpecie panis, vt ederetur à Chriſto, inſtitutum eſt. quod ſi interpretentur de eſu ſpirituali per fidem, primùm id dici non poteſt. Paulus enim loquitur de eſu prohibito Iudæis. At Iudæis prohibitum fuit re ipſa, non per fidem edere de ſacrificio in Sancta Sanctorum illato. Per fidem etiam licuit edere Chriſtum Iudæis! ſicut & credere: ſiquidem credere, eſt edere. Deinde Paulus de illo eſu loquitur, qui à Chriſto præſcriptus eſt: nobis autem

bis autem præſcriptum eſt, vt in Sacramento corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus. Demum ſi Ariani de altari crucis hæc verba interpretentur, concedere illos neceſſe eſt, Chriſtum in cruce, tanquam in ſuo altari ſacrificâſſe. quod tamen ipſi minimè concedunt.

Secunda impreſſio Arianorum euitatur.

Adducit Smalcius ſecundo loco Hebr: 2. 17 vbi dicitur, *debuiſſe Chriſtum per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret peccata populi.* Ex quo infert Smalcius, priùs Chriſtum paſſum eſſe & mortuum pro ſimilitudine, quàm fieret ſummus noſter Pontifex. Egregiè verò, quis enim non videt, Paulum non dixiſſe abſolutè, vt Pontifex fieret, ſed vt miſericors fieret & fidelis Pontifex: aliudq́; eſt fieri Pontificem abſolutè, aliud fieri miſericordem. Paulus igitur ait, Chriſtum debuiſſe fratribus aſſimilari in omnibus ærumnis & calamitatibus, non vt Pontifex fieret, ſed vt miſericors fieret. omnium enim ærumnarum experientia facit ad miſericordiam & fidelitatem: *in eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & iis, qui tentantur, auxiliari*, vt ℣. 18. dicitur. Non igitur neceſſariò infertur ex Pauli verbis, Chriſtum ante paſſionem & mortem non fuiſſe Pontificem, ſed ſolùm ante paſſionem & mortem non expertum eſſe ærumnas noſtras, ex quibus fieret miſericors Pontifex.

Tertia ſimiliter declinatur.

Alterum locum adducit Hebr: 4. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos*: ex quo infert Smalcius, antequam cœlos penetraret, non fuiſſe Pontificem, & eo fine penetrâſſe cœlos, vt fieret noſter Pontifex. At nihil horum ex verbis Pauli cõcludi poteſt: is enim ſolùm dicit, Pontificem penetraſſe cœlos. ex ho cautem non poteſt inferri, vel antequam penetraret non fuiſſe Pontificem, vel eo fine penetrâſſe, vt primò tunc fieret Pontifex; ſed ſolùm concluditur, Chriſtum Pontificem in cœlis quoq; Pontificio munere fungi, cùm eo fine cœlum petierit, vt ibi aſtaret vultui Dei pro nobis. Deinde eadem ſcriptura, quæ ait Chriſtum Pontificem cœlos penetrâſſe, aſſerit etiam peracto in cruce ſacrificio penetraſſe, purgatione peccatorum ante facta & redemptione inuenta. vt in capite præcedenti monſtratum eſt: & ex ſimilitudine legalis Pontificis cõſtat ipſum ante Sanctuarium peracto ſacrificio in Sancta Sanctorum introiſſe. Non igitur eo fine intrauit cœlum Chriſtus, vt eſſet ibi primùm noſter Pontifex, ſed vt ibi in æternum, tanquam Pontifex noſter, pro nobis vultui Dei appareat, & ad Redemptionis ſuæ, quam in cruce

fecit,

Digitized by Google

fecit, poſſeſſionem & fructum nos perpetuo admittat: parum enim profuiſſet redemiſſe, ſi ad fructum redemptionis percipiendum re ipſa non admitteremur.

Tertius impetus retunditur. Tertium locum citat Hebr: 7. 26. vbi Paulus ait: *talem decuiſſe eſſe noſtrum Pontificem, qui eſſet excelſior cœlis factus.* ex quo Smalcius infert, neceſſe fuiſſe vt cœlis ſublimior fieret, ſi Pontifex eſſe voluit. At nihil tale Paulus docet. totumq; id affingitur Paulo, quod Smalcius dicit. Paulus enim ſolùm dicit, Pontificem noſtrum excelſiorem cœlis eſſe factum. ad quod verificandum non eſt neceſſe dicere, tunc primùm eſſe Pontificem factum, cùm factus eſt cœlis excelſior. Nam etiam ante factus Pontifex, potuit poſtea fieri cœlis excelſior. idq; reuera Scriptura ibidem docet, Chriſtum non niſi ſemel peracto ſacrificio factum eſſe cœlis excelſiorem ℣. 27. expurgatione peccatorum facta. Heb: 1. 3. & redemptione inuenta. Heb: 9. 12. id quod Pontificis quoq; legalis ſimilitudo indicat, qui non tunc primùm fiebat Pōtifex cùm in Sancta Sanctorū ſemel in anno intrabat, ſed ante etiam Pontificis munere fungebatur. Non igitur dedecebat Theologiæ Doctorem vt Smalcius obijcit, Scripturas, de Chriſti Pōtificis in cœlum ingreſſu ita interpretari: non vt in cœlo primū fieret Pontifex, ſed vt cùm in terrâ Pontificis munere functus eſſet, in cœlo quoq; munere Pontificis fungeretur. Huius enim interpretationis ſcriptura ipſa author eſt.

Prætereà Smalcius ait, Scripturam docere, Chriſtum ſi ſuper terram eſſet, ſacerdotem non eſſe. Heb: 8. 4. *Si ergo*, inquit, *eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos, cùm eſſet, qui offerent ſecundùm legem munera.* At mentem Pauli euertit Smalcius. Non enim aſſerit Paulus, eum qui ſuper terram eſt, ſacerdos, non eſſe ſacerdotem; cùm hoc & cōtradictionem implicet, & contrarium mox aſſeratur à Paulo, nempe non defuiſſe legales ſacerdotes, qui ſuper terram offerrēt munera, eoſq; fuiſſe verè ſacerdotes: ſed id ſolùm dicere vult; quòd ſi Chriſtus tantùm ſuper terram ſacerdos eſſet, non eſſet ſacerdos, id eſt non fuiſſet factus à Deo ſacerdos; quia nimirum talis ſacerdos in Pontifice legali figurabatur, qui non ſolùm ante Sanctuarium, ſed & in ipſo Sanctuario Pontificis munere fungeretur, vel quòd in idem ferè recidit, non fuiſſet neceſſe vt fieret ſacerdos: ſiquidem ad ſacrificia ſuper terram, ſufficiebant ſacerdotes legales, ad eum modum quo capite præcedenti ℣. 11. dixerat. Si conſummatio erat per ſacerdotium Le-

Digitized by Google

tium Leuiticum (quod proculdubio fuit ſuper terram) quid adhuc neceſſarium, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Ex quo patet quid Paulus intellexerit per ſacerdotem ſuper terram, nempe eum, qui tantùm ſuper terram ſacerdos eſſet, & ſuum ſacrificium oblatũ in terra non poſſet inferre cœlo: id quod patet ex ſubiecta materia, & omnibus loci circumſtantijs, & ex Typo Pontificis legalis. Si igitur Chriſtus talis ſacerdos eſſet ſuper terram, qui ſolùm in terra ſacrificaret, nec ſuum ſacrificium in cœlum poſſet inferre, non fuiſſet à Deo factus ſacerdos: neq; enim tali ſacerdote fuiſſet opus, cùm nõ deeſſent ſacerdotes legales, qui ſuper terram tantùm ſacrificabant. Idem etiam patet ex Typo Pontificis legalis, quem Paulus vrget c. 9. is enim non tantùm ante Sanctuarium offerebat, ſed etiam in ipſum Sanctuarium intrabat, inferens ex ſacrificio à ſe oblato ſanguinem in Sancta Sanctorum. Si igitur Smalcius verba non nudè carpſiſſet, ſed ſenſum ex ſubiecta materia & loci circumſtantijs diligentiùs inueſtigâſſet, non fuiſſet turpiter lapſus in ſenſu verborum Pauli: cùm is per ſacerdotem ſuper terram, non eum intellexerit qui in terra ſacrificaret, ſed qui ſolùm in terra & nullo modo in cœlo ſacrificaret ſecundùm Typum Pontificis legalis, quem paſſim vrget S. Paulus in illa epiſtola.

Tandem vrget locum Heb: 10. 5. *ideo ingrediens mundum, dicit: Sacrificium & holocautomata noluiſti; corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus tuam voluntatem.* Hũc locum ita intelligit Smalcius, ac ſi de Chriſti ingreſſu in cœlum intelligendus ſit. Mundi enim nomine cœlum intelligi vult, in quod Chriſtus ingreſſus illico obtulit ſacrificium. Verùm hæc ſumma temeritate aſſeri ab aduerſarijs, vel ex eo probamus, quòd mundus abſolutè dictus in propria ſua ſignificatione, pro hoc mundo præſenti debet accipi; niſi aliquid eiuſmodi adijciatur, ex quo neceſſum ſit in impropria ſignificatione accipi. Atqui hoc in loco mundi nomen abſolutè ponitur; neq; aliqua loci circumſtantia requirit, vt impropriè ſumatur. Non poteſt igitur mundi nomine cœlum intelligi. *Quartus conatus irritus redditur*

At enim inquit, is mundus hîc intelligendus eſt, in quem ingrediens Chriſtus, ſtatim ſeipſum obtulit. talis autem mũdus non eſt iſte præſens, ſed futurus. Nam in hunc mundum ingreſſus Chriſtus non illico ſe ſacrificauit; in cœlum autem ingreſſus, mox ſeipſum obtulit. Ve-

Digitized by Google

lit. Verùm perperam affingitur Paulo, quaſi dixerit Chriſtùm ingreſſum in mundũ ſe illico ſacrificaſſe, ſolùm enim dicit dixiſſe illa verba: *Ecce venio*: nõ dicit, Ecce venio vt ſtatim me ſacrificẽ; ſed venio paratus ad ſacrificandũ iuxta voluntatẽ tuam Deus, ſiue ſtatim, ſiue quãdo opus fuerit. Ad vtrumq; enim hic modus loquendi ſeruit, & eſt indifferens ad vtrumq; ſignificandum. Non bene igitur ex hoc loquendi modo colligit Smalcius, Chriſtum veniſſe in mundum, vt ſtatim ſe ſacrificaret. is enim qui venit, vt aliquid faciat, non eſt neceſſe vt ſtatim faciat, ſed ſatis eſt, vt ſuo tẽpore faciat: ſic Chriſtus ait, ſe ad hoc veniſſe in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati. Ioan: 18. 27. attamen non ſtatim ac venit in mundum, teſtimoniũ perhibuit veritati. Sic Paulus 1. Tim: 1. ait Chriſtum veniſſe in hũc mundũ, peccatores ſaluos facere; & tamẽ nõ ſtatim ac venit in mundum hunc, id fecit. Quod ſi quis dicat, ſtatim facere cæpiſſe, ea quæ ad peccatores ſaluandos referebantur: pari ratione dicam ego, Chriſtum antequam ſe in cruce ſacrificaret, præparaſſe ſe ad ſacrificium, & multa feciſſe, quæ ante ſacrificium ex Dei voluntate præmittenda erant: non enim ſolùm, vt ſe ſacrificaret, venerat in mundum, ſed & vt hominibus voluntatem Dei annunciaret: quod tribus ante mortem annis præſtitit. Ex quo patet, retorqueri poſſe Smalcij argumentum in ipſum. Nam ſi non eſt neceſſe, ex illo modo loquendi, vt Chriſtus ſtatim ſe ſacrificauerit, neq; etiam erit neceſſe, vt mundi nomine cœlum ſignificetur, cùm illud afferatur ab aduerſariis pro ratione iſtius. Ad hæc qui dicit ſe venire ad faciendam voluntatem alterius, non eſt neceſſe, vt ſtatim faciat, ſed eo tempore, quo fuerit voluntas alterius. Hoc autem modo Chriſtus ingrediens mundum ait ſe venire. Deniq; illam oblationem, quam in mundum ingreſſus fecit; ait Paulus, ibidem factã eſſe ſemel; hoc autem de oblatione illa cœleſti non poſſe intelligi probatum à nobis eſt: cùm illa non ſemel ſed ſemper fiat. ergo de oblatione in hoc præſenti mundo debet intelligi.

At inquit, verba illa, *Corpus autem aptaſti ſeu perfeciſti mihi*, indicant, corpus Chriſti ad oblationem perfectum, hoc eſt, immortale reddi debuiſſe. quale corpus non habuit Chriſtus, in hunc mundum veniens, ſed ſolùm dum cœlum ingrederetur: At reſpondendum eſt, ſiue legamus *Aptaſti*, ſiue *perfeciſti*, non de alia perfectione ſermo eſt, quàm de ea, quæ ad finem oblationis eſt neceſſaria. Porrò ad ob-

lationem

Digitized by Google

lationem, quæ ſemel eſt facta in cruce, non requiritur corpus immortale, ſed mortale. Non igitur de perfectione immortalitatis ſermo eſt, ſed de perfectione naturali corporis; vt ſenſus ſit, corpus verum & perfectum omnibus ſenſibus dediſti mihi, vt in eo pati ac mori, & ex conſequenti per mortem illud tibi offerre poſſim.

Ridendus verò eſt Smalcius, cùm ait me petere principium. nõ enim ego peto principium, cùm oſtendo verba Pauli non neceſſario de perfectione immortalitatis intelligi debere, cùm de perfectione naturali poſſint intelligi. Sed Smalcius petit principium, cùm ex eo quod de oblatione cœleſti, de quo eſt controuerſia, hîc agi putat, infert etiam de perfectione corporis immortali ſermonem eſſe. Et ſanè nemo non videt, Smalcio probandum incumbere, omnino de immortalitate hîc ſermonem eſſe, quam ille non aliter probare poteſt, niſi dicat ad oblationem cœleſtem, immortale corpus requiri, & hîc de oblatione cœleſti ſermonem eſſe: quod & falſiſſimum eſt, & illi oblationi cœleſti ſemel factæ repugnans: & clariſſima eſt petitio principij. id enim, quod hic quærimus, eſt, an cœleſtis oblatio ſit illa, quæ à Chriſto in mundum ingrediente eſt facta, vel non.

Non poſſum verò ferre, quod imprudenter adijcit Smalcius: in ſacrificio Chriſti nullum, propriè loquendo, locum eſſe voluntati ipſius, ſed tantùm Dei, qui Chriſtum ad id ſalutis noſtræ cauſa voluerit extollere. Anné quod Chriſtus propter ſuam in nos charitatem fecit, abſq; voluntate ſua feciſſe putandus eſt? cùm charitas ſit ipſiſſima voluntas diligentis. Chriſtum porrò ex charitate ſeipſum pro nobis obtuliſſe, teſtantur Sacræ literæ. Nam & Paulus Chriſti charitatem vocat ſupereminentem ſcientiæ, hoc eſt excedentem omnem ſcientiam. Eph: 3. 18. illam inquam, charitatem, qua maior eſſe, Chriſto ipſo teſte, nulla poteſt, qua animam ſuam pro nobis poſuit. de qua etiam Paulus ad Gal: 2. 20. loquitur: *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Eph: 5. 2. 25. Apoc: 1. 5. qui verò tanta charitate ſeipſum pro nobis obtulit in mortem: quomodo non eadem charitate ſeipſum pro nobis in cœlis offert, aſtando Dei vultui & interpellando pro nobis: vt id quod nobis per mortem aquiſiuit, re ipſa in nos diſtribuat. niſi forte defeciſſe Chriſti charitatem in cœlis dicamus, & maiorem in nos charitatem habuiſſe in terris, quàm nunc habeat in cœlis, exiſtimemus. Faceſſat igitur Smalcius cum talibus nugis, & tam indigna de Chriſti charitate atq; voluntate opinione; &

Chriſtus voluntariè ſe ſacrificauit.

Digitized by Google

diſcat oblationem Chriſti & ex voluntate Dei Patris, & ex charitate Chriſti profectam eſſe: ita vt non ſolùm voluntati Dei Patris tribuenda ſit, ſed etiam voluntati Chriſti, qui pro ſua in nos charitate propenſiſſimè ſeipſum obtulit pro nobis; neq; ſolùm ob Patris voluntatem, ſed etiam ob ſuam in nos charitatē. Quocirca Paulus ad Heb: 2. 17. de illa oblatione in cœlis loquens, ait Chriſtum, vt miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, omnes noſtras calamitates perpeſſum eſſe; vt in eo, in quo paſſus ipſe & tentatus eſt, poſſet & ijs, qui tentantur, auxiliari. quod nimiam Chriſti in nos charitatem, etiam cùm in cœlo exiſtit Pontifex apud Deū, & nobis auxiliatur, oſtendit.

Ex quibus omnibus eſt manifeſtum, cauſam tanti erroris in ſacrificio crucis negando, non aliam fuiſſe Arianis, quàm prauam ſcripturarum interpretationem, in qua, ſicut à communi & recepta totius orbis Chriſtiani ſenſu receſſerunt: ita erroris manifeſti ex ipſis ſcripturis à nobis conuicti ſunt.

Chriſtꝰ quotidie ſe ſacrificat.

Impugnat deinde Smalcius id, quod diximus, Chriſtum ſub ſpecie panis & vini, ſeipſum quotidie ritu Melchiſedechiano offerre: quòd ille, qua eſt in omnibus rebus aſſerendis inſigni temeritate, cōmentum Pontificiorū nuncupat: cùm nos paulò ante doctrinam eam eſſe Pauli, aſſerentis altare, de quo edatur corpus & ſanguis Chriſti, oſtenderimus: eum verò ritum offerendi panem & vinū, fuiſſe Melchiſedechianum contra Wolkelium fuſiùs probauimus in Refutatione vanæ diſſolutionis nodi Gordij, cap: 14. ex verbis ipſis Gen: 14. 18. *Melchiſedech proferens panem & vinum, (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi,) benedixit ei.* etenim Parentheſis illa, præcedentis non ſequentis ſententiæ rationem reddit: Non prius enim ponitur ratio theſis, quàm ipſa theſis. vimq; facit ſcripturæ Smalcius, cùm ita exponit, ac ſi prius ſcriptum fuiſſet, Benedixit ei; & poſtea ratio reddita, Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi. Si igitur illa ratio, præcedentis ſententiæ ratio eſt, neceſſe eſt Melchiſedechum protuliſſe panem & vinum, ea ratione, vt ad ſacerdotem Dei altiſſimi ſpectabat. Panem autem ſimplicem & profanum proferre non ſpectabat ad ſacerdotium Melchiſedechi; ſed ad regiam illius munificentiam. neceſſe igitur eſt, vt panem & vinum ſanctificatum Deo protulerit: id enim & ad ſacerdotium eius ſpectabat; & panis ac vini ſanctificati prolatione, inetlligitur etiam Abrahamo vt ſacerdos benedixiſſe.

Indignum verò Smalcius arbitratur, quòd verborum Geneſis interpre-

Digitized by Google

interpretationem, omnium Sanctorum Patrum & Eccleſiæ Doctorum auctoritate confirmauerim: quaſi non indignius multò ſit, quòd facit Smalcius, dum ſuam expoſitionem Roberti Stephani hominis hæretici auctoritate confirmat: quaſi non ſatius ſit in exponenda Scriptura Sacra Sanctorum hominum, qui Spiritu Dei pleni erant, ductum ſequi, quàm vel hæreticum auctorem, vel proprij capitis figmenta.

Negat etiam Smalcius, Chriſtum dictum ſacerdotem ſecundũ ordinem Melchiſedech, præcipuè propter ritum ſacrificandi. Id verò nos contra Wolkelium fuſiùs. Nunc vna ratione euinco. etenim ſi eſſe ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, eſt, ſecundùm ſimilitudinẽ Melchiſedech eſſe ſacerdotẽ. vt Paulus exponit Heb:8. 15. Similitudo autem ſacerdotis, etſi in perſona quoq; attendi poſſit: præcipua tamen eſt in ritu & ratione ſacrificij, teſte eodem Paulo Hebr: 5. 1. vbi ait, omnem Pontificem eo fine præcipuè inſtitui, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: conſequens eſt ſimilitudinem ſacerdotij Melchiſedechiam, præcipuè ex ritu & ratione ſacrificij ſpectandã eſſe. Nam etſi Paulus ad Hebræos ſcribens, qui Aaronici ſacerdotij dignitatem plus æquo extollebant, ſolùm dignitatem ſacerdotij Melchiſedechiani vrget, nihil de ritu & ſacrificio Melchiſedechi attingens; ſiquidem id ſolum ad finem & ſcopum Pauli tùm faciebat, graui tamen præ occupatione vſus, admonuit, multa eſſe de Melchiſedecho dicenda, & quidem in interpretabilia: quæ tamen propter eorum, ad quos ſcribebat, imbecillitatem, nolebat attingere: ita vt vel ex eo doceret, ſe non omnem Melchiſedechi ſimilitudinem, quam habet cum Chriſto, perſecuturum. Ineptèque Smalcius argumentatur, cùm ex eo quòd nulla mentio ritus Melchiſedechiani ſit à Paulo facta, concludit in ritu ſacrificij ſimilitudinẽ inter Chriſtum & Melchiſedech nullam interceſſiſſe: eius enim præteritionis, & ſcopus Pauli, & ipſa excuſatio à Paulo præmiſſa, rationem reddunt ſufficientem.

Chriſtus cur ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Vtinam verò Smalcius eam Chriſti perſonæ Dignitatem, quæ illi ex typo Melchiſedechi, Paulo interprete, conuenit, meliùs expendiſſet, aduertiſſet proculdubio, Chriſtum neq; initium dierum, neq; finem habere, hoc eſt ab æterno & in æternum exiſtere: non ratione ſacerdotij, quod licet finẽ non habeat, initiũ tamen dierũ habet, quocunq; tandem modo accipiatur, ſed Diuinæ naturæ reſpectu. Nihil

Votũ Smalcio oblatum.

ctu. Nihil enim præter Deum initium non habet; nihil ab æterno exiſtit: omnia certo aſſignato initio ortum habent: Solus Deus eſt, qui nec initium dierum, nec finem vitæ habet.

Scio Socinum & alios eiuſdem farinæ homines, ea verba ad ſacerdotium Chriſti referre, vt ratione ſacerdotij Chriſtus dicatur nec initium dierum, nec finem vitæ habuiſſe, quòd nec alicui ipſe in ſacerdotio ſucceſſerit, nec alium poſt ſe ſucceſſorem habiturus ſit.

At quã iſta à verbis Pauli abhorreant, non eſt difficile iudicare. Nam ſi nulli in ſacerdotio ſuccedere, ſit neminem ante ſe ſacerdotẽ habere; id Chriſto non conuenit, cùm ante ſe legales ſacerdotes habuerit. Si verò ſit, in aliorum ſacerdotium non ſucceſſiſſe, id quidẽ Chriſto conuenit, ſed conuenit etiam Aaroni & alijs, qui primi illius ordinis & ritus ſacerdotes fuère, neq; tamen propterea initium dierum non habuiſſe dicuntur. Adhæc, ſicut finem vitæ non habere Paulo interprete, eſt ſemper & in æternum viuere, ita initium dierũ non habere, eſt ſemper & ab æterno exiſtere. id enim ipſius anthiteſis ratio poſtulat. Neq; Paulus hæc explicans vllam ſucceſſionis mẽtionem fecit. Ex quo patet illa verba non ad ſacerdotiũ referri, cùm conſtet ſacerdotij initium, Chriſtum habuiſſe: neq; quod nulli ſucceſſerit, rectè dicitur initium dierum non habuiſſe. Poteſt enim quis nulli in ſacerdotio ſuccedere, ſed primus in illo ordine ſacerdos eſſe; neq; tamen propterea initium dierum non habebit. Neceſſe eſt igitur ea verba ad æternam Chriſti, quæ ſine initio eſt, exiſtentiam referri, ita vt ſit æternus & abſq; initio Dei Filius.

Melchiſedecho quidem conuenit, initio dierum & fine vitæ carere; non reuera: fuit enim homo initio & fine vitæ circumſcriptus; ſed quòd hæc propter myſterium de eo nõ recenſeantur in ſcriptura. Producitur enim Melchiſedech, quaſi non de hominibus progenitus, ſed de cœlo lapſus, nulla originis eius aut mortis facta mẽtione. Verùm id non ſine myſterio factum eſt, nimirum, vt ea in re Filio Dei aſſimilaretur, in quo id veriſſimè inuenitur. Re enim vera Filius Dei & initio dierum, & fine vitæ caret Diuinæ naturæ reſpectu. Vnde etiam & in humana natura, ſecundùm quam eſt ſacerdos, in æternum viuere poteſt, & eſſe ſacerdos in æternum. Hoc ſentire de Chriſto typus Melchiſedechi à Paulo expoſitus cogit, qui alia ratione conuenire Chriſto non poteſt, niſi æternus Dei Filius credatur.

Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum verè & propriè eſſe Sacerdotem, non metaphoricè & impropriè, contra impiũ Smalcij dogma demonſtratur. CAP: XIII.

NOn pudet Smalcium expreſsè aſſerere Chriſtum impropriè omnino ac metaphoricè nomine ſacerdotis inſigniri, & ad oblationem impropriè dictam conſtitutum eſſe Pontificem. his enim verbis vtitur folio 129. Etenim ait, nihil propriè Deo nunc offertur, vt olim in legalibus ſacrificijs victimæ offerebantur, ſed id quod Chriſtus nunc in cœlo eſt, & quod noſtra cauſa in cœlo facit, ſacrificium appellatur, quia vt olim ſacrificium, Dei benignitate accedente, populo Dei ad expiationem proderat, ſic nunc quod in cœlis Chriſtus eſt, & ea quæ ibidem facit, nobis proſunt ad remiſſionem peccatorum. hæc Smalcius.

Quod Smalcij dogma, cùm, vnà cum auctore, impium nuncupauerim in Monſtris Arianiſmi: Smalcius tamen cenſura tanta non putat dignum, ita vt quamuis error eſſet, impius tamen non eſſet, cùm nihil impium de Chriſto contineat.

Impietatis in Chriſtum quà ſacerdos eſt Smalcius arguitur. Primò.

At negari non poteſt multis modis impium eſſe, cùm & Chriſtum ſumma Pontificis dignitate & honore priuet, & Deum ſummo, qui ei per ſacrificium debetur, cultu: & Religionem ſuo fructu, nẽpe ſacrificio. Etenim dubium non eſt, ſummam eſſe in Eccleſia Põtificis dignitatem, in his, quæ ſunt ad Deum, populo Dei præſidẽtis. Ea igitur ſi in Chriſto vera non ſit & propria, ſed metaphorica & imprópria: an non conſequens eſt Chriſtum ſumma Pontificis dignitate & honore carere, cùm pro vera metaphoricam tantùm habeat. Nam etſi non deſit Chriſto, alia quoq; dignitas ſumma; tamen quis non videt, ſi ad eam Pontificis quoq; ſumma dignitas accedat, longè maiorem fore Chriſti dignitatem. Adhæc ſummus Dei cultus, ſacrificium eſt, in quo ſumma eius poteſtas in res creatas recognoſcitur, eumq; ſemper ab hominibus Deus requiſiuit, nec fuit vlla gens tam barbara, quæ ſacrificio, eum quem putabat eſſe Deum verum, non coleret. Hoc igitur cultu Deus priuatur, ſi verum ſacrificium & ſacerdotium negetur. Religio etiam ita cum ſacrificio eſt coniũcta, vt ſine eo conſiſtere non poſſit. qualis enim Religio eſt, quæ ſũmum Deo cultum, qui in ſacrificio continetur, denegat? Quod ſi Paulus dixit, tranſlato ſacrificio, neceſſe eſſe, legem quoque, qua Religio & ritus Deum colendi continetur, transferri. Hebr: 7. 12.

meritò

meritò nos quoq; dicere poſſumus: ſublato vero ſacerdotio, neceſſe eſſe legem quoq; auferri. Hoc igitur facit Smalcius, cùm verum ſacerdotium Chriſto negat. Religionem enim tollit, cùm præcipuam eius partem, quæ ſacrificium eſt, tollit. quod cùm ita ſit, ait non meritiſſimo iure, impius cenſeri debet, qui & Chriſto & Deo & Religioni iniurius eſt.

Hæc igitur prima ſit Smalciani dogmatis confutatio, quòd proprium & verum ſacerdotium Chriſto negari abſq; impietatis flagitio non poſſit, hoc eſt abſq; ſumma Chriſti, Dei & Religionis iniuria.

Secundò. Altera ſumitur ex ijs ſcripturæ locis, quibus oſtenſum eſt, Chriſtum verum & proprium ſacrificium in cruce obtuliſſe: ex eo enim conſequitur, eum qui verum & propriè dictum ſacrificiũ offert, verè quoq; & propriè ſacerdotẽ eſſe: cùm ſacerdos reſpectu ſacrificij dicatur; & ad dona ſacrificiaque offerenda pro peccatis conſtituatur. Hebr 5.

Tertiò multifariam. Tertia ducitur ex D. Pauli authoritate, qui in Epiſtola ad Hebræos ex inſtituto probat, Chriſtum eſſe verè & propriè ſacerdotẽ. Nam in Cap: 5. definitionem veri Pontificis producit, eamq; mox Chriſto applicat. *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* hic deſcribi verum & propriè dictum Pontificem non eſt dubium, vt pote, qui electione ad dignitatem Pontificiam opus habeat, qui vt Põtifex præſit hominibus in ijs, quæ ſunt ad Deum, qui offerat dona & ſacrificia vera pro peccatis. Porrò hanc definitionem veri Pontificis Chriſto mox applicat. is enim verè & propriè electus ex hominibus eſt à Deo ad Pontificiam dignitatem ℣. 5. & conſtitutus eſt ſuper populum Dei, vt eum regat in his quæ ſunt ad Deum, iuxta illud Pſalmi 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius prædicans præceptum eius.* deniq; conſtitutus eſt Pontifex ad ſeipſum in victimam & ſacrificium per mortem ſemel offerendum, ipſamque victimam in cruce immolatam in cœlum inferendam ad perpetuam expiationem hominum à peccatis, vt ex typo legalis Pontificis in cap: 9. probat Apoſtolus, iuxta ea, quæ paulò ante à nobis explicata ſunt. Cùm igitur omnes partes veri & proprij dicti Pontificis Chriſto conueniant, conſequens eſt, Chriſtum verum & proprium ſacerdotem eſſe: quippe qui & verè electus fuerit ad Pontificiã dignitatem, & ſecundùm eam verè præſit populo Dei, & verum

pro

Digitized by Google

pro peccatis ſacrificium obtulerit; mortem enim Chriſti veriſſimum fuiſſe ſacrificium ſatis abundè demonſtrauimus.

Adhæc cùm Paulus cap: 8. 3. ſic argumentatur: *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias* (veras proculdubio) *conſtituitur, vnde neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat*; ea argumentatio nullius eſſet momenti, ſi Chriſtus non eſſet verè ſacerdos. Reſponderi enim & meritò poſſet: verum Pontificem neceſſe eſſe, habere quod verè offerat; at qui non eſt verè Pontifex, is non eſt neceſſe, vt habeat, quod verè offerat: non enim quæcunq; veræ rei conueniunt, ea neceſſe eſt ſimilitudini rei illius conuenire. Si enim verus homo, ſit animal rationale, non eſt neceſſe picturam hominis eſſe animal rationale. Loqui autem Paulum de vera oblatione hoſtiarum, patet. Nam & verum Pontificem hîc & in cap: 5. definit, & ea quæ vero Pontifici conueniunt, Chriſto quoq; abſolutè conuenire affirmat. Nam quod Smalcius ait, in eo Chriſtum cum Pontifice legali comparari, quòd vterq; habeat, quod offerat, non verò in modo proprio offerendi; id inquam ex dictis refellitur. nam cùm oſtenſum ſit, de vera oblatione Paulum loqui, veramq; oblationem, quæ ad rationem Pontificis requiritur, Chriſto applicare, conſequens eſt, Paulum velle, Chriſtum verè & non metaphoricè offerre, quia vult ita offerre, ſicut omnis Pontifex offert. quod etiam Logicè ſic demonſtro.

Ea oblatio infertur in concluſione, quæ aſſumebatur in præmiſſis: id enim poſtulant leges bonæ argumentationis; alioqui conſecutio eſſet nulla, & argumentum quatuor terminis conſtaret. Cùm igitur Paulus in præmiſſis de vera & propria oblatione fuerit locut⁹, (in definitione enim Pontificis vera oblatio continetur) ſequitur in ipſa etiam concluſione veram Chriſti oblationem intuliſſe, niſi ineptè argumentatus eſſe cenſendus ſit.

Accedit quòd Paulus ex Dauidis teſtimonio Chriſtum nō quomodocunq; ſacerdotem, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech toties appellat. & quidem iureiurando, Heb:7. 21. At qui eſt ſacerdos ſecundùm ordinem alicuius veri ſacerdotis, eſt verus ſacerdos, non improprius nec metaphoricus; ordo enim & ritus ſacerdotij verum, & proprium ſacerdotem facit. Sic Aaronici ſacerdotes, veri erant ſacerdotes, quia ſecundùm ordinem Aaron, qui verus ſacerdos erat, erant Sacerdotes. Sic fideles omnes, qui dicimur ſacerdotes, ſpirituales hoſtias offerentes, nulli certo ordini ſacerdotij adſcribuntur, ex

Mm eo ſolùm,

Digitized by Google

eo ſolùm, quòd non ſint veri & proprij ſacerdotes; & cum omnibus ordinibus metaphoricam ſimilitudinem habere poſſunt. Quare ſi dicat Smalcius, Chriſtum eſſe quidem ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſed non verè ac propriè; ea reſponſione efficiet, Chriſtum non magis ſecundùm ordinem Melchiſedech, quàm ſecundùm ordinem Aaron dici debere ſacerdotem. Nam etiam cum Aarone metaphoricam in ſacerdotio ſimilitudinem habuit, maximè cùm & typum Pontificis legalis Paulus applicet Chriſto, Hebr: 9. Neceſſe igitur eſt affirmare Chriſtum cum Melchiſedecho in vera & propria ſacerdotij ſimilitudine conuenire: vt idcirco dictus ſit ſecundùm ordinem Melchiſedech ſacerdos: quod non metaphoricè, ſed verè & propriè in omnibus ad ſacerdotium Melchiſedechi pertinentibus, cum ipſo conueniat: Metaphorica enim ſimilitudo imperfecta eſt, & in multis deficit à re vera. quæ verò ſimilitudo eſt omnimodè perfecta, iam non metaphorica ſed vera ſimilitudo cenſeri debet. Vera autem ſimilitudo cum vero ſacerdote eſſe nō poteſt, niſi ſit ſimilitudo in veritate ſacerdotij, ſine qua nullæ aliæ ſimilitudines verę ſunt; extra enim verū ſacerdotiū, non ſunt veræ ſacerdotij ſimilitudines.

Accedit quod Paulus in epiſt: ad Hebr: ex inſtituto probat Chriſtum in ratione ſacerdotij eſſe longè præſtantiorem ſacerdotibus legalibus, à cap: 7. ad 10. Atqui Metaphoricus ſacerdos in ratione ſacerdotij non eſt perfectior vero ſacerdote, cùm minus habeat ex ſacerdotio, quàm verus. ergo Chriſtus ſecundùm Paulum, verus, non metaphoricus eſt ſacerdos. Reſpondet Smalcius, poſſe rem figuratè dictam eſſe perfectiorem re vera, ſi circa perfectiora verſetur: Nam Deus dicitur redemptor noſter impropriè & metaphoricè, & tamen lōgè perfectior eſt omnibus redemptoribus perfectiſſimè appellatis. At hoc nimis acutum & minimè verum. Quis enim neſciat, poſſe rē figuratam & metaphoricam aliunde habere maiorem perfectionem, ſed non vt tali nomine ſignificatur. Nam ex eo, quod metaphoricè aliquo nomine ſignificatur, vera illius rei perfectione caret: ac proinde ex ea parte non poteſt dici perfectior. Sic Deus dicitur nos perfectiſſimè redimere. quia in redemptione liberatio continetur, quæ verè & perfectiſſimè Deo conuenit. non autem propter ſimilitudinem emptionis: quæ Deo non verè ſed metaphoricè & impropriè conuenit. Porrò Chriſtus in ipſa ratione ſacerdotij dicitur perfectior, quòd ratio ſacerdotij in ipſo ſit longè perfectior ac excellentior, quàm in

vllo alio

Digitized by Google

vllo alio ſacerdote: neceſſe eſt igitur verè & propriè rationem ſacerdotij in ipſo eſſe, ſecundùm quam veris ſacerdotibus perfectior eſſe poſſit. Metaphoricum enim verò imperfectius eſſe neceſſe eſt, per ſe & formaliter loquendo.

Ex quo detegitur error Smalcij, Chriſtum verum & proprium ſacerdotem dici poſſe, aſſerentis; licet improprijs & figuratis vocibus ſignificetur. Si enim vox ſacerdotis, vt Chriſto tribuitur, ſit impropria & metaphorica, nullo modo in Chriſto propriam & veram ſacerdotij rationem ſignificare poterit. implicat enim contradictionem, metaphoram, habere propriam & veram ſignificationem. hoc ipſo enim non eſſet Metaphora, ſi veram & propriam rem ſignificaret. Non repugnat autem Metaphoræ, ſupponere rem aliquam verã & propriam in qua fundatur: impropriam enim ſignificationem, rei alicui veræ tribui, neceſſe eſt. Sicut riſus veræ illi viriditati prati tribuitur, ratione cuius prata dicuntur ridere: verùm illa viriditas, non vt voce riſus ſignificatur, eſt vera & propria, ſed vt ſignificatur voce viriditatis: ita vt vniuerſè verum ſit, nullam rem dici verè & propriè talem, quatenus voce metaphorica & impropria ſignificatur. Quocirca ſi vox ſacerdotis ſit metaphorica, vt Chriſto tribuitur, nullo modo poteſt, in eo veram & propriam ſacerdotij rationem ſignificare. licet enim illa poteſtas, ratione cuius illa vox metaphorica illi tribuitur, ſit vera & propria poteſtas: non tamen eſt verè & propriè ſacerdotium, ſi ſacerdotium metaphoricè dicatur illi conuenire. Nam quod adducit pro ſuo errore Smalcius, Chriſtum etſi per vocem impropriam Redemptoris ſignificetur, eſſe propriè ſeruatorem: id errorem ipſius euertit, non confirmat. Ex hoc enim ſequitur Chriſtum eſſe verè & propriè ſeruatorem, & metaphoricè redemptorem. quia vox ſeruatoris eſt propria, Redemptoris metaphorica. neq; ceſſat eſſe propriè ſeruator, ex eo quòd impropria Redemptoris voce deſcribitur, ſed non poteſt dici propriè, id eſt non metaphoricè Redemptor, quatenus impropria voce Redemptoris ſignificatur. Quanquam in alio ſenſu propriè Redemptor dici poteſt, nempe quoad effectum liberationis, quem in nobis efficit, ac ſi propriè nos redimeret.

Audacia Smalcij cõpeſcitur circa Chriſti ſacerdotiũ.

Prima.

Verùm videamus, quibus tandem rationibus Smalcius tam audax ſuum figmentum de Chriſti improprio ſacerdotio cõfirmat. Ponit primo loco futilem coniecturam. quia inquit, in ſola Epiſtola ad He-

ad Hebræos Chriſti ſacerdotij & ſacrificij mentiò ſit; hinc apparere: iſtà omnia impropriè & figuratè eſſe accipienda. Nam ſi propriè accipienda eſſent, iiſdem verbis & non alijs, idem Chriſti munus reliqui deſcripſiſſent Apoſtoli. At nimis eſt leuis coniectura. Etenim quis non videt eandem rem, ſecundùm diuerſas rationes proprijs verbis poſſe à diuerſis deſcribi. neq; neceſſe eſt, ſi non eodem verbo deſcribatur, impropriè deſcribi. exemplo plano rem doceo. Chriſtus verus ſeruator noſter à diuerſis diuerſè deſcribitur: propriè tamen. Nam dicitur, nunc mediator Dei & hominum, nunc aduocatus noſter apud Patrem, nunc propitiatio pro peccatis noſtris, nunc ſaluator mundi, quæ omnia propriè munus idem, ſub alia & alia ratione ſignificant. Similiter ergo, ſi alij ſcriptores Diuini alijs vocibus proprijs munus idem Chriſti expoſuerunt, non ſequitur Paulũ improprijs vocibus expoſuiſſe. Idem enim ſecundùm diuerſas rationes, diuerſis proprijs verbis exponi poteſt alio atq; alio modo. Deinde ſi idem ſcriptores ſub ratione Pontificis Chriſtum conſideraſſent, vel de eo locuti fuiſſent, non alijs verbis proculdubio vſi fuiſſent, quàm ijs quibus vtitur Paulus.

Secunda. At enim inquit, quis non intelligit, Chriſto ea, quæ ſacerdos legalis olim faciebat, propriè competere non poſſe. eſt igitur idcirco impropriè ſacerdos. At quàm inepta eſt conſecutio. quaſi qui nõ ſit propriè ſacerdos legalis, non poſſit dici propriè ſacerdos. ſi ita eſt, nec Melchiſedech, nec alij ante legem ſacerdotes fuiſſent propriè ſacerdotes. quia non erant propriè ſacerdotes legales. ſi enim præter ſacerdotium legale datur aliud proprium ſacerdotium, falſa eſt conſecutio Smalcij: ſi non datur, falſum erit ante legem fuiſſe verè ſacerdotes.

Tertia. At inquit, ſacerdotium Chriſti deſcribitur à Paulo phraſi, interpellandi, pro nobis. Porrò actio interpellandi pro nobis & peccata expiandi, non poteſt dici propriè, ſed metaphoricè ſacrificium, eo ſenſu. quòd ſicut ſacrificia ad peccatorum expiationem proderãt: ita & interpellatio Chriſti ad peccatorum expiationẽ nobis prodeſt. Deinde addit. ne interpellationẽ quidem propriè ſed figuratè Chriſto conuenire. is enim propriè interpellat & orat, qui poteſtatem illud præſtandi non habet. Figuratè verò dicitur Chriſtus interpellare, quia eam poteſtatem, quam habet ad nos ſaluandos, indicat ſe à Patre habere.

Verùm

Digitized by Google

Verùm negandum eſt, actione interpellandi apud Patrem, totum ſacerdotale munus Paulum comprehendiſſe; ſed ſolùm docere, Chriſtum peracto in terris ſacrificio, & purgatione peccatorum facta per ſanguinem ſuum, & redemptione inuenta, cœlum petijſſe, vt ibi aſtet vultui Dei pro nobis, ſeipſum tanquam verum ſacrificiū pro nobis ſemel oblatum perpetuo repræſentaturus, interpellando etiam pro nobis, & cauſam noſtram agendo, vt redemptionis per ſacrificium in cruce peractæ efficiamur participes. Id quod ex ſimilitudine legalis Pontificis, & ex alijs locis Pauli ſupra demonſtrauimus. Hoc igitur modo interpellare pro nobis conuenit Chriſto, vt vero & proprio ſacerdoti. Nam ſicut Pontifex legalis immolatum ante ſacrificium inferens in Sancta Sanctorum, offerrebat illud Deo, ad expiationem peccatorum: ita Chriſtus ſuummet ſacrificium in cruce peractum cœlo inferens, offert illud, vt verus ſacerdos, Deo. ad eundem enim ſacerdotem pertinet immolare victimam & immolatam offerre, ita vt vterq; actus ſit proprius ſacerdotij. Smalcius verò cum ſuis Rakouienſibus, quia negat Chriſtum in terra verè ſeipſum ſacrificaſſe, conſequenter negare cogitur illam interpellationem Chriſti pro nobis eſſe verè & propriè ſacrificium, ſed impropriè & metaphoricè, quomodo preces & actus virtutum dicuntur ſpiritualia ſacrificia.

Quanquam Smalcius turpiùs adhuc labitur, cùm ne interceſſionem quidem, quam tanta aſſeueratione ſcripturæ affirmant, Chriſto in vera ſua & propria ſignificatione concedit. Propria enim huius vocis ſignificatio eſt, poſtulatio & deprecatio pro aliquo: in ea enim ſignificatione paſſim ea vox in ſcriptura vſurpatur. Hoc verò Smalcius indignum Chriſti Regnātis Maieſtate arbitratur, ſi aliquid à Deo poſtulet, cùm ipſe omnia per ſeipſum poſſit. At Chriſtum propriè pro nobis interpellare, non ſolùm Paulus docet, ſed & aliæ ſcripturæ loquuntur. Et enim cùm id Paulus ex typo Pontificis legalis, quem in tota hac Epiſtola vrget, aſſerat: eo modo aſſeruit Chriſtum in cœlis pro nobis interpellare; quomodo legalis Pontifex ingreſſus in Sancta Sanctorū interpellabat pro populo. At qui Pontifex legalis inferēdo ſanguinē ſacrificij in Sācta Sāctorū, offerebat eū Deo ad expianda peccata populi, & hoc modo interpellabat pro populo. ergo & Chriſtus inferens ſanguinē ſuū, & ſacrificiū in Sanctuariū cœleſte, offert illud Deo Patri pro nobis, & ſic pro nobis interpellat, ſiue id

Quarta & quidem turpior.

ue id voce externa faciat, ſiue actione mentis interna. Deinde S. Ioan: in prima ſua epiſt: cap: 2. 1. de eadem interpellatione ſic loquitur: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Interpellat ergo Chriſtus, vt aduocatus, cauſam noſtram apud Patrem agens, & omnia bona nobis impetrans. Interpellat propitiando Patrem, id eſt propitium nobis reddendo. Vera ergo intercedit actio, qua Chriſtus pro nobis interpellat. Deniq; Chriſtus ipſe diſertè Apoſtolis promiſit, ſe in cœlis rogaturum Patrem, vt Spiritum S. illis mittat. Ioan: 14. 16. *& ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Non eſt autem dubium, Chriſtum de tempore, quo futurus erat apud Patrē, loqui: tum quia iam iam abibat ad mortē, mundū hunc relicturus: tùm quia dixit expreſsè, *Vado ad Patrem*; cuius reſpectu duo promittit diſcipulis: alterum eſt: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*: alterum: *& ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* vtrumq; igitur beneficium promittit conſecuturos diſcipulos ex ſuo diſceſſu ad Patrem: eoque nomine iubet eos bono animo eſſe, & ſuum diſceſſum, qui tam vtilis eſſet illis futurus, æquo animo ferre. Iam quod Ioan: 16. 27. dicit: *In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos*; id non abſolutè accipiendum eſt, quòd nō ſit rogaturus Patrem, hoc enim paulò ante affirmauit: ſed eſt modus quidam loquendi, non dico, me rogaturum; quamuis enim reuera ſum rogaturus, tamen hoc non dico, non commemoro. Solùm verò id dico, tantam futuram beneuolentiam & amorem Patris in vos, ex eo quia me amaſtis, vt omnia ſitis abundè impetraturi.

Quæ cùm ita ſint, manifeſti erroris conuincitur Smalcius, cùm veram interceſſionem pro nobis, Chriſto in cœlis regnanti contra ſcripturas negat, ſeu cùm negat interceſſionem, veram Chriſti pro nobis poſtulationem apud Patrem deſignare. Neq; verò poſtulatio illa Regiam Chriſti poteſtatem maieſtatemq; dedecet. Cùm enim Ariani Chriſtum infra Patrem regnantem conſtituant, & Patri ſemper eſſe ſubiectum: ſicut ei non repugnat eſſe dignitate & poteſtate ſubiectum Patri, ita nec poſtulationem deferre Patri. *Caput enim Chriſti Deus* etiam nunc eſt, cùm in cœlis regnat, vt Paulus ait, 1. Cor: 11. 3. Nos Catholici ſecūdùm veram de Chriſto ſententiam dicimus, Chriſtum ſecundùm Diuinam naturam, qua eſt æqualis Patri, non interpellare pro nobis, ſed facere omnia cum Patre, vna virtute, vna operatione:

Digitized by Google

ratione: ſecundùm verò naturam humanam, qua minor eſt Patre, interpellare pro nobis, & Patrem rogare pro nobis. vtrumq; videtur indicaſſe Chriſtus, Ioan. 14. Nam cùm ait ỳ. 13. *quodcunq; Patrem petieritis in nomine meo, hoc faciam*, indicat ſe vnà cũ Patre facturum omnia, communi vtriuſq; virtute & poteſtate. Cùm verò ỳ. 16. ait: *ego rogabo Patrem*, indicat alteram naturam, qua eſt ſubiectus Patri, & ſecundùm quam Patrem eſt rogaturus.

Bene autem notant Doctores, dedecere quidem ſtatum illum Chriſti regnantis in cœlo, illum abiectum rogandi modum, quo in terris vtebatur, abijciendo ſe in terram, procidendo in faciem, poſitis genibus orando: non verò dedecere rogare aliquid à Patre, eo modo quo Dominis quoq; orare conuenit. Et quamuis ea omnia habeat in ſua poteſtate Filius: tamen vult ea quoq; eſſe ex gratia Patris, vt & Pater glorificetur in Filio, & Filius in Patre: & nec Filius glorificetur ſine Patre, nec Pater ſine Filio. Pater enim glorificatur in Filio, cùm quæcunq; Pater facit, Filius ſimiliter facit, & quæ à Patre petuntur, à Filio præſtantur communi virtute & poteſtate. Filius verò glorificatur in Patre, cùm quæcunq; poſtulat Filius, præſtat Pater. quam rationem videtur indicaſſe Chriſtus ipſe loco citato. Ioan: 14. 13.

Cùm porrò Smalcius ait, Chriſtum poteſtate ſua ita omnia poſſe, vt Pater neminem iudicet, dupliciter errat. primùm quia poteſtatem iudicandi non ſolùm ad iudicandum in die iudicij, ſed ad omnia, quæ Chriſtus facere poteſt, extendit; cùm neq; vocis ſignificatio id patiatur (longè enim aliud eſt iudicare, quàm alia omnia facere) neq; vlla loci illius, de data omni poteſtate iudicandi, circumſtantia talem expoſitionem requirat. Iudicium etiam Chriſti ſcriptura oſtendit in illo extremo die futurum: cæterarum verò rerũ à Chriſto effectionem ad illud tempus non determinat, ita vt neceſſe ſit aliam eſſe poteſtatem iudicandi, aliam res cæteras efficiendi. Alter error eſt, quem indicat Smalcius; Patrem videlicet, ita dediſſe omne iudicium Filio, vt ſeipſum à iudicio excluſerit: licet enim humana illa & viſibili ratione non ſit iudicaturus mundum, ſed Filio tale iudicium commiſerit; tamen vnà cum Filio, Diuina & inuiſibili virtute, Patrem quoq; iudicaturum, nemini dubium eſſe poteſt, qui Chriſto dicenti ibidem credat, non poſſe à ſe facere quidquam Filium, niſi quod viderit Patrem facientem. Vt igitur Diuina Quinta

illa po-

illa p... ...ilius, debet videre Patrem ſecum
idem t...

Atq ... ...otio eiuſdem; ſacrificio à nobis di-
ſputata, m... ... Smalcium cū ſuis Rakouienſibus ſum-
ma temerit... ...ri impietate, contra ſcripturas & omnium
ſeculorum fid... ...verū ſacrificium & ſacerdotium denegare:
neq; aliud fund... ...a tantæ blaſphemiæ habere, niſi ſcripturas
aliquas praue int... ..., & præiudicatum de Chriſti Diuinitate er-
rorem. Iam ad Re... ...n Chriſti veniamus.

De Regia Chriſti poteſtate errores Arianorum refelluntur.

CAPVT XIV.

Differentia Domini & Regis explicatur.

SVpponendū in hac diſputatione eſt, Regis & Domini nomina nō eſſe omnino eadem: etſi enim Regem, eſſe quoq; Dominū oporteat, tamen non eodem reſpectu Rex & Dominus nuncupatur. Nam Dominus ratione poteſtatis, quam in ſubditos habet, dicitur; Rex verò à regēdi munere & officio denominatur: eſſeq; multos cōſtat, qui propter poteſtatem in ſubditos, Domini dicuntur: quia tamen regendi munere carent, & Reges appellari non poſſunt. Porrò Regis munera ſunt, ſubditos ab hoſtibus tueri, eoſdemq; legibus in pace mutua & officio continere, boniſq; omnibus affluentes facere. His enim modis beatè ac feliciter in Republica viuitur: qui eſt Regiæ gubernationis finis, eoq; obtento omnis regiæ gubernationis neceſſitas ceſſat. Porrò in Rege duo conſiderari poſſunt; inprimis Regia dignitas, qua ſuper omnes eſt: ad quam conſequitur maieſtas & gloria, veluti ſplendor quidam Regiæ dignitatis. deinde poteſtas & officium regendi, de quo diximus. Hinc igitur perſpicuum eſt, Chriſtū & Regem verè eſſe, & Regem omnium maximum, Regem regum. & Dominum dominantium. Apoc: 19. 17. Non inquam Regem de hoc mundo, ſed cœleſtem prorſus ac Diuinum, vt ipſe teſtatus eſt apud Pilatum deſe. Ioan: 18. 38. Reges enim de hoc mundo, ſunt Reges regni temporalis, ſuoſq; ſubditos ab hoſtibus temporalibus tuentur: leges ad bona temporalia ſpectantes condunt, boniſq; temporalibus ſuos ſubditos adaugent: deniq; pro fine temporalem felicitatem Reipublicæ habent. Chriſtus verò eiuſmodi Rex eſt, qui nos ab hoſtibus ſpiritualibus tuetur, & legibus ſpiritualibus ad ſalutem ſpectantibus gubernat, bonis ſpiritualibus gratiæ Diuinæ auget, deniq; ad felicitatem

Chriſtus rex.

Digitized by Google

felicitatem & beatitudinem æternam perducit, quodq; nullus Regum temporalium efficere poteſt, vt perfectam ſuis ſubditis felicitatem temporalem conferat, hoc eſt, ab omnibus malis immunem, & bonis omnibus temporalibus affluentē; id Rex iſte longè maximus efficit, cùm ſubditis ſuis æternam felicitatem largitur.

Chriſtꝰ Rex ante reſurrectionem oſtēditur.

Verùm negant Ariani, Chriſtum ante reſurrectionem, Regem perfectè fuiſſe, ſed vel deſignatione tantùm non re ipſa, vel imperfecta duntaxat ratione. At negari non poteſt, Chriſtum re ipſa Regem non deſignatione tantùm, ante reſurrectionē fuiſſe. Natus eſt enim Rex Iudæorum, Matth: 2. 2. vbi etiam id Micheæ Prophetæ vaticinio comprobatur: *Ex te,* (Bethleem) *exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.* & Matth: 21. 5. *dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam & pullum.* Non igitur poſt reſurrectionem primùm eſſe Rex cœpit, ſed cùm natus eſt in Bethleem, cùm venit manſuetus & humilis. Dicere verò deſignatione, non re ipſa tunc Regem fuiſſe, eſt temerè & ſine vllo fundamento ſcripturas à proprio ſenſu ad improprium transferre. Deinde Magi ita Chriſtum Regem natū confeſſi ſunt, vt eum cum muneribus adoraturi veniſſe ſe teſtarentur. Neq; enim tanquam Regem adorare poterant, qui re ipſa Rex non eſſet. neq; vt Regem temporalem, ſed vt cœleſtem & Diuinum adorarent. Adhæc ſi is, qui actu regit, re ipſa Rex eſt, quis dubitet Chriſtum ante reſurrectionem re ipſa fuiſſe Regem, cùm in rebus ad ſalutem ſpectantibus rexerit populum Dei, iuxta illud Pſal: 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Sicut igitur antè reſurrectionem prædicauit, ita ante reſurrectionem fuit re ipſa Rex conſtitutus. Quocirca & Pilato quærenti à Chriſto, an eſſet Rex Iudæorum, reſpondit Chriſtus ſe eſſe reuera Regem, ſed non de hoc mundo: id quod ex ratione adiuncta manifeſtum eſt. *Si enim ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarent, ne traderer Iudæis*: habere autem miniſtros pro ſuo honore regio decertantes, ei, qui Rex eſt re ipſa, conuenit. Concedit ergo Chriſtus ſe eſſe re ipſa Regem, ſed non de hoc mundo. Quapropter & in titulo cruci affixo hic Regis titulus eſt poſitus, tanquam condemnationis ad mortem cauſa. Huc ſpectat, quòd gloriam Regni ſui re ipſa demonſtrauit Apoſtolis in transfiguratione, de qua Matth: 16. 28. dictum eſt: *ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.* Deniq; Rex vnctus, re ipſa Rex

 dici debet.

dici debet. Atqui ante reſurrectionem fuit Chriſtus, id eſt vnctus ad regimē ſpirituale, vt ipſemet Luc: 4.18. probat ex vaticinio Iſaiæ. Fuit ergo re ipſa, non ſolùm deſignatione ante reſurrectionem Rex.

In Chriſto regia poteſtas ante reſurrectionē agnoſcitur.

Sed aiunt Ariani, etiamſi re ipſa Chriſtus ante reſurrectionem, Rex fuiſſe concedatur, non illico ſequi Regiam poteſtatem perfectam habuiſſe. ſiquidem nec in omnes homines, nec in Angelos ac Dæmones poteſtatem habuit. At hic error de imperfecta Chriſti poteſtate ſatis ſupra confutatus eſt; omnem enim poteſtatem ſcriptura Chriſto ante reſurrectionē cōcedit, & tantam, quantam Patri: ita vt idcirco Chriſtum æqualem Deo nominet, quod certè dici nō poſſet, ſi Chriſtus poteſtate Deo inæqualis eſſet. Probare tamen errorem ſuum conantur, tum ex eo quòd ante reſurrectionem Chriſtus non omnes Regij muneris partes exercuerit: tum quòd poſt reſurrectionē dicatur obtinuiſſe regnum. Verùm neutra probatio quidquam momenti habet: cùm aliud ſit Regia poteſtas, aliud actus regnandi: nec inferre licet, eum qui Regia poteſtate ex aliqua cauſa non vtitur, Regia poteſtate carere. vt ſupra demonſtratum eſt. Cùm verò dicitur Rom: 14. 9. *In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.* item Daniel: 7. *Filio hominis, poſtquam ad antiquum dierum peruenit, datum eſſe Regnum.* ea loca de actu dominandi & regnādi in cœlo & in terra ſunt accipienda: cùm de poteſtate Chriſti Regia ante reſurrectionem habita ſecundùm ſcripturas dubium eſſe nō poſſit, vti ſupra, cùm de Chriſti Dominio poſt reſurrectionē obtēto ageremus, explicatū eſt. recteq; dici poteſt, datū Chriſto regnū poſt reſurrectionē; quia poſt reſurrectionē in cœlo & in terra regnare cœpit re ipſa: cùm ante Rex eſſet ſolùm poteſtate. Dici etiā poteſt, poſt reſurrectionem datam eſſe Chriſto Regiam poteſtatem, non quidem abſolutè quaſi ante illam non habuerit, ſed nouo titulo datam, ita vt propter paſſionem & mortem nouo quaſi titulo & iure conſecutus ſit, vt omnium hominum & Angelorū Rex eſſet. quod cùm ante ſatis explicatum ſit, hic repetere non eſt opus.

Chriſti regnum cæleſte & terreſtre ſecernitur.

Alter error Smalcij eſt, cùm negat rectè diſtingui Chriſti Regnum in cœleſte & terrenum inepto ſatis argumento. ſic enim ait: Chriſtus nunc ſimul regnat in cœlo & in terra, quatenus & Angelis in cœlo & hominibus in terra imperat. ergo vnum & idem eſt Regnū in cœlo & in terra Quis verò ineptum hoc argumentum eſſe nō aduertat

uertat. Nam vt ineptè quis inferret: Cùm Sigiſmundus Tertius ſit ſimul Poloniæ & Sueciæ Rex, Regnum Poloniæ & Sueciæ eſſe vnum Regnum: ita ineptè Smalcius infert. ſi Chriſtus ſimul cœlo & terræ imperat, cœlum & terram eſſe vnum Regnum. Vnus enim Rex, multorum regnorum Rex eſſe ſimul poteſt, maximè ſi illa regna diuerſis modis & legibus gubernari debeant: ita verò hic accidit: aliæ enim ſunt leges regni terreni, id eſt fidelium exiſtentium in terra: aliæ regni illius cœleſtis, quod eſt regnum beatorum. fideles reguntur per fidem, pœnitentiam, & alia bona opera ad ſalutem conſequendam: Beati, tales leges non habent, ſed videndo Deum ſumma felicitate fruuntur. Et ſanè cùm Chriſtus ait, venturos Angelos, vt tollant de regno Chriſti ſcandala, proculdubio non regnum illud cœleſte intelligit, in quo ſcandala, quæ tolli debeant, eſſe non poſſunt, ſed regnum ſuum Eccleſiam in terris nominat, quæ idcirco eſt diſtinctum regnum ab illo cœleſti: quia locis, legibus, & perſonis eſt diſtinctũ. Latro etiam cùm dixit: *Memento mei dum veneris in regnum tuum*: de alio quodam regno, in quod nondum venerat Chriſtus, loquitur, ab eo diſtincto, in quo tunc Rex erat & Dominus populi ſui.

Tertius error Smalcij eſt, cùm ait: nullibi de regno Chriſti poſt mundi finem futuro, legi. At quid hoc aliud eſt, quàm in media luce cæcutire? anne (vt cætera taceam) Angelus de regno Chriſti loquẽs, Luc: 1. non aſſeruit disertè regnum eius æternum futurum, & ita æternum, vt eius finis non ſit futurus. *Regnabit*, inquit, *in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Vt enim rectè notat Auguſtinus, ſæpè in ſcriptura dici æterna, quæ longo admodum tempore durant, licet principium & finem durationis habeant: ne igitur tale quid de regno Chriſti putaremus, non ſolùm dicitur regnum Chriſti æternũ, ſed etiam non habiturum finem, vt eo modo intelligatur eſſe æternũ, quo ea, quæ finem non habent, dicuntur æterna. Neq; verò pugnat id cum Apoſtolo, qui dicit in fine mundi Chriſtũ traditurum regnũ Deo & Patri: non enim tradet regnum Deo & Patri, ſeipſum poteſtate & iure regni ſpoliando, ſed Deo & Patri illud ſubijciendo, *vt Deus ſit omnia in omnibus*, ſeu primum omnium rerum principium, & vltimus omnium finis eſſe intelligatur; quod etiam mox explicatur ℣. 28. *Cùm autem fuerint illi ſubiecta omnia, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia.* neq; verò cùm dicitur ℣. 25. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius*, inferri debet, poſtea non regnaturum.

Chriſti regnum æternum aſtruitur.

 turũm.

tam: non enim habet eam vim neceſſariò particula (*donec*) alioqui cùm dicitur in Pſalmo 109: 1: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; liceret inferre, nõn ſeſſurum poſtea Chriſtum à dextris Dei. Quanquam non nego poſſe eam traditionem Regni exponi ita, vt ceſſare, quadam dũtaxat ratione, regnare Chriſtus intelligatur. Poſtquam enim homines ad illam felicitatem æternam perduxerit, ceſſabit omnis ea cura, quæ nunc eſt, dirigendi homines ad ſalutem; ac proinde ceſſabit is regnandi modus, quo modo homines diriguntur ad ſalutem: non ceſſabit autem alia ratione regnare Chriſtus, fruendo regno ſuis laboribus acquiſito, illud in ſua felicitate conſeruando, ex eoq; perpetuam gloriam & honorem percipiendo. Sicut ſi Rex perfecta pace regno acquiſita à labore gubernandi ſuperſederet, qui tùm neceſſarius non eſſet, regnare tamen diceretur, regno à ſe acquiſito fruendo, illudq; in eodem ſtatu cõſeruando. Fateor tamen priorem modum & ſimpliciorem eſſe, & verbis Pauli magis conſentaneum, licet poſterior Smalcio magis placeat.

Chriſtus memor ſuorum ſemper.

Non poſſum autem diſſimulare hoc loco audax dictum Smalcij, quod quintus error cenſeri poteſt, cùm ait ante finem mundi nullius memorem Chriſtum futurum, ſed tunc ſolùm memorem futurum, cùm venerit ad iudicandum. Numquid enim poſt finem mundi, obliuiſcetur Sanctorum ſuorum Chriſtus, quos in æternum beabit? quod ſi non obliuiſcetur, proculdubio memor erit: cùm verò memoriam hanc ad diem tantùm iudicij alligat, expreſſè Chriſto contradicit, qui Latroni in cruce petenti; *Memento mei dum veneris in regnum tuum*, Reſpondit non pro die iudicij ſe futurum memorem, ſed *hodie mecum eris in Paradiſo*: neq; Latro ſecundùm matheologiam Smalcij poſtulauit, vt in die extremo iudicij memor eius eſſet, ſed tunc cùm venerit in regnũ ſuum, quod illico factũ eſt, die iudicij nõ expectato.

Chriſtus duplici titulo rex declaratur.

Sextus error Smalcij eſt, cùm negat Chriſtum duplici titulo regni ſui poſſeſſionem adijſſe. At conuinci erroris Smalcius poteſt, vel hoc vnico argumento. Etenim ſi Chriſtus duplici titulo fuit Rex, duplici quoq; titulo poſſeſſionem regni ſui adijt. Fuit autem Rex non ſolùm poſt reſurrectionem titulo paſſionis & mortis, quod affirmat Smalcius; *propter paſſionem enim & mortem gloria & honore coronatus eſt*, Hebr: 2. 9. ſed etiam ante reſurrectionem, *conſtitutus fuit à Deo Rex ſuper Sion, prædicans præceptum eius*; & à Magis tanquam Rex cœleſtis adoratus, vt paulò antè oſtendimus. Filius enim titulo Filij poſſeſſionem

regni Paterni adire poteſt. Chriſtus autem eſt natus Filius Dei: ſiquidem ab ipſa ſua origine homo ille per vnionem hypoſtaticam cœpit eſſe naturalis Filius Dei, vt nos Catholici ex ſcripturis veriſſimè affirmamus, in quibus legimus, Verbũ, carnẽ factum: & Filium Dei, cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepiſſe, & alia his ſimilia. Quare ſicut negari non poteſt, Chriſtum ante reſurrectionem, Filium Dei re ipſa fuiſſe: quod & Centurio tandem poſt Chriſti mortem agnouit & confeſſus eſt: ita negari non poteſt, habuiſſe verum titulum regni Paterni adeundi. *Si enim filij & hæredes.* vt rectè argumentatur D. Paulus. Rom: 8. 17. Quare cùm ait Smalcius, poſt reſurrectionem Chriſto hæreditatem omnium conceſſam, id vti factum eſſe titulo paſſionis & mortis non negamus: ita ſimul fatemur ante paſſionem & mortem, eandem hæreditatem titulo Filij Dei Chriſtum habuiſſe.

Chriſto veram ignorantiam imponunt per ſummam blaſphemiam Ariani. Capvt XV.

EO erga Chriſtum ſunt animo Ariani, vt ea, quæ ad ipſius gloriam in ſcripturis ſpectant, vel diminuant, vel ad improprios ſenſus detorqueant; veriti ne nimis gloriam Chriſti amplificent: quæ verò aliquam imperfectionem præ ſe ferunt, ea proprijſſimè accipienda eſſe mordicus tueantur. Id cùm innumeris exemplis conſtet, vel hoc vnico manifeſtum eſt. Legitur, Chriſtum de ſe aliquando dixiſſe, quòd diem iudicij neſciat: id etſi à Chriſto modo quodam loquendi dictum ſit, ad retundendam nimiam Apoſtolorum curioſitatem, non verò abſolutè: iſti tamen gloriæ Chriſti propugnatores egregij, abſolutè omninò accipiendum eſſe tam pertinaciter aſſerunt, vt tanquam pro aris & focis pugnare videantur. vt ita telum potens habeant, quo Diuinam Chriſti naturam impugnent & euertant. Si enim aliquid verè ignoret Chriſtus, Diuinã naturam habere nõ poteſt.

Ait itaq; Smalcius, Chriſtum non quocunq; modo aſſeruiſſe, ſe diem iudicij ignorare, ſed cum ea additione, quòd eum ſolus Pater nouerit. Agnoſcimus additionem: at hoc ipſum quærimus, quomodo ſolus Pater dicatur noſſe diem iudicij, abſolutene, vt nullus alius præter ipſum nouerit, an quodam loquendi modo? Aio igitur hunc loquendi modum indicaſſe Chriſtum ipſum, cùm in eadem quæſtione de iudicij die cum Apoſtolis verſaretur, Act: 1. 7. *non eſt,* inquit, *veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* quia igitur dies iudi-

Chriſtus quomodo diem iudicij neſcierit ſecundùm Smalcium.

Digitized by Google

dies iudicij eſt, ex illis momentis, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ideo ſolius Patris eſt hoc proprium ſecretum; quia ab eius determinatione dependet, & ad hoc indicandum, ſolus Pater dicitur illud ſcire. Modo enim vſitatiſſimo loquendi, rectè quis ſolus dicitur aliquid ſcire, quando illud ex eius ſolùm determinatione ac poteſtate dependet vt fiat: alij verò ad quorum poteſtatem non ſpectat id determinare & facere, dicuntur eo loquendi modo neſcire. quod etſi quotidie in modis loquendi hominũ vſitatis obſeruari videmus, qui interrogati de rebus, quæ ad ipſos ex officio non pertinent, ſed ad alios, quibus id incumbit, vel in quorum poteſtate eſt, vt res illa fiat, ſolent reſpondere ſe neſcire, eo ſenſu, quòd id ad eos non pertineat determinare & ſcire, etiamſi reuera ſciant: illoſq; ſolùm indicant eas res ſcire, in quorum poteſtate ſunt res illæ, & ad quos pertinet eas determinare & euulgare: tamen etiam exẽplo ex ſcripturis deprompto idem demonſtrare poſſumus. Hoc enim modo & ſenſu reſpondit Chriſtus diſcipulis petentibus ſeſſionem à dextris & à ſiniſtris in regno ipſius. *Sedere*, inquit, *ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram. non eſt meũm dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* id enim, niſi ad ſimilem loquendi modum referatur, verum eſſe non poteſt. quomodo enim id non erat Chriſti, ſed ſolius Patris, cùm Lucæ 22. 29. dicat: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* & alibi diſertè fatetur, ſe ouibus ſuis vitam æternam dare. Ioan: 10. 28. Cùm igitur conſtet, vtriuſq; fuiſſe & Chriſti & Patris dare locum in Regno cœlorum, nõ poteſt abſolutè negari, Chriſti quoq; id fuiſſe. Solùm igitur id affirmatur à Chriſto, modo illo loquendi, quo res aliqua ex alicuius ſolius determinatione & poteſtate dependens, vt fiat, illius ſolius dicitur eſſe: licet alijs quoq; ex commiſſione conueniat eandem rem præſtare. Erat igitur Chriſti & non erat dare locum in regno cœlorum; erat abſolutè, quia eam poteſtatem à Patre habebat; non erat modo quodam: quia non ex eius ſed ex Patris determinatione id dependebat. Si igitur Chriſto ſeipſum exponenti credimus, dicendum eſt, ſolùm Patrem ſcire diem iudicij: quia id poſuit in ſua poteſtate, & ad eum ſpectat id determinare & ſcire, tanquam proprium cordis ipſius ſecretum: hoc verò modo, nec Filius ſcit, qua homo. Nam etſi omnia ſciret, vt Petrus confeſſus eſt, & omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei in illo eſſent reconditi, vt Paulus fatetur; tamen dicebat ſe neſcire, quòd id eſſet in Patris poſitum poteſtate, & diem illum determina-

Quomodo ſecundùm veritatem.

terminare ad Patrem propriè pertineret, non ad ſe, qui omnia à Patre accipit, tam quæ ſcit, quàm quæ facit.

Quod ſi quis opponat, ad Filium pertinuiſſe, ſcire diem iudicij, cùm ipſe eſſet conſtitutus iudex viuorum & mortuorum: Reſpõdeo, non pertinuiſſe id ad illum ſcire, niſi ex determinatione Patris: ipſe enim Pater poſuit id in ſua poteſtate, quare primò & per ſe id pertinuit ad Patrem ſcire; & ex conſequenti verum eſt eo modo ſolum Patrem ſciuiſſe. *Veritas impugnatur varia & ſimiliter propugnatur.*

Hic Smalcius primò calumniatur Smiglecium, quòd omiſerit illam vulgarem exceptionem, Chriſtum ſecundùm humanam naturam neſciuiſſe: quòd ea exceptio Radziminio ante 20. Annos Lublini in diſputatione turpiter ceſſerit. Verùm dormiens, vt puto, Smalcius fuit, cùm ſcripta Smiglecij legeret: in quibus ea verba expreſſè habentur, Chriſtum quodam loquendi modo, quà homo erat, neſciuiſſe diem iudicij. At homini hæretico & perfrictæ frontis calumnia non imputatur ad peccatum. Quod verò Radziminio obijcit, tot ſunt calumniæ huius teſtes, quot tunc fuerant diſputationis auditores: quibus ita Reſponſione Radziminij ſatisfactum eſt, vt vix manus à vobis propter blaſphemias & incredibilem impudentemq; temeritatem veſtram abſtinuerint, niſi & loci religione & noſtrorum hortatu fuiſſent prohibiti. Extat etiam Diſputatio impreſſa tantę calumniæ vindex.

Ait iterum iterumque Diſtinctionem illam de natura Diuina & humana in Chriſto eſſe petitionem principij. Minimè verò. idque propter duo. Primùm, quòd reſpondens cùm ex ſuis principijs ſoluit argumentum, vt antea dictum eſt non petit principium, ſed ſuo officio fungitur, vt docti norunt, idq; etiamſi aduerſarius illa principia non admittat: vt cùm Ariani impiè argumententur contra Catholicos Chriſtum eſſe minorem Patre, & idcirco non poſſe dici verum Deum: rectè & abſque petitione principij, Catholici reſpondẽt, Chriſtum eſſe minorem Patre ſecundùm humanitatem, æqualem Patri ſecundùm Diuinitatem. Inferre quidem concluſionem Aduerſarius, niſi ex conceſſis principijs non poteſt; at retundere aduerſarij tela reſpondens etiam ex principijs ab ipſo non conceſſis poteſt, quãdiu ea ab aduerſario non expugnantur. Secundò, quia eam diſtinctionem, non vt à nobis confictam, ſed clariſſimis ſcripturis comprobatam in diſputationem proferimus. Nullo igitur modo petitionis principij, niſi à capite malè ſano, accuſari poſſumus.

Digitized by Google

Pergit. Admiſſa duplicis naturæ in Chriſto diſtinctione, exceptionem de humana natura eſſe nullam. tũ quòd Filius abſolutè poſitus, dicatur neſcire diem iudicij, non Filius hominis: tum quòd non poſſit negari de toto, quod ratione partis alterius illi conuenit. Sed valde in ſuis rationibus fallitur Smalcius. nam quod ad primam attinet, etſi verum ſit, Filium abſolutè dictum, Filium Dei intelligi: tamen cùm Filij Dei perſona ſit vtriuſq; naturæ perſona, & vtriuſq; naturæ communis, poteſt aliquid ei conuenire humanæ naturæ reſpectu, aliud reſpectu Diuinæ. Nihil igitur repugnat ex hoc capite, quòd Filius nominatur, aliquid de illo affirmari, quod ei non niſi in humana natura conueniat. Sic Chriſtus Ioan: 5. cùm opus illud ſanationis per humanam ſuam naturam feciſſet in Sabbatho, ſeipſũ Filium abſolutè nominabat, & eo ſe tuebatur aduerſus Iudæos, quòd Filius non poteſt à ſe facere quidquam: quòd Filius omnia facit, quę Pater: quòd Pater diligit Filium, & demõſtrat ei omnia, quæ facit.

Altera etiã ratio falſa eſt: etenim homo abſolutè negatur eſſe immortalis: etiamſi ratione alterius partis, hoc eſt animæ, ſit immortalis: omnia corpora naturalia, negantur eſſe incorruptibilia, etiamſi ratione partis alterius, quæ eſt materia, nunquam corrumpantur, eſt enim materia, vt Philoſophi docent, ingenerabilis & incorruptibilis. Deinde modi loquendi, ex ſe alioqui abſoluti & indifferentes, poſſunt ex ſubiecta materia & loci circumſtantijs ad certam & determinatam rationem reſtringi. quare & hic locus poſtulat, vt Filius humanæ naturæ reſpectu dicatur neſcire iudicij diem: cùm, quà homo eſt, non pertineat ad ea, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Nam, quà Deus eſt, omnia vnà cum Patre operatur, vt ex Ioannis cap: 5. ante deduximus.

Porrò cùm adducit pro exemplo Smalcius: id quod de anima hominis prædicatur, nunquam de homine negari poſſe: vt, quia anima intelligit, nullo modo negari poteſt, hominem intelligere, etiamſi corpus hominis non intelligat: primùm inſciciam ſuam hoc exemplo prodit, quod nullo modo ad rem propoſitam accommodari poteſt: quia enim homo, non niſi anima intelligit, idcirco ſi anima intelligit, nullo modo negari poteſt, hominem intelligere, cùm nullus alius modus intelligendi conueniat homini, niſi per animam. At ſi duplicem modum intelligendi haberet, poſſet negari vno modo intelligere, etiamſi intelligat altero. Sic in homine, cùm ſint duo

appeti-

Digitized by Google

appetitus & voluntates, rationalis & ſenſitiua, poteſt negari hominem velle, ſi nolit voluntate rationali, etiamſi illud appetat appetitu carnali. vti & Paulus ait, *quod nolo malum, hoc ago.* licet ſecundũ aliam legem exiſtentem in membris, idem vellet. Hoc ergo modo res habet in Chriſto, in quo ſicut eſt duplex natura, ita duplex velle, duplex ſcire, Diuinum nempe & humanum. poteſt igitur negari de Chriſto ſcientia in natura humana, etiamſi non negetur in Diuina. etſi vna ſcientia negetur, non eſt neceſſe negari omnem ſcientiam. Nihil igitur ad propoſitum facit Smalcij exemplum: tametſi illud à ſuo Socino ſit mutuatus.

Porrò Chriſtum non poſſe dici abſolutè neſciuiſſe diem iudicij, tam Diuinæ, quàm humanæ naturæ reſpectu, per ſe manifeſtum eſt. Nam quod ad Diuinam attinet, ea ſi admittatur, eadem eſt in Patre & Filio, ac proinde eadem eſt vtriuſque ſcientia. Præterea locus ille & argumentatio Chriſti apud Ioan: c. 16. 15. id euincit. Sic enim de ſcientia omnium veritatum, quam S. Spiritus erat accepturus à Chriſto, argumentatur: *Omnia, quæ Pater habet, mea ſunt.* ſed Spiritus ſanctus accipiet de ea ſcientia quam Pater habet, ergo Spiritus S. de meo accipiet. quæ Chriſti argumentatio conuincit, non poſſe quidquam ignorare Filium, quod ſcit Pater, propter communem & eandem vtriuſque ſcientiam. Quod ad humanam verò naturam attinet, probatum à nobis antè eſt, ex eo quod dicitur *plenus gratia & veritatis*, Ioan: 1. plenus inquam ea plenitudine, quæ Filium Dei decet, cuique nihil deeſſe poſſit. Dicitur etiam non ad menſuram datus ei Spiritus, Ioan: 3. quæ loca cum ante fuſiùs tractata ſint, hic ſolùm rationẽ rem concludimus. Etenim cùm omnia Chriſto data legamus à Patre, neceſſe eſt vt ea ſaltem omnia intelligamus, quæ ſubiecta materia & officium Chriſti poſtulat. Sic enim aduerſarij ipſi reſtringere ſolent hanc vocem; *Omnia*: atqui nemini dubium eſt, ad officium Chriſti pertinuiſſe, ea omnia cognoſcere, quæ per illum efficienda erant, cum omnibus operum circumſtantijs: Nullo igitur modo dubitari poteſt, diem quoque iudicij illi perſpectum & cognitum fuiſſe. quòd ſi aliæ circumſtantiæ & ſigna diei iudicij illum non latuerunt, (ea enim latè in Euangelio perſecutus eſt & recenſuit) quomodo hora ipſa & tempus iudicij latuiſſet?

Nam quod ait Smalcius, nihil vetare, quo minus quis rem aliquam futuram, & modum quo futura eſt, cognitum habeat; interim

Digitized by Google

verò tempus definitè neſciat; facile id conceſſerim in ijs, qui non totam ſimul ſcientiam ad ſe pertinentem habent, ſed eam per partes acquirunt. At de Chriſto id dici nequit, qui omnem ſcientiam ad ſuum officium pertinentem, ſtatim habuit, vnde nihil eiuſmodi, quod ad officium ſuum pertineret, ignorare potuit.

Similiter infirma & illa eſt Smalcij obiectio, qua aſſerit Chriſtum ante Reſurrectionem non fuiſſe conſtitutum Iudicem viuorum & mortuorum: *in hoc enim mortuus eſt & reſurrexit, vt eſſet viuorum ac mortuorum Dominus.* Rom: 14. 9. Quocirca ad officium eius tunc ſcientiam diei iudicij non pertinuiſſe. Duos enim hic craſſos errores inuoluit Smalcius. Alter eſt, cùm aſſerit ante Reſurrectionem non fuiſſe conſtitutum iudicem viuorum & mortuorum: cùm tamen Ioan: 5. Chriſtus ante Reſurrectionem aſſerat datam ſibi poteſtatem iudiciũ faciendi, & vitam habendi in ſemetipſo, vt quos vellet, viuificare poſſet. Quod verò in epiſtola ad Rom: dicitur, non ita accipiendum eſt, quòd ante, dominium in viuos & mortuos non habuerit. Fuit enim, & dictus eſt Dominus viuorum, mortuis etiam imperabat vt redirent ad vitam; vt de filio viduæ & Lazaro reſuſcitatis Chriſti imperio, perſpicuum eſt: *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Sed quòd re ipſa in toto mundo dominari cœpit, & ſuum Dominium vniuerſe extendere, cùm ante illud nimis reſtrictum & abſconditum haberet. Nam etiam is, qui verè eſt Dominus aliquorum, non eſt neceſſe, vt re ipſa ſemper dominetur; poteſt enim ex cauſa vel nolle dominari, vel impediri à dominio. Alter error eſt, cùm ait ad officium Chriſti ante Reſurrectionem non pertinuiſſe ſcientiam diei iudicij. quomodo enim pertinuit ad ipſius officium ſcientia aliorum ſignorum & circumſtantiarum diei iudicij, de quibus latè tum diſſeruit; eadem prorſus ratione & ſcientia temporis pertinebat, imò illud ſignum eſt ideo hanc ſcientiam fuiſſe illi infuſam, quia tum iam erat conſtitutus iudex viuorum & mortuorum, ac proinde ad ipſius officium pertinebat, ſcire omnia ad diem iudicij ſpectantia. At inquit, ſcripturam excepiſſe diem & horam iudicij: ſed iam dictum eſt ſcripturam, non ita craſſè, vt Smalcius intelligit, intelligendam eſſe, ſed ſecundùm quendam modum loquendi, quo dicitur quis id neſcire, quod non in eius ſed in alterius poteſtate eſt, determinare ac manifeſtare, vt paulò ante docuimus.

Tandem Smalcius oppugnare aggreditur, illam verborũ Chriſti inter-

ſti interpretationem, quam multi SS. PP. ſequuntur, & nos in Mõſtris Arianiſmi indicauimus; nempe propter ſecreti rationem quodam vſitato loquendi modo, Chriſtum neſciuiſſe diem iudicij, licet abſolutè ſciuerit. Qui enim in ſecreto aliquid accepit, vt reuelare alteri non poſſit, rectè dicitur neſcire, non quod abſolutè neſciat, ſed quòd neſciat ad dicendum & manifeſtandum, & habet ſe ac habere debet ac ſi neſciret: quem loquendi modum non vſus ſolùm probat, ſed & morales Philoſophi, atq; adeò graues Theologi Sanctiq; Patres recipiunt: Et ſanè, ſicut Deus impios dicitur non agnoſcere ſed ignorare (*Neſcio vos* inquit) non quòd abſolutè neſciat, ſed quòd ita ſe gerit cum illis, ac ſi eos neſciret; nempe quia eos non approbat ſed punit: cur ſimili ratione dici non poſſit neſcire, quod etſi ſciat, tamen propter ſecreti rationem habet ſe ac ſi neſciret. Nam quod Smalcius ait, eſſe diuerſam phraſim: verum eſt, ſed ita diuerſa eſt, vt ſit proportione quadã ſimilis. vtrobiq; enim dicitur neſcire, non abſolutè, ſed ſecundùm quid, & in ordine ad aliquẽ effectum.

Quocirca impertinens eſt, quod obijcit, etiam Patrem neſcire impios. ergo etiam neſciret diem iudicij, ſi eſt idem modus loquendi. Dicimus enim eſſe ſimilem modum loquendi, ſed non ex ijſdẽ cauſis, ita vt ſi cauſa talis modi loquendi, non competat alicui, nec modus ipſe loquendi competere debeat. Ex quo patet, neſcire impios, Patri conuenire: quia illi cauſa neſciendi illo modo impios conuenit, neſcire verò diem iudicij non conuenit Patri, quia eidem non conuenit cauſa illo modo neſciendi, nempe ſecreti ratio.

At inquit Smalcius, quorſum tam accuratè determinatur vna ſola perſona, quæ ſciuerit, niſi verè excluderentur omnes aliæ? *de die*, inquit, *& hora illa nemò ſcit, nec Angeli, nec Filius, ſed ſolus Pater.* At reſponſio facilis eſt, ideò tam accuratè deſignari vnam ſolam perſonam quæ ſciat, vt aliæ omnes excludantur ab illo ſciendo modo, quo Pater ſcit ſolus; hoc eſt abſq; vlla ſecreti obligatione: ſiquidem ab eius ſolius poteſtate & determinatione dies iudicij dependet. Filius verò ſcit quidem, ſed quia ſecreto tenetur, dicitur modo quodam loquendi neſcire.

Sequeretur, inquit, Angelos quoq; neſcire ob ſecreti rationẽ, cùm tamen conſtet illos nullo modo ſcire, cùm id Pater poſuerit in ſua poteſtate. Reſpondemus, non ſequi. ſolùm enim Chriſtus dicit nec Angelos nec Filium ſcire: quod verum eſt. quamuis non eodem

Digitized by Google

modo, nec eadem ex cauſa neſciant; nam Angeli abſolutè neſciunt, quia illis id à Patre reuelatū non eſt: Filius verò cui omnia data ſūt à Patre, cum omni plenitudine & abſq; menſura, ſcit abſolutè, neſcit verò ob ſecreti rationem.

Inſtat, ſi Filius neſciret ad manifeſtandū, Pater autē ſciret ad manifeſtandum, manifeſtaret alicui. At ſi manifeſtaret alicui, iam non ſolus ſciret. Sed futile id eſt. Pater enim ſcit ad manifeſtandum, & manifeſtat re ipſa Filio. manifeſtando verò Filio, abſolutè quidem non ſolus ſcit: ſiquidē etiā Filius ſcit: quod tamen ad ſecreti rationē attinet, ſolus ſcit: quia ſolus abſq; ſecreti obligatione ſcit, & poteſt diē iudicij, cui vult, reuelare. Filius verò neſcit hoc modo, quia ſub ſecreto ſcit, & ſecreti ratione obligatus eſt à Patre. Diſcat igitur Smalcius (ſi prudens & non ſtultus haberi vult) non temerè aſſerere, aliquid implicare contradictionem: cùm tales contradictiones, quales à Smalcio finguntur, vno flatu difflari poſſint. Ex his manifeſtum euadit, Smalcium dum concludit verba Chriſti de impotentia ſciendi accipienda eſſe, vehementer decipi: tum quia Chriſto iniurius eſt, cui ſcripturæ etiam quà homo eſt, omnem ſcientiam tribuunt; tum quia tam craſſè ſcripturam interpretatur, vt nullum loquendi modum vſitatum in ea exponenda admittat, quando præſertim id loci circumſtantia & ſubiecta materia requirunt. Quæ verò hic de plenitudine veritatis & ſapientiæ contra Chriſtum differit, ea à nobis ſupra ſatis confutata ſunt.

De ſeßione Chriſti ad dexteram Patris errores Smalciani deteguntur. CAPVT XVI.

DIximus ſeſſionem Chriſti ad dexteram, non eſſe ipſius Diuinitatem, ſed ad Diuinitatem conſequentem honorem.

Quid ſit ſedere ad dexterā Patris Chriſtum, Smalcius ignorat. Docetur.

Id non rectè à nobis aſſeri Smalcius ait. Seſſio enim inquit, ad dexteram, ſignificat locum honoratiorem, adeoq; ſupremam poteſtatē, ſeſſionemq; inquit eſſe cauſam honoris, honoremq; effectum eſſe ſeſſionis. qua probatione quid ineptius? quippe quæ ſeipſam penitus euertat. Si enim ſeſſio ad dexteram ſit locus honoratior, locus autem honoratior non eſt ipſa dignitas ſedētis, ſed quid ratione dignitatis vel officij publici conueniens; an non conſequens erit ſeſſionē ad dexteram Patris, non eſſe ipſam Diuinitatem Chriſti, ſed honorē & locum honoratiſſimum Chriſto propter eius Diuinitatem debitū. Sicut enim locus magiſtratus & officij publici, non eſt ipſa dignitas

& pote-

& poteſtas magiſtratus, nec officium ipſum publicum, ſed honor officio publico aſſignatus: nec quiſquam eſt tam ſtupidus, qui hoc non intelligat: ita nimis ſtupidum eſſe oportet, qui ſeſſionem Chriſti ad dexteram Dei, quæ locum tantùm honoratiorẽ deſignat, ipſam Chriſti Diuinitatem eſſe contendat. Prior enim eſt perſonæ dignitas, quàm ei locus honoratior aſſignetur, & eadem dignitas perſonæ eſt loci honoratioris cauſa, locuſq; honoratior eſt effectus quaſi quidam dignitatis perſonæ, cùm propter dignitatem aſſignetur. Neq; cauilletur Smalcius, nos dicere Chriſti ſeſſionem ad dexteram Patris eſſe parem cum Patre maieſtatem. Maieſtas enim eſt gloria illa & ſplendor dignitatis, ipſam dignitatem conſequens. Sic Chriſtus dicitur venturus ad iudicium in maieſtate, hoc eſt in gloria conſpicua Diuinitatis ſuæ. Sic in Transfiguratione apparuit in maieſtate, hoc eſt in gloria. Non igitur ex noſtra aſſertione ſequitur, ſeſſionem eſſe ipſam Diuinitatem, ſed ſolùm maieſtatem & gloriam Diuinitatis: deſignariq; figurata & metaphorica illa locutione ſeſſionis, honorem illum longè maximum, qui ei, qui omnibus rebus creatis præeſt, debetur: vt enim loco ſupremus eſt: ita & honore & dignitate.

Doctrinam non capit. Ea illi iterũ atq; iterum ingeritur.

Pergit Smalcius. Chriſtus poſt reſurrectionem conſtitutus eſt à dextris Dei, quæ eſt ſumma eius Diuina dignitas. Non igitur ante reſurrectionem eam dignitatem habuit: ideoq; perfectè Deus eſſe non potuit. Verùm duplici nomine labitur Smalcius. Primùm enim æquiuocatione fucum facit: dum enim ait, ſedere ad dexteram Dei, eſſe ſummam Chriſti dignitatem, duplex ſenſus eſſe poteſt: vnus quidem, vt illa ſit ſumma Chriſti dignitas, ratione cuius Chriſto debeatur ſedere ad dexteram Dei. qui ſenſus eſt veriſſimus. vti enim nullius alius honor maior eſt, quàm locum ſupremum in dextera Dei habere: ita dignitatem cui talis honor conuenit, neceſſe eſt eſſe ſupremam, quæ eſt ipſa Chriſti Diuinitas. Alter ſenſus eſt, vt re ipſa ſedere ad dexteram Dei, ſit ſumma Chriſti dignitas: hic porrò ſenſus falſus eſt. non enim ſedere re ipſa, ſed dignitate tali eſſe, cui ſeſſio illa debeatur, eſt ſumma Chriſti dignitas. Sicut ſummus Regni Senator, etiamſi ſummum locum (ex quacunq; cauſa) actu non occupet, ſummam ſuam dignitatem Senatoriam retinet. eſt enim verè ſummus Senator, licet honorem debitum ſuæ dignitati non habeat. Neq; ſedere ſummo loco in Senatu eſt ipſa Senatoria dignitas, ſed quid debitum Senatoriæ dignitati. locus enim ad honorẽ dignitatis tantùm

Digitized by Google

pertinet, non ad ipſam quaſi eſſentiam dignitatis: loco enim honoramus quemlibet ſecundùm ſuam dignitatem, neq; locus dignitatem facit, ſed indicat, poteſtq; & indignus ſummum locum occupare qui ei non conuenit, neq; tamen ratione loci ſolius veram habet dignitatem. Pari ergo ratione ſedere actu ad dexteram Dei, non eſt ſumma Chriſti dignitas, ſed quid ſummæ eius dignitati debitum: talis enim & tantus eſt, vt ei ſupremus ad Dei dexteram locus debeatur.

Labitur præterea Smalcius, cùm eo ſenſu Chriſtum poſt reſurrectionem conſtitutum eſſe ad dexteram Dei interpretatur, non ſolùm quoad effectum ſeſſionis, ſed etiam quoad ipſam dignitatem: id enim non ſolùm ſcriptura non dicit, ſed etiam id ei maximè repugnat. Quomodo enim is qui æqualis Deo ſemper fuit, non fuiſſe tantæ dignitatis cenſendus ſit, vt ad dexteram Dei ſedere meritò poſſet? omnis enim ratio indicat, eum, qui æqualis eſt cum altero dignitatis, poſſe ad dexteram eius ſedere. quamuis igitur ſcriptura aſſerat, Chriſtum re ipſa & quoad effectum poſt reſurrectionem ſummo loco conſediſſe, nempe ad Dei dexteram; eadem tamen aſſerit etiam ante reſurrectionem fuiſſe Deo æqualem, ac proinde tantæ dignitatis vt ad Dei dexteram ſedere potuerit. Neq; refert, quòd æqualitatem Chriſti cum Deo, Ariani non abſolutam, ſed ſecundùm quid eſſe velint: nam etiam ad dexteram Dei ſedenti, abſolutam æqualitatem denegant, & ſolùm æqualitatem ſecundùm quid concedunt. quocirca tan tam cum Deo æqualitatem concedere Chriſto poſt reſurrectionem conuincuntur, quantam ante reſurrectionem habuit. Ludere verò mihi videtur Smalcius, cùm ex titulo capitis decimi quinti in Monſtris, qui eſt de ſumma dignitate poſt reſurrectionē obtenta, infert, me id aſſerendo dixiſſe. quis enim non videt, eum qui aliquid ad diſputandum proponit, neutram partem determinare, ſed determinandam proponere.

At enim manifeſtè negat Smalcius, Chriſtum ea dignitate ante reſurrectionem fuiſſe, vt dignus eſſet ſeſſione ad dexteram Dei. nunc enim propter ſummam in res omnes poteſtatem, dicitur ſedere ad dexteram Patris. Talem verò poteſtatem ait ante reſurrectionem Chriſtum non habuiſſe. At nos oppoſitum ex ſcripturis oſtendimus, Chriſtum æqualem Deo in forma Dei fuiſſe, ac proinde æqualis cum Deo poteſtatis, quæ non poteſt eſſe niſi ſumma. Nam quòd negatur æqualitatem illam in ſimilitudine externa in factis & rebus Diuinis fuiſſe

poſitam,

Digitized by Google

poſitam, ſi illam ſimilitudinem fictam aſſerat, conſequetur æqualitatem etiam fuiſſe fictam: Si autem veram, neceſſe eſt non externam ſolùm ſimilitudinem Chriſto cum Patre interceſſiſſe, quæ ſine interna eſſet ficta duntaxat apparentia abſq; re: ſicut ſimilitudo hominis abſq; vera hominis natura, eſt ficta, non vera: neceſſeq; eſt Chriſtum non ſolùm quocunq; modo in poteſtate & Diuinitate Deo ſimilem eſſe, ſed ſimilem cùm vera æqualitate.

Inutilis verò eſt illa Grammatica Smalcij, qua Græcam vocem *ἴσος*, non ſolùm æqualem, ſed etiam ſimilem deſignare ait. Etenim omnibus conſtat *ἴσος* propriè æqualem ſignificare, nec niſi abuſiuè apud Poëtas, (quibus Cathachreſes Poëtica licentia permiſſæ cenſentur) pro ſimili accipitur: Nuſquam etiam ne apud Poëtas quidem *ἴσα* Aduerbium ſignificat ſimiliter, ſed tantùm æquè, æqualiter. quo etiam modo hic à Paulo poſitum eſt, *τὸ εἶναι ἴσα θεῷ*, quod ad verbum verti poſſet, eſſe ſe æqualiter Deo. *Grammatica inſcientia Smalcio obijcitur.*

At pro abſurdo reputat Smalcius, eum qui puer erat vagiens, nõdum adultus, & cui multa adhuc deerant ad perfectionem, ſedere ad dexteram Dei. Verùm abſurdiſſimus multo Smalcius ipſe cenſendus eſt, qui dignitatem propriam Chriſti propter quam ad Dei dexteram ſedet, ex mole corporis, & naturali eius perfectione metitur. quòd ſi nõ propter perfectionem naturalem corporis, Chriſtus conſtitutus eſt ad dexteram Dei, ſed propter dignitatem Diuinitatis, an nõ abſurdum omninò erit ac perquam ineptũ ob corporis imperfectionem, ſeſſionem Chriſto ad dexteram Dei negare? imperfectio enim corporis, Diuinitati minimè obſtat aut obſtare poteſt. Equidem Iſaias in puero Ieſu, Diuinitatis Maieſtatem admirabatur, & ſuſpiciebat; neq; illius puerilem imperfectionem Diuinitati obſtare arbitrabatur; cùm adeò glorioſè de illo vaticinatur: *Paruulus,* inquit, *natus eſt nobis; & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* En Smalci, quàm Diuinus, quàm glorioſus hic puer erat IESVS, qui tibi adeò vilis (ô viliſſimum fruſtum hominis) habetur, quamq; admirabiles ſuæ dignitatis titulos gerebat, propter quos quis dubitet illum dignum fuiſſe, vt ſederet ad dexteram Dei: nihil enim illi poteſtatis ac perfectionis Diuinæ tum defuiſſe in primis huius libri capitibus, ſatis demonſtrauimus.

Cùm verò ægrè fert Smalcius, ante reſurrectionem Chriſto Diuinitatem

uinitatem à me tribui, vel, vt ille delirans ait, affingi, ſi id ita accipi velit, vt Chriſtus ante reſurrectionem, non re ipſa, ſed deſignatione tantùm Deus diceretur, blaſphemus eſt ac pluſquam impiè ſceleratus: neq; cum ſcripturis ſolùm, ſed ſecum etiam pugnans. Ait enim Chriſtum, cùm in forma Dei eſſet, à multis adoratum & Diuino honore cultum fuiſſe: in paſſione verò eam Dei formam depoſuiſſe. Si verò concedat ante reſurrectionem Chriſtum non deſignatione tantùm, ſed re ipſa Deum fuiſſe, concedat etiam neceſſe eſt, Diuinitatis titulo ſedere ad dexteram Dei potuiſſe: quippe cùm Diuinitatis honore omnes tum Angelos tum homines antecelleret, & ſuper omnes eſſet, ſicut dignitate, ita & loci maieſtate, quam ſeſſio ad dexteram Dei deſignat.

Seſſio ad dexteram Dei Diuinitatis Chriſti argumentum.

Deniq; ait, peſſimè à Pontificijs inferri, ex eo quòd Chriſtus ad Dei dexteram ſedeat, eſſe ſummum Deum. At optimè id à Pontificijs inferri probant illorum argumenta; neq; enim par eſſe Deo poteſt, qui Deus non ſit: omne enim, quod Deus non eſt, eſt infra Deum. ac proinde impar Deo. Cùm igitur Chriſtus ſedeat ad dexteram Dei, non tanquam poſt Deum primus, vt impiè blaſphemant Ariani, ſed tanquam æqualis Deo, vt ſcripturæ prædicant: conſequens eſt Chriſtum eſſe ſummum Deum. æqualis enim ſummo, ſummus eſt. Quod de æqualitate abſoluta intelligendum eſſe ſupra docuimus. & Paulus Heb: 1. 13. indicat cùm ait, *ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis*: indicat enim non ſolùm de facto nullum Angelum ſediſſe ad dexteram Dei, ſed neq; ſedere potuiſſe, cùm ea ſeſſio ratione æqualis cum Deo Diuinitatis Chriſto conueniat; Nulli autem Angelorum æqualem eſſe Deo Diuinitate conuenire poteſt. Quod verò ait Smalcius, poſſe, ſi Deus velit, hominem vel Angelum Diuinum honorem ſibi vendicare, etſi natura non ſit Deus: id & blaſphemum eſt, & illi vnico mandato Dei repugnans, *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies.*

Summus inquit Deus, à nemine ad dexteram Dei collocari poteſt. At ſi idem Deus, ſit etiam homo, vti nos Catholici à ſcripturis edocti credimus; poteſt qua homo exaltari, ad hoc, vt ad Dei dexteram ſedeat, propter ſummi Dei, quam coniunctam habet, dignitatem Quod ſi ſolùm ſummus Deus eſſet, & non homo, procul dubio nec exaltatione egeret, nec ab alio collocari ad dexteram Dei poſſet: ſed ex natura ſua hanc ſeſſionem ad Dei dexteram ſibi vendicaret.

Quicun-

Digitized by Google

Quicunq; inquit, par eſt Deo, is Deus eſſe nō poteſt; niſi duos Deos pares conſtituere velimus. At hanc Smalcij inſcitiam iam ſatis ante demonſtrauimus. Vt enim duo dicantur æquales, eſt quidem neceſſe, vt ſint duo: non tamen eſt neceſſe, vt ſint in illa ratione duo, in qua dicuntur æquales. id quod & accommodato ſatis exemplo & ratione docemus. Si enim duo corpora eandem numero quātitatem habeant (quod Dei virtute fieri poſſe nemo ſciens diffitetur) erunt proculdubio æqualia, cùm tanta vnius ſit magnitudo, quanta alterius; neque tamen erunt diſtinctæ quantitatis. Pari igitur ratione, Filius & Pater æquales eſſe poſſunt in natura Diuina, etiamſi non ſunt Diuina natura diſtincti, nec duo Dij, ſed duo vnus Deus. Idem ſuadet & ratio. Nam ad hoc, vt duo dicantur æqualia, ſatis eſt, vt vnum ſit tantum, quantum aliud in aliqua ratione. id verò poteſt æquè accidere, ſi illa ratio ſit eadem in vtroque, quàm ſi ſit diuerſa. Non igitur ad æqualitatem requiritur omnino vt ratio, ſecundùm quam attenditur æqualitas ſit diuerſa, ſed ij, qui dicuntur æquales, poſſunt eſſe vnū in illa ratione, in qua dicūtur æquales.

Nemo, inquit, ad dexteram ſuam ſedet. Fateor. nam & Filius, non ad ſuam ſed ad Patris dexteram ſedere dicitur: quamuis autem idem Deus ſit cum Patre, non tamen eadem omnino perſona.

Similiter cùm ait, quomodo is Deus eſt, qui ſedet ad dexteram Dei: Reſpondemus, eo ipſo Deum eſſe, quia ad dexteram Dei ſedet. hoc eſt æquali cum Deo honore. Nihil enim Deo eſſe æquale poteſt, quod Deus non ſit. Vt verò Deus ad dexteram Dei ſedere dicatur, ſufficit diſtinctio perſonarum, manente naturæ vnitate.

Perſona, inquit, Diuina non poteſt non ſemper ſedere ad dexteram Dei: alioquin non eſſet Diuina. At dicimus, ſi de perſona Chriſti Diuina ſecundùm ſe ſit ſermo, eam neceſſe eſſe, ſemper eſſe apud Deum & ad dexteram Dei, non ſolùm ante reſurrectionem, ſed etiam ab æterno. *In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Ioan. 1. 1. Perſonæ enim Diuinæ, cùm ſint natura vnum, ſunt à ſe inſeparabiles, & vna in alia & apud aliam dicitur eſſe. At ſi de perſona ratione humanæ naturæ ſit ſermo, ſic Chriſtus non niſi poſt ſuum in cœlum aſcenſum, ſediſſe ad dexteram Dei dicitur: ſiquidem in cœlo, vbi dextera Dei indicatur, non ante ſuum in cœlū aſcenſum fuerit. Fuit tamen in terra ſemper digniſſimus, vt ad dexteram Dei, ſi vellet, ſederet, tanquam verus Deus & Veri Dei Filius.

Chriſtus ſecundùm Diuinitatem ſedet ab æterno ad Dei dexteram.

Concluditur Arianos multis modis indignè de Chriſti Diuinitate ſentire. Caput XVII.

Chriſtus ſecundùm Arianos non eſt verus Deus.

Ex his, quæ his duobus libris diſſeruimus, non erit difficile colligere, quàm indignè quamq; impiè de Chriſti Diuinitate ſentiant Ariani. Nàm inprimis eum verum Deum non re, ſed verbis tantùm fatentur. Deus enim verus non eſt, qui naturam Dei non habet, nullaq; res verè talis eſt, niſi à natura ſua. iſti autem Chriſto naturam Diuinam negant. Negant igitur ipſum eſſe verùm Deum. Ad hæc Deus verus non eſt, niſi vnus ſecundùm ſcripturas; At iſti negant Chriſtum eſſe illum Deum vnum, ſed ab illo vno vero diuerſum. ergo negant eſſe verum. Deinde is qui participatione tantùm, non natura Deus eſt, non eſt Deus verus. participatio enim ſimilitudinē tantùm rei dicit non rem ipſam. ſimilitudo enim rei non eſt res ipſa vera. At iſti ſolà participatione Chriſtum, dicunt eſſe Deum. igitur ipſum negant eſſe verum Deum.

1. 2. 3.

Metaphoricus Deus.

Ex quo patet ſecundùm iſtos, non verum ſed metaphoricum & impropriè Deum eſſe, ob aliquam Diuinam ſimilitudinem & participationē. alioqui ſi Chriſtus propter participationē Diuinæ poteſtatis verus Deus dici poſſet, homines quoq; & Angeli, Dij veri dicendi eſſent: quod etſi iſti blaſphemè & ſtultè cōtra ſcripturas concedant; tamē vel hoc ipſo dēmōſtrant, qualē Diuinitatē Chriſto tribuant, nēpe quę ſit tantū ſimilitudo quædam veræ Diuinitatis & participatio.

Nam quod Smalcius ait, Chriſtum verum Deum eſſe, quia veram & propriam Diuinam poteſtatem habet; toto cœlo errat: cùm poteſtas Diuina ſit ſolùm veluti quædam proprietas Diuina, qui verò vnam duntaxat alicuius rei proprietatem habet, non poteſt idcirco dici verè talis. non enim res ſunt verè tales à proprietatibus duntaxat, ſed præcipuè à natura.

Diuina natura Chriſti ſummā Dei Patris gloriam indicat.

Fruſtra verò argumētatur Smalcius, ſi Chriſtus naturâ Deus dicatur, extolli quidem Chriſtum; ſed cum iminutione gloriæ Patris, qui ſibi omnia vult accepta referri. At nemo non videt ſummam eſſe gloriam Patris, qui talem ac tantum genuerit Filium, qui ſit ei per omnia æqualis. Ac vti viuentium propria perfectio eſt, poſſe generare ſibi ſimile; cùm verò id non aſſequuntur, imperfecta eſſe arguuntur: ita & Pater æternus cùm non degenerem ſibi gignat Filium, ſed talem omnino qualis ipſe eſt, hoc eſt immenſum, infinitum, æternū,

id ſum-

id ſummæ illius perfectioni adſcribendum eſt; alioqui id imperfectionem naturæ eius deſignaret, ſi non niſi imperfectum & à ſua natura degenerantem poſſet gignere Filium.

Cùm verò ait Smalcius, gloriam Patris in eo conſiſtere, vt ei omnia accepta referantur: eam quoq; gloriam Pater habet, cùm Diuinam naturam Filio tribuit, non quidem liberaliter largiendo, ſed naturaliter generando. Generare enim naturæ Diuinæ actus eſt, liberalitas autem voluntatis: quare quæ per generationem Diuinam tribuuntur, non eſt neceſſe in Dei voluntatem & liberalitatem, ſed in naturam Diuinam & eius naturalem perfectionem referri. Cætera quidem bona, quæ extra Deum ſunt, cùm à Dei voluntate proficiſcantur, in eam neceſſario referri debent, at Generatio eſt actus naturæ Diuinæ, non voluntatis: quare non debet in Deum tanquam donum liberale referri, ſed tanquam quid ratione naturæ Deo conueniens, quod à voluntate Diuina minimè pendet. Et ſicut aliæ Diuinæ perfectiones naturales à voluntate Dei minimè pendent; non enim ex voluntate Dei eſt, quòd ſit immẽſus, æternus, omnipotens: ita & de generatione Diuina, quæ ex fœcunditate infinita eiuſdem naturæ proficiſcitur, ſentiendum eſt.

Quomodo quæ ſunt in Chriſto accepta Deo referuntur.

Ineptaque ſemper eſt habita illa veterum Arianorum obiectio, cùm quærerent: An Pater volens genuerit Filium vel nolens; ſi volens, voluntas præceſſit generationem, quare non potuit generatio eſſe æterna: ſi nolens, id verò aiebant, per ſe abſurdum eſt, Deo nolenti ac inuito aliquid accidere. Scitè & non illepidè S. Auguſtinus in libro contra ſermonem Arianorum c. 1. eandem interrogationem retorquit in illos. *Interrogandi*, inquit, *ſunt, vtrū Deus Pater volens aut nolens ſit Deus, non enim audebunt dicere, nolle ſe eſſe Deum. Si ergò reſpondeant, quòd volens ſit Deus. eo modo referenda eſt illis vanitas ſua, qua dici poteſt, prior eſſe illo voluntas eius; quo quid dicitur ſtultiùs?* Vnde patet ea, quæ Deo naturaliter conueniunt, nec volenti nec nolenti conuenire, dicenda eſſe; nec tanquam dono accepta in illum referri debere, ſed tanquam ex natura ipſius procedentia.

An Pater volens genuerit Filium.

S. Auguſtinus reſpondet.

Conſimili ratione & illa Smalcij reſponſio nulla eſt, cùm ait Chriſtum dici Deum verum, ſed analogicè: ea enim, quam fingit, analogia, non poteſt eſſe alia, niſi quæ inter rem propriè talem & ſimilitudine talem intercedit. Certum enim eſt, & ſummum Deum dici verè & propriè Deum; & alios ſimilitudine tantùm & partici-

Chriſtus an ſit Deus Analogicè.

Digitized by Google

patione ipſius dici Deos. Cùm igitur hæc analogia, ſit analogia ſimilitudinis; ſimilitudo autem non facit rem veram, ſed veræ rei ſimilem, conſequens eſt, neque Chriſtum, ſi tantùm ſimilitudine ſit Deus, Deum verum dici poſſe. Neque ex eo, quòd non ſit fictus Deus, licet illicò inferre eſſe verum. Non ſolùm enim, quæ ſunt verè talia, dicimus non eſſe ficta, ſed etiam quæ ſimilitudine ſunt talia: quia ſimilitudo illa non fingitur, ſed verè eſt. Quanquam aliud ſit eſſe rem abſolutè veram, aliud ſimilitudinem eſſe veram; veramque ſimilitudinem cum re habere, non eſt eſſe rem ipſam veram. Nullo igitur modo probare poſſunt Ariani, ſe Chriſtum verum Deum credere: licet id verbis ad decipiendos ſimplices & rudes, aſſerant. Nam illa, quæ Chriſto ab ipſis tribuitur Diuinitas, eſt tantùm ſimilitudo & proprietas quaſi quædam Diuinitatis, non ipſa vera Diuinitas.

Chriſtus Arianis Diuini cultus indignus.

Præterea cùm Chriſto naturam Diuinam flagitioſè denegant, nec cultum Diuinum ei tribuere poſſunt: Sola enim Diuina natura, Deum verum facit: ſola cultum Diuinum meretur. Poteſtas verò Diuina abſque natura, ſi cultum Diuinum mereretur, homines quoque & Angeli, ratione Diuinæ poteſtatis, coli pro Dijs poſſent. Nam ſi dicant maiorem eſſe in Chriſto poteſtatem quàm in Angelis, ex eo minime ſequitur, Chriſto ſolùm Diuinum cultum deberi, ſed maiorem quàm Angelis deberi, propter maiorem poteſtatem. ita tamen vt Angelis quoque pro ratione poteſtatis, cultus Diuinus debeatur: quod cùm per ſe abſurdiſſimum ſit & ſcripturis omnino manifeſtè repugnans, nullo modo verum eſſe poteſt, quod aiunt Ariani, Chriſto ratione Diuinæ poteſtatis, Diuinum cultum deberi. Et ſanè ante Chriſti mortem iſti aiunt, hanc poteſtatem in ipſo ſatis imperfectam fuiſſe; negare tamen non poſſunt (niſi lucem in meridie negent) Chriſtum tunc & adorari pro Deo potuiſſe, & à multis ita adoratum fuiſſe.

Quocirca & in Angelis, etiamſi non tanta poteſtas eſſet: quia tamen Diuina eſſet, mereretur ſecundùm iſtos cultũ Diuinũ. aut ſi in illis non meretur, (vt ipſo ſole clariùs eſt,) nec in Chriſto merebitur.

Poteſtatem imperfectã Chriſto tribuunt.

Iam verò cùm in poteſtate nos ſaluandi, Diuinitatem Chriſti collocant, quot ô Deus bone, quamq; grauia abſurda ipſiſq; auribus horribilia, effutire coguntur! Aiunt enim Chriſtum tota vita ſua, aut Deum re ipſa non fuiſſe, niſi prædeſtinatione, aut imperfectè Deum fuiſſe: quo etiam tempore ipſum & poteſtate in omnes homines, Angelos,

Digitized by Google

gelos, Dæmones per ſummam iniuriam ſpoliant; & ſapientiam imperfectam eidem tribuunt, multaq; verè ignoraſſe, ſapientiam Patris æternam per ſummam impudentiam aſſerere non reformidant. vti, quæ hoc toto libro diſſeruimus, teſtantur euidenter. Poſt reſurrectionem verò, ſummam illi poteſtatem verbis quidem tribuunt, re ipſa verò pernegant. Aiunt enim Chriſtum in cœlo nos ſaluare, aſtando vultui Dei & interpellando, offerendoq; ſeipſum pro nobis: qui ſaluandi modus, cùm ſit non ſine dependentia à Deo, non ad ſummam ſed ad dependentem poteſtatem pertinet qualis enim, obſecro, Deus eſt, qui ex ſe nihil poſſit, ſed totus quantus quantus eſt ab alio dependeat: ita vt iſti, mea quidem ſententia, Chriſtum non Deum, ſed Generalem Dei vicariū in nobis ſaluandis conſtituant: nec enim vllam ei poteſtatem concedunt, quæ in vicarium Dei generalem non quadret. Quemadmodum verò vicarius Regis, non eſt Rex, ita Dei vicarium ſequitur non eſſe Deum verum.

Deum impotentem faciunt.

Chriſtum vicarium generalē Dei faciunt.

Nam quod reſpondet Smalcius in ſcriptura eos appellari Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, id ſatis futile eſt: non enim de quacunq; appellatione hic agimus, ſed de tali, qua Dij vera dicuntur. In ſcriptura autem præter vnicum Deum verum, nullus alius Deus verus appellatur. Nam ij, ad quos ſermo Dei factus eſt, Dij ſolùm dicuntur propter Diuinam ſimilitudinem & repræſentationem: Dij tamen veri nec dicuntur, nec dici poſſunt; cùm ſcriptura vnum ſolum verum Deum agnoſcat. Quare, & Dei Generalis Vicarius, dici quidē Deus potuerit, quod Dei locum habeat, at verus Deus appellari non poterit. Verùm hæc & alia cùm ſatis abundè ſupra declarata ſint, hoc loco pluribus agendum non eſt, ſed digito quaſi indicandum, niſi Ariani Diuinam in Chriſto naturam agnoſcant, nunquam effecturos, vt Chriſtus verus Deus eſſe & Diuino cultu dignus credatur, & ex conſequenti, vt ſalus & vita æterna, quæ à ſolo Deo vero petenda eſt, à Chriſto habeatur.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VERBVM CARO FACTVM
SEV
De Diuina VERBI incarnati NATVRA.

Ex primo Euangelij S. Ioannis Capite

Aduerſus nouorum Arianorum errores

DISPVTATIO.

P. Martini Smiglecij SOCIETATIS IESV
S. Theologiæ Doctoris.

Permiſſu Superiorum.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typ.
Anno Domini, 1613.

Digitized by Google

Digitized by Google

JLLVSTRISSIMO DOMINO, D. IOANNI DE GORKA ROSZKOWSKI, Caſtellano Poſnanienſi.

Author Salutem & Felicitatem.

OFFero tibi, vir Ill^{me}, quæ nuper pro Chriſti Dei noſtri honore & gloria, aduerſus ipſius & Religionis hoſtes, & præcipuè impij ac blaſphemi Arij ſectatores, elaboraui; munus quidem exiguum, at amplitudine tua non indignum. Cùm enim ad officium Senatorum ſpectet, Patriæ & Reipub: hoſtes cognoſcere, eorumq́ꝫ machinationibus & fraudibus occurrere; non erit vt arbitror, à Senatoria Tua dignitate alienum, hos quoqꝫ Chriſti & Religionis hoſtes perſpectos habere, eiſq́ꝫ murum te opponere. Niſi fortè exiſtimãdum ſit iſtos minùs, qui impiis ac nefariis doctrinis, quàm illos qui armis, & viribus contendunt, Reipub: obeſſe. Verumenimuerò ſi omnium Regnorum iura, diuina magis prouidentia & ope, quàm humanis præſidiis conſiſtunt; quis non videt, eos publicæ incolumitati

mitati plurimùm nocere, qui Dei honorem ſceleſtis, ac nefariis doctrinis è medio tollunt, Deumq́ ad irã & vindictam prouocant? Sanè quæ fuit olim apud finitimas gentes, ſcriptura diuina atteſtante, de Iudæis exiſtimatio, eos prorſus inexpugnabiles eſſe, ſi ritè Deum ſuum colerent, neq́ aliquo ſe ſcelere, quod Dei iram prouocaret, obſtringerent: id potiori iure Chriſtianis conuenire quis neget? cùm illos Deo magis propter Chriſtum cordi eſſe, ſub eiusq́ prouidentia ac patrocinio manere ſit manifeſtum. Auget verò hominum iſtorum impietatem præceps in ſacris literis exponendis, & ad quoſuis ſenſus detorquendis audacia. qua in re Ariani cæteros omnes Hæreticos impudentiâ facile ſuperant; quod vel ipſum Euangelij à D. Ioanne conſcripti initium luculenter demonſtrat. Fuit illud apud omnes Orthodoxos omnibus ſæculis ſacroſanctũ & ſummo honore, ac veneratione; vtpotè quo Verbi Diuini ea, quæ ante omne æuum eſt exiſtentia, ſumma in rebus creandis poteſtas, humanæq́ naturæ cum Diuina in vnam hypoſtaſim vnio contineretur: ac proinde facile ſibi perſuaderi omnis antiquitas paſſa eſt, non alio conſilio, quàm ad refellendos Ebionis, & Cerinthi errores, qui tum Diuinam

Chriſto

Digitized by Google

Chriſto detrahebant naturam, hoc Euangelium conſcriptum eſſe. quod affirmat inter cæteros D. Hieronymus in illo quem de viris illuſtribus inſcripſit libro. Noſtri verò Ariani tam fœdis cõmentis illud deturparunt, vt nihil priſtini illius ſplendoris, quem tota ſuſpexit antiquitas, reliquerint, & pro D. Ioannis Euangelio, aliud in cerebro ſuo fabricatum, ſi rem ipſam ſpectes, ſubſtituerint. qua in re veteres illos Arianos duces cæterorum & anteſignanos longo interuallo ſuperârunt. Quæ enim illi intacta de æterna Verbi natura, deq; rerum omnium creatione reliquerunt; iſti ea quoq; per ſummum ſacrilegiũ ſuſtulerunt, vnà cum illa, quæ ad redimendos, & ſaluandos homines in Chriſto ſumma eſt poteſtate. Quæ vti aures & mentes Chriſtianæ ferre non poſſunt, ita hoc à me edito libello elaboratum eſt, vt omnia diuinarum literarum teſtimoniis, & rationibus refellerentur. Facilè autem induxi in animum meum, vt ſub tui nominis Ill^me. Domine tutela, ac patrocinio hoc meum opus lucem aſpiceret; cùm te & fortiſſimum, acerrimumq; fidei Catholicæ propugnatorem, & ſinceriſſimum ac ſtudioſiſſimum Societatis noſtræ fautorem, eſſe probè intelligã; ac præcipuè huius Col-

Digitized by Google

legij in quo hæc mihi exarare contigit, beneficum Mœcenatem ſentiam. Accedit quòd animum erga Te meum quem ſemper beneuolum habui, hac potiſsimùm ratione me poſſe teſtari intelligerem. Illud denique me vt tibi potiſsimùm meum hunc laborem dedicarem animū extimulauit, vt quoniam non multo ante tempore nouum dignitatis, & ampliſsimum honoris in Regno Poloniæ gradum Caſtellanatûs Poſnanienſis conſecutus, ac propter ſingularem tuam prudentiam, & in optimarum artium ſtudiis gloriam, ad Reipub: Polonæ clauum gubernandum admiſſus es, Tibi de tanto honore & officio gratuler, fauſtumq́ in eo progreſſum ex animo precer. illudq́ inprimis, vt omnium Chriſtianæ Religionis inimicorum conſiliis, ac machinationibus, & maximè huic pernicioſiſsimæ Arianorum peſti, quâ priuatim, quâ publicè imperterrito animo reſiſtas, deinde vt eo quo cœpiſti Societatem amore, ac ſingulari beneuolentia proſequaris. Viue & vale. In Collegio Karnkouiano Caliſsienſi Societatis IESV 19. Maij. 1613.

Digitized by Google

Diui Ioannis de VERBO doctrina.

1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.
2. Hoc erat in principio apud Deum.
3. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.
4. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum:
5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.
6. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.
7. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.
8. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.
9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
10. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.

11. In

Digitized by Google

VERBVM CARO FACTVM

Seu

De Diuina Verbi incarnati Natura Ex primo Euangelii S. Ioannis capite Aduerſus nouorum Arianorum errores

Diſputatio.

CAPVT I.

Chriſtum non propter Diuinam voluntatem nobis expoſitam, neq; humanæ naturæ reſpectu dici Verbum, contra Arianos oſtenditur.

PRima ſe nobis offert controuerſia, quæq; cæterarum caput eſt & fundamentum, quid Verbi nomine D. Ioannes intellexerit, quamq; ob cauſam eo nomine Chriſtum inſignire voluerit. Et quidem Moſcorouius Arianus cum ſuis Racouienſibus, Socinum ſecutus, Verbi nomen non eſſe naturæ, ſed officii contendit, eoq; non diuinam Chriſti naturam deſignari, ſed munus & officium Legati Chriſto homini impoſitum. In eo enim munere Chriſtum Verbi officio functum eſſe, quia nobis diuinam voluntatem expoſuit, Deusq; per eum nobis locutus eſt.

Moſcorouius Verbi nomen non eſſe naturæ ſed officiũ vult.

Verùm hoc Arianorum commentum, neq; cum ſcripturis, neq; cum ratione rectè conſentit. Nam inprimis, quod ad ſcripturas attinet, cùm innumeri planè ab orbe condito diuinæ voluntatis internuntij ad homines miſſi fuerint, Deusq; locutus ſit *per os Sanctorum, qui à ſecu-* 1.
lo ſunt Prophetarum eius; nullus tamen eorum idcirco Verbi nomine in ſcriptura eſt appellatus: nimirum quia Verbi nomen, munus & officium Legati minimè ſignificat. Si enim ea huius nominis ſignificatio propria & vſitata eſſet: mirum ſanè eſſet, ne vnum quidem hactenus

Refellitur hoc cõmentum.

Nullus in S. ſcriptura ea de cauſa dicitur Verbũ.

inueniri

Digitized by Google

inueniri potuiſſe, qui ea ex cauſa Verbum appellatus ſit, quòd Legati munere & officio fungeretur. Quare neque veriſimile eſt, imo etiam abſurdum D. Ioannem in primo ſui Euangelij ingreſſu, Verbi nomen in tam inſolenti, & inuſitata acceptione vſurpaſſe, quæ vti hactenus fuit inaudita, ita à nemine intelligi potuiſſet; nulla præſertim expoſitione adhibita, vti reuera omnibus antegreſſis ſeculis à nullo fuit hoc modo intellecta, pauculis iſtis Arianis exceptis.

2. *Soli competere Christo nomen Verbi, S. Scriptura testantur.*

Tantùm autem abeſt, vt ſcriptura cæteros diuinæ voluntatis internuntios ad nominis huius communionem admittat, vt eò, veluti propriò nomine, Chriſtum à cæteris diſcernat. Verbi enim nomine in Scriptura nullus alius, niſi CHRISTVS intelligitur, acſi id nomen vnius tantùm perſonæ proprium ſit, nec quiſquam alius præter Chriſtum ſub eo nomine intelligi poſſit. *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ.* Apoc: verò 19. 13. *Et vocatur nomen eius Verbum Dei.* & 1 Ioan: 5. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Quæ loca indicant ita Verbi nomen Chriſto proprium eſſe, vt nullum alium deſignare poſſit; eoq; veluti proprio nomine Chriſtus ab alijs diſcernatur. Quodſi nomẽ ſoli Chriſto proprium eſt, ratio quoq; nominis non debet eſſe communis, qualis eſt illa, quam Ariani adferunt, quòd diuinam nobis voluntatẽ expoſuerit; alioquin in plurimos alios nomen Verbi conuenire oporteret.

Alia Christi nomina cum aliis illi communia sunt.

Dicent fortaſſe Chriſtum præ cæteris omnibus nobis diuinam expoſuiſſe voluntatem, atq; idcirco præ cæteris κατ᾽ ἐξοχὴν Verbi nomen ſibi vendicaſſe. Verùm de alijs quoque Chriſti nominibus, idem dici poſſet, quæ licet præ cæteris Chriſtus ſibi κατ᾽ ἐξοχὴν ſeu ſecundum excellentiam vendicat; habet tamen ea cum alijs communia. Tale eſt nomen Lucis, Paſtoris, Magiſtri, & ſimilia, quæ licet Chriſto κατ᾽ ἐξοχὴν, cæteris tamen idcirco non denegantur, licèt minori quadam perfectione. At verò Verbi nomen ita Chriſto tribuitur, vt is ſolus eo nomine ſemper intelligatur, & ſolus Verbi nomen retineat, atq; à cæteris eo, tanquam proprio nomine diſtinguatur.

3. *Spiritui S. etiam si voluntatem diuinam maximè denunciauerit, non ta-*

Accedit, quodſi Chriſtus ea de cauſa Verbum diceretur, quòd diuinam nobis voluntatem manifeſtaret; eadem proculdubio ratione Spiritus quoque ſanctus Verbum diceretur. is enim eſt, qui nobis diuinam voluntatem maximè expoſuit. Nam Chriſto ipſo teſte, docuit Apoſtolos omnem veritatem: imò & ea, quę Chriſtus ipſe non docuit, quod ea tunc Apoſtoli portare non poſſent: hæc enim ab ipſo Chriſto ad Spiri-

ad Spiritus ſancti aduentum relata fuêre, Ioan: 16. 12. Et tamẽ Spiritus ſanctus in ſcriptura non ſolùm non dicitur Verbum, ſed etiam à Verbo diſtinguitur, acſi Verbi appellatio in ipſum conuenire non poſſit. Nam idcirco D. Ioannes, cùm tres enumerat qui teſtimonium dant in cœlo, Patrem, Verbum, & Spiritum ſanctum, Verbum à Spiritu S. ſecernit, acſi Verbi nuncupatio in Spiritum ſanctum cadere minimè poſſit. Quod ſanè indicat, diuinę voluntatis expoſitionem, non eſſe huius appellationis cauſam. Neq; ſanè vllus vnquam extitit, qui aliquem Verbum ſuum appellauerit, quod ſuæ voluntatis fuerit apud alterum internũtius. Internuntij enim non verba ſed verborum delatores ac interpretes dicuntur.

men attribuitur.

Ad hæc D. Ioannes Chriſtum ante carnem Verbum vocat, antequam nobis diuinam voluntatem exponeret; vt infra patebit. Non igitur diuinæ voluntatis expoſitæ intuitu vocat Verbum. 4.

Ante carnem Chriſtus à S. Ioanne vocatur Verbum

Eſt & aliud huius rei ex ſcriptura argumentum. Quoties enim ſcriptura Chriſtum Verbi nomine inſignit; nullam, vel minimam ab ipſo expoſitæ Dei voluntatis mentionem facit, vt ex locis paulò antè citatis apparet. Cùm verò commemorat, Deum nobis per Chriſtum locutum eſſe, aut diuinam ſuam voluntatem patefeciſſe: tunc illum non Verbi nomine appellat, ſed vel Filij vel vnigeniti, vt Ioan: 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.* & Hebr: 1. 2. *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Quocirca non ſolùm non poſſunt aduerſarij ſuæ expoſitionis rationem, vllo modo ex ſcriptura petere ac demonſtrare: ſed etiam oppoſitum omnino ex ſcriptura colligendum videtur. Exiſtimant quidem aduerſarij illis verbis, *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.* D. Ioannem rationem reddere voluiſſe, quare Chriſtum Verbi nomine appellauerit: ſed falluntur. Longè enim alia eſt D. Ioannis mens & ſententia. Cùm enim eo loco dixiſſet: Non per Moyſen, ſed per Chriſtum veritatem factam eſſe: mox eius rei rationem affert. Quia enim Deum nemo alius præter Chriſtum vidit; ideo nullus alius præter Chriſtum, diuinam voluntatem enarrare nobis potuit. Non igitur eo loco ratio redditur, cur Chriſtus dicatur Verbum; ſed cur ipſe, non Moyſes, diuinas veritates nobis enarrare potuerit: vnde etiam eo loco non Verbi, ſed vnigeniti nomine appellatur, ne Arianis daretur erroris occaſio, exiſtimandi Verbum ob diuinas veritates enarratas dici Verbum.

5.

Chriſtus Verbũ à S. Scriptura dicitur, vbi non eſt mentio explicatæ voluntatis Diuinæ, & contra.

Digitized by Google

Chriſtus Verbum vitæ cur vocatur.

Alij e[illegible]m Chriſtum appellari aiunt, Verbum vitæ. 1. Ioan: 1. quòd vitam [illegible] æternam annunciauerit. At neque ea huius appellationis r[illegible]o aſſignatur: neque eam ob cauſam præcipuè dicitur Chriſtus Verbum vitæ, quòd vitam æternam annunciauerit: ſed potiſſimùm, quòd verè vitam æternam in ſe contineat; vti & initio Euangelij dixit Ioannes: *In ipſo vita erat.* & hîc de vita, quam Verbo tribuit, ait, quod eſſet apud Patrem & apparuerit nobis. Quibus verbis perſonam ipſam Verbi, quæ prius erat apud Patrem, & poſt apparuit nobis, ſignificat. Illud enim Verbum vitæ, cùm nondum apud nos eſſet, ſed apud Patrem, non apparebat nobis: nunc autem poſtquam Caro factum eſt, & habitauit in nobis, apparuit nobis in carne, cùm ante eſſet inuiſibile maieſtate.

Chriſtus in exponenda Dei voluntate, nō Verbi ſed legati officio functus.

Verùm non ſcripturis modò, ſed & rationi ipſi hoc commentum aduerſariorum maximè aduerſatur. Etſi enim Chriſtus diuinam nobis voluntatem expoſuit, tamen in eo non Verbi officio functus eſt, ſed Legati; quam ob cauſam magni conſilij Angelus appellatus eſt. Legati enim id munus proprium eſt, eius à quo miſſus eſt, voluntatem exponere, & ſibi commiſſa loqui; neq; cùm munus ſuum Legatus exequitur, dicitur Verbum, ſed verborum nuncius & interpres. Cùm igitur Chriſtus à Deo miſſus ſit in mundum, vt diuinam nobis voluntatem tanquam Legatus manifeſtaret, non poteſt eam ob cauſam Verbum appellari. Aliud eſt enim Verbi, aliud Legati munus. Etſi enim tam per Verbum, quàm per Legatum voluntatem noſtram exponimus: tamen non vno, eodemq; modo. Nam Legato dicenda committimus, vt quæ audiuit, & commiſſa habuit, loquatur. Verbo autem non committimus dicenda, ſed ipſo verbo dicimus, & dicendo ſecreta animi exponimus. Patet igitur, Chriſtum in exponenda Dei voluntate, non Verbi ſed Legati officio functum eſſe; ſiquidem quæ vidit apud Patrem, quæ audiuit à Patre, quæ mandata & commiſſa accepit, locutus eſt nobis, vti ipſe de ſe teſtatur, quod Legati proprium eſt, non Verbi.

Æquiuocatio Arianorum.

Sanè Moſcorouium cum ſuis æquiuocatio in errorem impulit. Cùm enim per Verbum noſtram voluntatem manifeſtare, & loqui ſoleamus; illico iſti intulerunt Chriſtum Verbum idcirco eſſe, quòd per eum Deus nobis locutus ſit, & voluntatem ſuam manifeſtarit: cùm aduertere debuerint acuti iſti homines, non eo modo nobis Deum ſuam voluntatem manifeſtaſſe per Chriſtum, vti per Verbum manifeſtare ſo-

Digitized by Google

ſtare ſolemus, nec eo modo per ipſum eſſe locutum, quomodo loqui ſolemus per Verba; ſed eo prorſus modo, quo per Legatum ſolemus ſenſa animi noſtri aperire & loqui. Quare ſi in hoc aliquam ſimilitudinem cum Verbo intercedere putant, egregiè falluntur, cùm ea ſimilitudo non Verbi ſit, ſed Legati & nuntii; quæ duo ita ſunt à ſe diſiuncta, ſicut aliud eſt, Verbo aliquid dicere, aliud alteri dicendum committere.

Quo ſenſu Deus per Verbũ nobis locutus eſt.

At dixerit aliquis, nos Catholicos, qui Dei Filium, verum & naturale Dei Verbum eſſe credimus, minimè negaturos, Deum per Verbum nobis locutum eſſe, & ſuam declaraſſe voluntatem. Fateor ſanè. Verùm ita, vt in exponenda Dei voluntate Verbum non Verbi, ſed Legati officio functum eſſe dicatur. Verbum enim, diuinæ naturæ reſpectu, Verbũ eſt: *Deus* enim *erat Verbum.* Ioan: 1. 1. at verò diuinam voluntatem, in humana natura, humano & viſibili modo nobis expoſuit; ita vt diuinæ huius legationis munus, Verbo non ratione ſui, ſed ratione naturæ aſſumptæ competat. Ariani autem quemadmodum diuinam in Chriſto naturam non agnoſcunt: ita nec Verbi propriam rationem: quare dicere verè non poſſunt, Deum nobis per Verbum locutum eſſe, ſed per Legatum & nuntium, hominem ſcilicet illum, cui ſicut Legati nomen conuenit: ita Verbi ratio, abſq; diuina natura conuenire non poteſt.

Chriſtus Verbum, quâ Deus, nõ quâ homo.

Iam verò cùm à Moſcorouio aſſeritur, Verbi nomen & officium humanam Chriſti naturam deſignare, eamq; Verbi appellationem Chriſto, quà homo eſt, propriè tribuendam eſſe; quid eo minus veriſimile, aut diuinis literis magis repugnans dici poteſt? Expreſſè enim D. Ioannes inprimis de Verbo ante carnẽ loquitur, hoc eſt, antequam factum eſſet Caro: deinde verò ad alteram Verbi conſiderationem, hoc eſt, poſtquam factum eſt Caro, deſcendit ℣. 14. Et quidem de Verbo ante carnẽ docet. 1. Quando fuerit? nempe *In principio.* 2. vbi fuerit? nempe *apud Deum.* 3. quid fuerit? nempe *Deus.* 4. quid egerit? nempe quòd *omnia & mundus per ipſum factus ſit.* 5. quantum hominibus in eo poſitum eſſet? ſcilicet, quia *in ipſo vita erat.* His omnibus oppoſita deinde docet de Verbo poſtquam Caro factum eſt: nempe non à principio fuiſſe, ſed in tempore factum eſſe; non apud Deum, ſed apud homines habitaſſe; & cum antè Deus eſſet, carnem factum eſſe; & cùm antè mundum & omnia condidiſſet, tandem etiam gratiam ac veritatem hominibus attuliſſe, deq; ſua plenitudine bona omnia communicaſſe.

Antitheſis Verbi ante carnem & poſt carnẽ.

 Quocirca

Digitized by Google

Quocirca hæc antitheſis Verbi ante Carnem & poſt Carnem, docere Moſcorouium debuit, Verbi nomine Chriſtum, non hominem, ſed Deum intelligendam eſſe. *Deus* enim *erat Verbum*; & ne vna quidem vocula D. Ioannes ſe de Chriſto homine loqui inſinuat. Erat igitur, Ioanne teſte, Dei Filius Verbum, antequam Caro fieret, & priuſquam per illum in carne nobis Deus locutus eſſet; atq; adeo, antequam eſſet illo, quo iſti volunt, modo, Verbum Dei.

Chriſtus Verbũ non figuratè ſed propriè.

Porrò ex his, quæ diximus, duo contra Aduerſarios concluduntur. Alterum eſt; Chriſtum non humanæ naturæ reſpectu dici Verbum, ne figuratè quidem aut impropriè. Nam ſicut Legati munus ad humanam eius naturam ſpectare credendum eſt; ita ſecundum teſtimonia ſcripturarum Verbi rationem ad diuinam. Figura verò ſi quæ eſſet, ea in acceptione Verbi metaphorica eſſet poſita, quòd per hominem Chriſtum, tanquam per Verbum ſuum Deus nobis locutus ſit. Atqui iam demonſtratum eſt, Chriſtum in eo non Verbi ſed Legati officio functum eſſe, nec vllam in eo Verbi ſimilitudinem habuiſſe, vt propterea Verbum dici poſſit. Alterum eſt, quod ex priori ſequitur; Chriſtum eſſe proprium & naturale Dei Verbum in Deo naturaliter exiſtens, quo Deus loquitur & facit omnia. Neceſſe enim eſt, Chriſtum aut propriè aut impropriè dici Verbum: cùm igitur impropriè dici non poſſe oſtenſum ſit, conſequens eſt propriè dici debere. Porrò proprium Dei Verbum, in Deo naturaliter exiſtit, eſtq; illi conſubſtantiale. Idem ſuaderi ex eo poteſt, quòd quæcunq; de illo Verbo in Deo naturaliter exiſtente dicuntur: eadem quoq; de Chriſto affirmantur, vt ex capitibus ſequentibus patebit.

CAPVT II.

Verbum in Deo naturaliter exiſtens, non eſſe accidens, ſed conſubſtantiale & coæternum Deo, non creatum, nec factum.

Verbũ in Deo naturale.

NEgari non poteſt, Deum habere proprium & naturale Verbum, quo loquitur & omnia facit. Scriptura enim Deum loquentem, & Verbo ſuo omnia facientem inducit, vt in prima rerum creatione manifeſtum eſt. *Dixit* enim, *& facta ſunt; mandauit, & creata ſunt*, & *Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et ſanè magna perfectio naturæ intelligentis eſt, loqui, & animi ſenſa, Verbo exponere; eaq; facultate carere, magnum malum eſt, & imperfectio, vt in mutis

Digitized by Google

mutis cernimus. Quod ſi in rebus creatis magnũ id malum eſt, quanto maius in Deo erit? Hoc enim eſſet, Deum mutum & elinguem facere.

At fortè quis exiſtimauerit, ſatis eſſe, voces quaſdam externas in aëre formari à Deo, vt earum interuentu Deus loqui dicatur. Verùm id nullo modo admitti poteſt: tales enim ſonos & voces etiam mutus, qui loquendi facultate caret, formare arte & ingenio poteſt. Angelus etiam, cum in ore aſinæ Balaam ſimiles ſonos efformaret, ipſe propriè non loquebatur. Quod in Dæmonibus manifeſtũ eſt, cùm in obſeſſis corporibus per naturalia vocis inſtrumenta voces efformant; tunc enim loqui propriè non cenſentur. Loqui enim eſt, propria & vitali facultate intra ſe formare verba ad ſenſus animi explicandos; neq; vox exterior, niſi ad internum Verbum referatur, ſortitur Verbi nomen, ſed ſonus ſimplex cenſetur. Quocirca neq; Deus per ſe loqui cenſendus eſſet, ſi nihil aliud quàm voces externas extra ſe excitaret. ipſe enim ſecundum ſe mutus & elinguis eſſet; & quidem non aliquo tempore tantùm, ſed per omnem æternitatem: maximè cùm in tota illa æternitate, ne corporeas quidem voces vllas formauerit. *Voces externæ ſine internis non ſunt Verba.*

Accedit, voces iſtas externas eſſe propriè corporum voces, non animorum, vt potè à corporibus per inſtrumenta corporea in corporibus elaboratas. Alias voces dari oportet, quæ ſpiritui cõgruant, quæq; corporis adminiculo non egeant. Eiuſmodi voces ſunt Angelorum, ſpirituales planè & intelligibiles, quas non in aëre effigurant, ſed mẽte menti alterius imprimunt, tunc cùm inter ſe colloquũtur. Eiuſmodi voces ſunt etiam hominum, quibus in corde loquuntur; quarumq; etiam voces in ore editæ, ſunt imagines & ſigna. De his illud intelligitur Pſal: 4. 5. *Quid dicitis in cordibus veſtris?* Quapropter ſi ſingulis naturis voces illis proportionatæ & conuenientes tribuendæ ſunt; Deo etiam Verbum diuinæ eius naturæ proportionatum, hoc eſt, ſpirituale, & intellectuale tribui debet. *Verbũ Spirituale.*

Eo porrò Verbo in prima rerum creatione vſus eſt Deus, cùm diceret, *Fiat lux; Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Neque enim corporeum illud Verbum fuiſſe exiſtimandum eſt, cùm nulli tum homines eſſent, propter quos Verba corporea formari deberent. Angeli enim, cùm ſint incorporei, corporeis vocibus non indigebant. Neq; vero ad Angelos Verbum illud dirigebatur, ſed ad res ipſas: Eas enim Verbo ſuo vòcabat Deus, vt fierent, iuxta illud Apoſtoli: *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* Et Hebr: 11. *Fide in-* *Verbũ quo res creatæ ſunt non erat corporeum.*

Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula Verbo Dei, vt ex in inuiſibilibus viſibilia fierent, hoc eſt, ex non exiſtentibus exiſtentia. Quo Verbo ipſi etiam Angeli vocati, eſſe cœperunt: & quemadmodum aliæ res omnes, dicente Deo, vt fierent, conditæ ſunt: ita & de Angelis exiſtimandum eſt. Quo tamen tempore nullæ adhuc naturæ intelligentes exiſtebant, ad quas Verbum illud, quo Angeli vocati ſunt vt exiſterent, dirigeretur: ita vt omnino fatendum ſit, non corporeo, ſed ſpirituali Dei Verbo tam Angelos, quàm reliqua omnia condita eſſe. Illa verò oratio in hominis creatione adhibita, non ea ſolùm ex parte incorporea erat, quòd nullus eſſet, in cuius gratiam voces corporeæ adhiberentur; verùm etiam quòd ad diuinas perſonas, quæ vocibus corporeis non egent, refertur. Neq; enim Angelos allocutus eſt Deus, cùm diceret: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; cùm neq; Angelorum miniſterio conditi ſimus; neq; ad vllius rei creatæ imaginem, ſed Dei tantùm, ſimus à Deo facti. Ad diuinas igitur perſonas refertur, quod dicitur; *Faciamus.* Neq; enim, ſi vna ſola perſona eſſet, diceret Deus, *Faciamus*; neq; ob maieſtatem quandam more principum plurali voce vſus fuiſſet, cùm eum maieſtatis modum Deus paſſim alibi non obſeruet, ſed vbiq; ferè ſemper in ſingulari de ſeipſo loquatur. Quare concedendum neceſſariò eſt, plures perſonas eſſe, ad quarum imaginem homo fuerit conditus, eaſq; perſonas non eſſe niſi diuinas: quum abſurdum ſit dicere, nos ad alterius cuiuſpiam, præterquam ad ſolius Dei imaginem conditos eſſe. Quod etiam Sancti Patres ex hoc loco rectè docuerunt, quemadmodum & in eo quod adiungitur, *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam,* vnitatem naturæ harum perſonarum indicari annotarunt. Scilicet illi plures, ad quos dixit Deus, *Faciamus*, ſunt vnus Deus, qui creauit hominem ad imaginem ſuam. Ex his igitur manifeſtum eſt, Verbum, quo Deus ipſe loquitur, non eſſe corporeum, ſed ſpirituale, vt pote diuinæ ipſius naturæ proportionatum.

Plures diuinæ perſonæ in hominis creatione.

Verbũ Deo conſubſtantiale.

1\. Eſt porro hoc Dei Verbum non accidens aliquod, neq; quid à ſubſtantia Dei diuerſum, ſed idem cum Deo, & ipſi conſubſtantiale. Si enim conſubſtantiale Deo non eſſet, accidens Dei procul dubio eſſet: in Deo autem accidẽtia eſſe non poſſunt. Veriſſimumq; eſt illud Theologorũ pronunciatum, Quicquid in Deo eſt, Deus eſt. Nam & de charitate, quæ in Deo eſt, dicit Ioannes, *Deus charitas eſt*; & de luce, *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Quod ſi charitas in Deo Deus eſt, Verbum quoque in Deo Deus erit: non magis enim vnum quàm alterum

ad Dei

Digitized by Google

ad Dei eſſentiam ſpectat. Ad hæc, ſi in Deo accidentia eſſent, Deus non eſſet ſummè ac infinitè in ſua ſubſtantia perfectus, ſed aliquam perfectionem ſuam ab accidentibus acciperet, nec eſſet omnino immutabilis, cùm id, quod accidẽtibus ſubijcitur, mutari poſſit: Deniq; non eſſet ſimpliciſſimus, ſed ex ſubſtantia & accidente compoſitus. Abſurdè autem Statorius, cùm in Deo accidentia non admittat, Verbumq; in Deo accidens eſſe neget; concedere nihilominus non vult, Verbum eſſe Deo conſubſtantiale. Luce enim clarius eſt, ſi Verbum in Deo ſit à ſubſtantia eius diuerſum, accidens eſſe, aut ad modum accidentis: ſi verò non ſit diuerſum à Dei ſubſtantia, eſſe idem cum Dei ſubſtantia, & conſubſtantiale Deo. Neq; id à quopiam negari poteſt, niſi qui, quid ſit eſſe accidens, ignoret. Omnes ſiquidem id accidens eſſe fatentur, quod rei aduenit præter ipſius ſubſtantiam, & quod ad rei ſubſtantiam accedit; atq; vt Logici docent, adeſſe & abeſſe poteſt præter ſubiecti corruptionem.

Quæ cùm ita ſe habeant, ſequitur inprimis, Verbum in Deo naturaliter exiſtens, eſſe coæternum Deo; alioqui accidẽs eſſet. Id enim, quod aduenit rei, cùm antè non eſſet, accidens eſt. Quapropter, quicquid in Deo eſt, ſemper eſſe, & ab æterno oportet, tum ne in Deo accidentia ponantur, tum ne Deus mutationi ſubiaceat. Si enim noui aliquid accederet Deo, quod antè non habebat, mutaretur. Iam verò ſi Verbum, vti diximus, non eſt accidens, ſed quid conſubſtantiale Deo; quemadmodum ſubſtantia Dei eſt æterna, ita & Verbum neceſſe eſt æternum eſſe. Deniq; abſurdum eſt, Deum per totam æternitatem ſine Verbo fuiſſe mutum & elinguem, neq; ſuam mentem & voluntatem Verbo exponere potuiſſe: eſt igitur Verbum coæternum Deo. Quanquam Verbum ab æterno in Deo eſſe ita aſſerimus, vt eius manifeſtationem in tempore fieri non negemus, imò cùm Deus Verbum & decretum ſuum æternum ſignis & vocibus externis, hominibus manifeſtat, loqui in tempore dicitur, ita tamen, vt Verbum eius internum præternum ſit, & ſola eius manifeſtatio in tempore.

Verbũ Deo coæternum. 1. 2. 3.

Illud præterea conſequitur, Verbum hoc eſſe increatum, & non factum. Nihil enim quod in Deo eſt, factum dici poteſt. Id enim, quod in Deo exiſtit, eſt conſubſtantiale Deo, & idem, quod ipſe Deus. Quemadmodnm igitur Dei ſubſtantia non eſt facta; ita & id, quod in Deo eſt, factum dici & creatum nequit. Rectè verò D. Auguſtinus ad eam rem argumẽtatur: ſi Verbum Dei factum eſt, dari oportet aliud

Verbũ non factum 1. 2.

Digitized by Google

Verbum, per quod Dei Verbum factum ſit. Etenim Deus per Verbum facit, quæcunq; facit. Quod ſi Verbum ipſum facere potuit abſq; alio Verbo, cæteras quoq; res eadem poteſtate ſine Verbo facere potuit: neq; neceſſe eſſet per Verbum à Deo omnia fieri, cùm tamen is ſit proprius & naturalis Dei modus agendi, naturæq; eius intelligenti conſentaneus. Quod ſi quis opponat: Verbi naturam eſſe, vt dicatur, & dicendo fiat: Reſpondendum eſt, Verbum diuinum produci quidem neceſſarium eſt; (producitur enim cùm dicitur) non tamen neceſſe eſt fieri vel creari: hoc enim eſt rerum creatarum. Quod enim creatur, ex nihilo producitur; quod verò fit, ex aliqua materia fit. Quod autē generatur, ex ſubſtantia gignentis generatur. Verbum autē in Deo exiſtens, neq; ex nihilo, neq; ex aliqua materia productum eſt, ſed ex ipſa Dei mente & ſubſtantia natum eſt, cùm proprium ſit Verbi ex notitia (quam etiam Verbū exprimit & repræſentat) in mente naſci.

Verbū producitur non fit.

Quocirca & apud doctiores Iudæos de Verbo, per quod Moyſes omnia facta eſſe dixit, perſuaſiſſimum & receptiſſimum erat, vt illud eſſe Primogenitum Dei Filium crederent, & faterētur. Probat id multis Euſebius 7. de Præparatione Euang: cap: 5. ex Philone Iudæo, qui in primo & ſecundo de Agricultura ex Sententia Iudæorum docet, Verbum, quo machina mundi conſeruatur, eſſe Primogenitum Dei Filium ſempiternum, & ex Patre genitum. Quæ opinio à Iudæis ad Gentiles deinde dimanauit. Nam & Mercurius Triſmegiſtus in Pymandro, & Plato 6. de Repub: cum Iudæis, idem de Verbo Dei Filio ſenſerunt, & ſcriptis conſignatum reliquerunt. Sed & Paraphraſtes Chaldæus loco nominis Iehouæ, nomen Verbi in ſua tranſlatione in omnibus iis ſententiis ponit, quas ad Filium Dei pertinere arbitratur, eoq; ipſo docet, Verbum, Deum Iehouam eſſe. Ea igitur cauſa fuiſſe exiſtimanda eſt, quod D. Ioannes ex omnibus Chriſti nominibus, Verbi nomen Euangelij ſui initio delegerit, eoq; potiſſimùm veluti Iudæis vſurpatiſſimo & maximè familiari Chriſtum deſignārit.

Quid de Verbo Iudæi.

Gentiles.

CAPVT III.

Verbum eſſe perſonam, & vnicum Dei Filium, aduerſus Moſcorouium & Statorium oſtenditur.

CVm negare Ariani non poſſint, Verbum in Deo naturaliter exiſtens: illud tamen omnibus viribus negare contendunt, Verbum illud

Arianorū cratiūcula.

illud perſonam eſſe, vel Dei Filium dici poſſe; ſed vnum ex Dei attributis, quale eſt ſapientia, bonitas, potentia. Nam ſi Verbum ſit perſona (inquiunt) innumeras in Deo perſonas ſtatuere neceſſe eſſet; tot nempe quot ſunt diuina attributa. Adhæc, perſonam in perſona eſſe repugnat. Cùm perſona ſit in ſe, & per ſe ſubſiſtens: Verbum autem neceſſe eſt in Deo eſſe, non igitur eſſe poteſt perſona. Multo minùs verò, inquiunt, dici poteſt Filius Dei. Quod enim non eſt perſona, nec Filius dici poteſt. De Dei verò ſubſtantia aliquid generari, putant prorſus eſſe impoſſibile. Si enim ex parte diuinæ ſubſtantiæ dicatur eſſe generatio, ſtatuetur diuina ſubſtantia diuiſioni & compoſitioni ſubiecta: Si verò ex tota Dei ſubſtantia; ea alteri communicari non poteſt, cùm ſit ipſiſſima Dei perſona. Hæc iſti.

Nos contrà dicimus; Verbum in Deo naturaliter exiſtens perſonam eſſe. Eſt enim ipſa Dei ſubſtantia. (neque enim accidens eſt) Dei verò ſubſtantiam eſſe per ſe ſubſiſtentem non eſt dubium. Quod ipſum D. Ioannes indicauit, cùm ait: *Deus erat Verbum.* Deus enim eſt quid per ſe ſubſiſtens, & perſona. Neq; enim cogitandum eſt, Verbum in Deo eſſe proprietatem quandam, ſed ſubſtantiam eamque viuentem & intelligentem, & vitam ac intellectum omnibus communicantem. In nobis, Verbum eſt accidens, non ſubſtantia: In Deo autem locus accidentibus non eſt, ſed quicquid eſt, ſubſtantia eſt. In nobis, Verbum non eſt omnipotens: in Deo verò omnia poteſt, & totam Dei poteſtatem in ſe complectitur. Siquidem quicquid Deus in rebus creatis poteſt, Verbo poteſt; & quicquid facit, Verbo facit: eamq; ob cauſam neceſſe eſt, Dei Verbum eſſe viuens & intelligens, cùm vitam & intellectum omnibus tribuat. *Verbũ eſt perſona nõ proprietas.*

Nam ſi quis cogitet, Verbum hæc omnia efficere ad modum inſtrumenti; is ex eo refellitur, quòd Verbum cùm ſit Dei ſubſtantia, & ipſe Deus, inſtrumentum Dei dici non poteſt. Semper enim inſtrumentum eſſe debet à cauſa efficiente diſtinctum, nec ad eius ſubſtantiam pertinens. Nam neque ſubſtantia cauſæ efficientis, eſt ipſius inſtrumentum: neque inſtrumentum, eſt ſubſtantia cauſæ efficientis. Non igitur Verbum cùm vitam & intellectum rebus omnibus tribuit, inſtrumenti rationem habet; ſed cauſæ præcipuæ & principalis; cauſa verò præcipua vitam & intellectum alijs conferens, ipſa quoq; viuens & intelligens vt ſit oportet. *non inſtrumentum.*

At opponet fortaſſe quiſpiam, Verbum non per ſe operari, ſed

Deum per Verbum; vt idcirco debeat Verbum inſtrumenti rationem habere. Verùm ad hoc aliàs reſpõſum eſt. Verbum enim, quà refertur ad eum, cuius eſt Verbum, eſt id, per quod Deus agit. Quà verò eſt ipſum per ſe ſubſiſtens, ipſum quoque per ſe agere dicitur. Quare cùm Deus agere dicitur per Verbum; id ita accipiendum eſt, vt agat tanquam per id, quod eſt idem cum ipſo & conſubſtantiale ipſi, non verò tanquam per inſtrumentum, quod ab agente diſtinctum eſſe oportet. Hinc verò manifeſtum eſt, cùm Verbum in Deo ſit ſubſtantia viuens & intelligens, negari non debere, eſſe quoq; perſonam: Nam & Aduerſarij ipſi perſonam definiunt naturæ intellectualis indiuiduam ſubſtantiam.

Non omnia diuina ſunt perſonæ.

Facilè verò eſt Aduerſariorum obiecta diluere. Nam quod aiunt innumeras fore perſonas, negandum eſt. Etſi enim cætera quoq; Dei attributa ſint ſubſtantia, & idem cum perſona diuina: tamen peculiarem & diſtinctam perſonam non conſtituunt. Vt enim ſubtiliter Theologi noſtri ex Sanctorum Patrum ſenſu docent, propter ſummam naturæ diuinæ ſimplicitatem omnia in Deo ſunt vnum, vbi non obſtat relationis oppoſitio; ſoliſq; relationibus originis, diſtinctæ & peculiares perſonæ conſtituuntur. Cùm igitur nulla ſit aliorum attributorum in Deo origo; ſed Verbi tantùm & amoris: idcirco nulla alia attributa cõſtituunt diſtinctas & peculiares in Deo perſonas, ſed ſunt vnum & idem cum tribus diuinis perſonis. Et quidem Verbi origo eſt per intellectum, Amoris per voluntatem, præter quas nulla alia origo in Deo ad intra inueniri vel excogitari poteſt; quare nullæ quoq; aliæ perſonæ in Deo inueniuntur præter Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; inter hos enim quæ in Deo eſt, origo verſatur.

Perſona quo ſenſu repugnet eſſe in alio.

Conſimili ratione alia quoque, quam maximi Statorius facit, quamq; frequẽtiſſimè repetit & vrget, obiectio diluitur; nempe quòd perſonam eſſe in perſona ſequeretur. Neq; enim omni ratione abſurdum eſt perſonam in perſona eſſe. Nam & Deus in hominibus eſſe dicitur, & Chriſtus non ſemel affirmat, ſe in Patre & Patrem in ſe eſſe; & in omnibus rebus creatis per eſſentiam, præſentiam, potentiam Deus à Theologis exiſtere dicitur. Is ergò ſolùm modus exiſtendi perſonæ in perſona repugnat, qui rei per ſe ſubſiſtenti repugnat, & tollit à perſona, per ſe ſubſiſtentiam. Hic porrò modus eſt eſſe in alio cum dependentia in exiſtendo. Hac enim dependentia poſita, tota perſonæ & rei per ſe ſubſiſtentis ratio tollitur: cùm per ſe & vi ſua ſubſiſtere non

Digitized by Google

re non poſſit, quod in exiſtendo ab alio dependet, vt in formis naturalibus & accidentibus videmus. Porrò cùm Verbum in Deo eſſe dicimus; non aſſerimus aliquam Verbi in exiſtendo dependentiam, cùm non per modum formæ vel accidentis in Deo exiſtat, ſed ſit per ſe ſubſiſtens, & Deus ipſe. Exiſtit verò in Deo Verbum per communem & eandem cum Deo eſſentiam ac naturam. Vt enim ſi duorum hominum vna eademq; eſſet anima in duobus corporibus, vnus in alio eſſe & habitare propter cõmunem animam diceretur; ita propter communem Dei & Verbi naturam, & Verbum in Deo, & Deum in Verbo eſſe affirmamus. Quam mutuam diuinam perſonarũ inhabitationem in ſeipſis Græci Patres περιχωρήσιν, hoc eſt circum inceſſionem vocauerunt. Ex quo apparet, nullum eſſe, quod Statorius metuebat, abſurdum, perſonam in perſona, eo quo diximus modo exiſtere.

Oſtendimus, Verbum in Deo exiſtens perſonam ſubſiſtẽtem eſſe; oſtendamus eſſe quoque ipſum Dei Filium. Id enim, quod ex Dei ſubſtantia ſimile in natura generatur, eſt verus Dei Filius; Verbũ autem ex Dei ſubſtantia ſimile in natura generatur; Eſt igitur Verbum verè Dei Filius. Id quod in hunc modum declarari poteſt. Et enim Verbum ſine generatione ſeu productione ne intelligi quidẽ poteſt. Eſſe enim Verbum, eſt produci à dicente; imò ipſum dicere, eſt Verbũ producere. idemq; eſt negare, produci Verbum, & dici. Quare ſicut fieri non poteſt, vt Verbum ſit, & non dicatur; ita poſſibile non eſt, Verbum eſſe niſi producatur. Porrò Verbum non ita producitur in Deo, vt ſit quid extraneum à Dei ſubſtantia. eſſet enim accidens Dei; ſed vt quid conſubſtantiale Deo & Dei ſubſtantiam continens. Quocirca neceſſe eſt ex Dei ſubſtantia generari. Diuina verò ſubſtantia, cùm partes non habeat, non poteſt niſi tota à Verbo haberi. Quòd ſi tota Dei ſubſtantia eſt in Verbo, neceſſe eſt Verbum ſimile eſſe Deo in natura. Quid ni enim Deo ſimile ſit, cùm totam Dei eſſentiam in ſe complectatur? Verbum igitur in Deo ita producitur, vt ſit in natura Deo ſimile, ac ex conſequenti ita, vt ſit Filius Dei: quid enim aliud ad Filii generationem requiritur? *Verbũ eſt ipſe Dei Filius.*

Nam quòd aiunt, non generari ex Dei ſubſtantia; id iam ex eo refutatum eſt, quod neceſſe ſit Verbum generari cõſubſtantiale Deo, cùm non ſit accidens, ſed ipſa Dei ſubſtantia. Quocirca vti neceſſarium eſt Verbum in Deo produci: ita quoque neceſſarium eſt, vt ex Dei ſubſtantia producatur. Neque enim alius modus Verbum producendi, *Ex ſubſtantia Dei generatur.*

 qui De-

qui Deo conueniat, excogitari poteſt. Neque verò nobis incredibile videri debet, Verbum Dei Filium dici. Deus enim quemadmodum natura eſt ſpiritualis, non corporea: ita ſpirituali non corporea, hoc eſt, mentis & intelligentiæ actione generat. Id verò quod mentis & intelligentiæ actione producitur, eſt Verbum. Quod cùm in Deo, neque ex nihilo, neq; ex materia extrinſeca generari poſſit, Conſequens eſt, vt ex Dei ſubſtantia generetur. Non igitur alia actione Deus Filium generat, ſed ea, qua Verbum: & verbi generatio eſt ipſa Filij productio: ita vt eam ob cauſam D. Ioannes nomen Verbi, Filio Dei attribuerit, quòd Dei naturalis Filius nihil aliud ſit, quàm naturale Dei Verbum; & Verbum naturale Dei, nihil aliud ſit, quàm Filius.

Non id eſt impoßibile.

At enim aiunt, impoſſibile eſſe ex Dei ſubſtantia generari aliquid. Nos contrà dicimus, impoſſibile eſſe, Dei Filium non ex ſubſtantia Dei generari, cùm hoc ſit eſſe Filium, Patris ſanguinem vel ſubſtantiam participare, eſſeq; carnem de carne Patris, ſanguinem de ſanguine, ſubſtantiam de ſubſtantia. Aut igitur impoſſibile eſt, eſſe Verbum, Dei Filium (quod ſcripturis repugnat) aut impoſſibile non eſt de Dei ſubſtantia generari. Simili ratione dicimus, aut Verbum in Deo produci eſt impoſſibile, aut impoſſibile non eſt ex Dei ſubſtantia produci: cùm oſtenſum ſit, non poſſe niſi conſubſtantiale Deo produci, quod eſt produci ex Dei ſubſtantia.

Ex totà Dei ſubſtantia generatur.

Cùm porrò quærunt, num ex tota Dei ſubſtantia, vel ex aliqua eius parte Dei Filius generetur: reſpondemus, ex tota generari: non enim habet partes Dei ſubſtantia, neq; poteſt niſi tota Filio communicari: neq; tamen ex eo ſequitur perſonam Patris, Filio communicari, hoc enim eſt impoſſibile, cùm alia ſit perſona Patris, alia Filij: ſed tota eſſentia Patris communicatur ſalua hypoſtaſi & ſubſiſtentia Patris, qua neceſſe eſt vt differat à Filio, quemadmodum in eſſentia vnum eſt cum Filio. Neq; verò Dei ſubſtantia, perſonæ rationem habet, niſi cum hypoſtaſi ſeu ſubſiſtentia ſumatur. Quocirca cùm tota communicatur Filio: non idcirco perſona Patris, Filio communicatur. Quanquam cùm myſterium hoc altiſſimum ſit & rationem omnem ſuperans (*generationem enim eius quis enarrabit*) non demonſtrationes à nobis requirendæ ſunt, ſed aduerſæ obiectiones refellendæ, nihilque in eo, quod fide credimus, contradictionis ineſſe oſtendendum.

CAPVT

Digitized by Google

C A P V T IIII.

Chriſtum eſſe illud Verbum, quod naturaliter in Deo exiſtit, per quod facta ſunt omnia.

MOſcorouius cum ſuis Racouianis concedit quidem Chriſtum eſſe Verbum, at non illud in Deo naturaliter exiſtens, tum quòd Chriſtum quà homo eſt & ratione officij opinatur dici Verbum; tum quòd Chriſtus ſit perſona; Verbum autem in Deo exiſtens (ipſius quidem ſententia) non eſt perſona.

Nos porrò Moſcorouium eo primum argumento conuincere poſſumus. Neceſſe namq; eſt Chriſtum aut propriè aut impropriè & figuratè dici Verbum. Cùm igitur impropriè & figuratè dici Verbum non poſſit, vt oſtenſum eſt, conſequens eſt, propriè dici. Porrò Verbum propriè dictum illud ſolùm eſt, quod in Deo naturaliter exiſtit, quoq; Deus loquitur, & facit omnia. Hoc igitur Verbum eſt Chriſtus, Ioanne teſte. Id namq; ex ipſis D. Ioannis verbis apparet. Sic enim ait: *In principio erat Verbum.* Si enim rem aliquam antè nominaſſet, quàm diceret eſſe Verbum; eſſet veriſimile Verbi nomen non propriè ſed accommodatè ad eam rem, cui tribuitur, accipi poſſe. At cùm nullam rem aliam nominat, cui Verbi nomen tribuendum eſſet, neceſſe eſt, Verbi nomen ſecundum ſe & ſecundũ ſuam propriam & eſſentialem rationem ab eo vſurpatum eſſe. Quoties enim abſolutè & abſq; vlla reſtrictione vocibus vtimur, ſemper eas in natiua ſua & propria ſignificatione ſumimus. Certè ſi Verbum ad aliquam aliam rem referretur; vtiq; nominaſſet illam Ioannes, nec abſolutè de Verbo locutus fuiſſet, ſed de illa re, quæ Verbum eſſet. At quia abſolutè de Verbo loquitur in toto hoc ſui Euangelij exordio; eo ipſo oſtendit ſe non de alia aliqua re, quæ ſit & dicatur Verbum, loqui, ſed de ipſo Verbo ſecundùm ſuam eſſentiam & naturam.

Primum argumentum, Chriſtus proprium Verbum. 1. 2.

Non eſt autem neceſſe probare, Verbum Dei in prima ſua & natiua ſignificatione acceptum, illud ſolùm, quod in Deo naturaliter exiſtit, deſignare; ſicut & Verbum hominis, illud primò & propriè dicitur, quod eſt in homine, & ab homine naturaliter formatum. Nam etſi alia quoq; dicuntur Dei verba, tamen non niſi ea ratione Verba dicuntur quatenus ad illud, quod in Deo eſt, Verbum aliquo modo referuntur. Sic voces externæ, quibus Deus aliquando vſus eſt, quæq; ſunt

Verbũ Dei propriè eſt, quod eſt in Deo.

Digitized by Google

ſunt in Scriptura ſacra, literis conſignatæ Verba Dei dicuntur, non quòd ſint eſſentiale ipſum Dei Verbum; ſed quòd Dei verbum ſignificent & exprimant; ipſæ verò ſecundm ſe ſunt corporeæ voces ab hominibus formatæ. Ridiculusq; mihi videtur Moſcorouius, cùm Petro Skargę tanquam rem valdè abſurdam obiicit, quòd dixerit Verbum Prophetarum non eſſe propriè Verbum Dei. Quod non tam facilè pronunciaſſet Moſcorouius, ſi ſuam, qua laborat, æquiuocationẽ animaduertiſſet. Nam negare nullo modo poteſt, illas voces, quas Prophetæ elocuti ſunt, & ſcriptis conſignarunt, eſſe quo ad eſſentiam humanas voces, & ab hominibus formatas; non ore Dei, ſed ore Prophetarum. Voces autem hominum propriæ, nõ ſunt propriè Dei Verbum: ſolùm igitur ea ratione dicuntur Dei Verbum, quòd Dei Verbum ſignificent & repræſentent. Quare ſi quis Verba Prophetarum negaret verè Verbum Dei eſſe ſignificatiuè, ita vt quod illis Verbis ſignificatur non ſit verè Verbum Dei, is proculdubio abſurdè loqueretur. At qui ea negat quo ad eſſentiam eſſe Verba Dei; ſed concedit quoad ſignificationem, is non abſurdus eſt, ſed id, quod omnes fateri debent, affirmat: Ex quo patet negari non poſſe, illud ſolum, quod in Deo exiſtit, eſſe propriè Verbum Dei: cætera verò non niſi vt ad illud repræſentando referuntur.

Moſcorouii æquiuocatio.

Secundum argumentum. Verbum in Deo exiſtẽs Caro factũ.

Alterum argumentum eſto. Cùm D. Ioannes ſui Euangelij initio de Verbo agit, Verbum illud in Deo exiſtens intelligit. Atqui hoc ipſũ Verbum ait eſſe Carnẽ factum, & vnigenitum Dei Filium, ergo illud Verbum in Deo exiſtens vult Chriſtum eſſe. Tota vis argumenti huius in prima propoſitione probanda poſita eſt: quæ etſi ſequentibus capitibus copioſè probabitur; tamen hoc etiam loco paucis demonſtranda eſt. Nam ea de Verbo docet hoc loco Ioannes, quæ illi Verbo in Deo exiſtenti veriſſimè quadrant. Hoc enim ita eſt in Deo, vt non ſit accidens, ſed ipſa Dei ſubſtantia, atq; adeò Deus ipſe: *Deus* autem Ioanne teſte *erat Verbum*. Ad hæc, cùm ait Verbum *in principio*, hoc eſt, antequam omnia fierent (*omnia enim per ipſum facta ſunt*) *apud Deum fuiſſe*, an non æternitatem Verbi in Deo exiſtentis deſignat? Addit, *omnia per ipſum facta eſſe, & ſine ipſo factum eſſe nihil, quod factum eſt*: quod Verbo illi in Deo exiſtenti propriiſſimè cõpetit. Deniq; *in ipſo vitam fuiſſe* ait. at hoc Verbi illius in Deo exiſtentis proprium eſt. Eo enim Deus vitam non naturalem ſolùm, ſed & ſpiritualem hominibus tribuit. Quis non videt hæc omnia Verbo illi diuino ita cõgruere, vt ſi D. Ioannes

Digitized by Google

nes de Verbo in Deo exiſtente loqui voluiſſet, non aliud quid, quàm quod hoc loco ſcripſit, dicere potuiſſet? De illo enim Verbo in Deo exiſtente veriſſimè dicitur. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. In ipſo vita erat &c.* Scio dicturos Aduerſarios, nō eo ſenſu hæc apud Ioannem accipienda eſſe, vt in illud Verbum in Deo exiſtens conueniant: verùm & illi nullam huius rei probabilem coniecturam afferent, & eorum obiecta diligenter à nobis deinceps refellentur. hoc autem loco ſatis nobis eſt: Verba Euangelij, vt ſonant, Verbo illi diuino aptiſſimè cohærere. paulò antè etiam probauimus, D. Ioannem de Verbo propriè, abſolutè, & ſecundùm ſuam naturam loqui. Verbum autem propriè acceptum eſt illud, quod in Deo exiſtit.

Tertium argumentum ex eo ſumitur, quòd Chriſtus ſecundùm ſcripturas eſt vnicus & vnigenitus Dei Filius. Verbum autem in Deo exiſtens, demonſtratum eſt, eſſe Filium Dei, ex Dei ſubſtantia ab æterno genitum. Aut igitur duos Dei Filios admittere oportebit, Chriſtū & Verbum; aut fatendum erit, Chriſtum eſſe Verbum illud in Deo exiſtens. Quam fidem de Verbo quòd ſit primogenitus Dei Filius, etiam doctiſſimi Iudæorum (vti ex ſcriptis eorum manifeſtum eſt) habuerunt, & Philoſophis Gentilibus eandem communicarunt, vt paulò antè commemorauimus.

Tertium argumentum. Verbum in Deo exiſtēs eſt Filius Dei.

Iam verò cùm Aduerſarij opponunt, Chriſtum ſecundùm naturam humanam, & quòd officio Verbi in ea ſit functus, Dei voluntatem nobis manifeſtando, dici Verbum: id iam ſupra refutatum eſt: Nam & D. Ioannes de Verbo ante carnem loquitur, & non hominis ſed Dei meminit. *Deus,* inquit, *erat Verbum.* Denique Chriſtus in carne ſeu in humana natura, non Verbi, ſed Legati officio functus eſt, cùm tanquam Legatus, quæ à Deo Patre cōmiſſa & mandata accepit, nobis manifeſtauit. Simili ratione & illud refutatum eſt, quod aiunt, Verbum illud non eſſe perſonam. oſtenſum enim eſt, eſſe ſubſtantiam viuentem & intelligentem, & omnibus vitam & intellectum communicantem, deniq; eſſe ipſum Deum.

CAPVT V.

Verbum in principio, & ante omnem rem creatam extitiſſe, docet Ioannes.

Verbum ab æterno.

MVlta præclarè de Verbo docet Ioannes, ac inprimis Verbi æternitatem explicat, cùm ait; *In principio erat verbum*; hoc eſt, primùm & ante omnia. Ea verò interpretatio ex ſubiecta ratione oſtenditur. *Omnia,* inquit, *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Et: *mundus per ipſum factus eſt.* Vt enim per Verbum mundus & omnia fierent, Verbum ante mundum, & omnia, eſſe debuit. Ac ne quis fortè exiſtimet, Verbum ante mundum quidem extitiſſe, non tamen ab æterno: Scire oportet ſcripturæ morem eſſe, eo loquendi modo æternitatem deſignare; vt idem ſit in ſcriptura, ante mundum eſſe & ab æterno eſſe. Nihil enim creatum ante mundum extitit, cùm in principio Deus creauerit cælum & terram. Quare quicquid ante mundum extitit, procul dubio increatum eſt, ac ex conſequenti præternum. Exempla ſunt Ioannis 17. *Clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priusquam mundus eſſet, apud te.* & verſu 24. *Dilexiſti me ante mundi conſtitutionem.* Epheſ: 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* 1. Petr 1. *Præcogniti ante mundi conſtitutionem.* His enim locis, ea forma loquendi, æternitas deſignatur. Quocirca hoc etiam loco, Verbi æternitatem deſignari non eſt dubium, cùm in principio, ſeu ante omnia creata, Verbum extitiſſe aſſeritur. Quam etiam ob cauſam, vt rectè Sancti Patres adnotarunt, non dixit Ioannes; In principio Verbum factum eſt, aut cæpit eſſe, aut fuit; ne quod præiudicium Verbi æternitati fieret, ſed *in principio erat,* hoc eſt, in prima mundi origine iam erat Verbum; non tunc primùm eſſe cæpit; ſed iam antè erat, & ab æterno. Quod enim ante mundum eſt, æternum eſt, ſcriptura teſte. Et ſanè ſi ſemel ſtatuatur, quod veriſſimum eſt, Verbum à Ioanne propriè non figuratè accipi; negari nullo modo poteſt, Verbum in principio, hoc eſt, ante omnia creata fuiſſe. Illud enim Verbum in Deo exiſtens, ante mundum & omnia extitit, & per illud mundus & omnia ſunt ex nihilo facta, ſeu, vt Apoſtolus loquitur, ex inuiſibilibus viſibilia effecta, ex non exiſtentibus, exiſtentia.

Ante mundum, & ab æterno eſſe idem in ſcriptura.

Abſurda Moſcorouij expoſitio de principio Euangelij.

Verùm Moſcorouius longè aliter D. Ioannis mentem interpretatur, vel peruertit potiùs, & nomine principij, principium Euangelij ſeu prima Euangelij tēpora intelligit. Principij enim nomen (inquit) in ſcriptura ad ſubiectum, de qua agitur, materiam accōmodari debet, & prout de diuerſis rebus agitur, ita diuerſa quoq; ſignificat. Gen: 1. 1. *In principio Deus creauit cælum & terram.* Ioannis 15. 27. *Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Ioan [illegible] *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia*

dixi, quia vobiſcum eram. Act: 11. 15. *Cecidit ſpiritus ſuper eos, ſicut & in nos in initio.* Quibus in locis manifeſtum eſt, diuerſa principia principij nomine ſignificari. Cùm igitur ſubiecta materia hic ſit Euangelium (Euangelium enim ſcribebat Ioannes) nemini dubium eſſe poteſt, principij nomine, Euangelij principium ſignificari; ac ſi ſcriptum fuiſſet; In principio Euangelij erat Verbum.

1\. Abſurda ſanè & huc vſq; inaudita expoſitio. Nam etſi veriſſimum ſit, principij nomen ad ſubiectam materiam accommodari debere; tamen hic ſubiecta materia proxima, non eſt Euangelium, ſed Verbum, ſeu Verbi ante omnia & ante mundum exiſtentia. Deſcribitur enim Verbum, quatenus per illud mundus & omnia ſunt facta, idq; antequam Caro factum eſſet. Quis autem non videt mundum & omnia, non in principio Euangelii facta eſſe, ſed *in principio viarum* ſeu operum *Domini antequam Deus quidquam faceret in principio,* vt Prouer: 8. dicitur. Nam ſi dicat mundum eſſe factum, id eſt reformatum per Verbum: vt cætera taceam, conuinci erroris vel ex eo poteſt, quòd mundus reformatus homines bonos ſignificat: nũquam verò in ſcriptura mundus pro hominibus bonis accipitur, ſed vel pro mundi fabrica cælo terraq; conſtante, vel pro hominibus malis, vel vniuerſè pro hominibus, vt vel vnicus locus Ioannis 15. 19. ſatis indicat. *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Vbi Chriſtus mundi amatores, mundum vocat: ſuos vero quos elegit, negat eſſe de mundo, nec ad mundum pertinere. Quare neceſſe eſt, cùm Ioannes dicit mundum per Verbum eſſe factum, non de mundo reformato, ſed de veteri mundo intelligere. Euangelium dici quidem materia remota poteſt: verùm in Euangelio non ea ſolum tractantur, quæ Euangelij tempore acciderunt: ſed ſæpe repetuntur ea quæ multo ante Euangelij tempora contigerunt. Sic Matthæus orditur ſuum Euangelium, ab Abrahami & Dauidis temporibus generationem Chriſti deducens. Lucas verò ab Adamo per omnia deinceps ſecula Chriſti originem recenſet. Marcus incipit Euangelium à Prophetia Iſaiæ, quæ procul dubio non Euangelij tempore accidit. Sic igitur Ioannes quoq; Euangelium ſcribens, potuit Verbi à quo Euangelij initium eſt, initia altius repetere, nempe à prima illa rerum omnium creatione. Nihil igitur peccatur contra legem Euangelij ſcribendi, ſi ea commemorentur, quæ multò ante Euangelij tempora præceſſerunt, egregioq; Moſcorouiũ decipi cõſtat, cùm ex eo,

Mundus in ſcriptura nõ ſignificat bonos.

 quòd

Digitized by Google

quòd Euangelium ſcribatur à Ioanne, non niſi de principio Euangelij prima eius verba intelligi oportere arbitratur. Certè ſi Ioannes Euangelium ſuum exorſus eſſet à peccato primorum parentum in Paradyſo, & Chriſto illis in ſaluatorem ibidem promiſſo, & variis figuris in lege veteri repræſentato, quis Ioannem erroris condemnaret? Cur igitur pari ratione non licuit Ioanni Verbi hiſtoriam à mundi origine texere? cùm id legi Euangelij ſcribendi (vt Aduerſarius putat) minimè aduerſetur. Certè lex Euangelij ea eſt, vt in Euangelio non niſi ea ſcribantur, quæ ad Euangelium aliquo modo pertinent. Pertinent autem ad Euangelium non ea ſolùm, quæ ſub Euangelio acciderunt, ſed etiam quæ antegreſſis temporibus extiterunt; dum modo ad ea, quæ ſub Euangelio ſunt, vel declaranda vel confirmanda aliquo modo referantur. Huiuſmodi eſt Verbi ante carnem & ante mundum exiſtentia, quæ eò refertur, vt intelligatur, quale & quantum ſit illud Verbum, quod eſt *caro factum, & habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis.*

2. Refelli hoc Moſcorouij figmentum & aliis argumentis poteſt. Nam inprimis D. Ioannes loquitur de Verbo in Deo exiſtente, vti oſtenſum eſt, quod procul dubio non primùm in principio Euangelij, ſed ante mundum conditum extitit; neq; eius principium eſt Euangelij principium, ſed æternitatis. Dicitur verò æternitas principium, non quòd ſuæ durationis aliquod habeat initium; ſed quòd omnem duratione antecedat, & ab ipſa omnis duratio principium ſumat. Quo ſenſu multi ex Sanctis Patribus D. Ioannem de principio æternitatis loqui exiſtimauerunt; quo etiam modo Deus ipſe in principio eſſe dici poteſt, quòd ſit ante omnem rem creatam, & ab ipſo omnes res creatæ incipiant eſſe.

3. Deinde Ioannes loquitur de Verbo ante carnem, quum apud Deum tantùm, non apud homines eſſet; quo etiam tempore *Deus erat Verbum*: non autem quo tempore *Verbum factum eſt Caro, & habitauit in nobis*: iſta enim per Antitheſim à Ioanne inter ſe opponuntur. Quis autem non videt Verbum, antequam Caro eſſet, non in principio Euangelij, ſed multò ante Euangelium fuiſſe? quandoquidem non niſi poſtquam *Verbum Caro factum eſt*, Euangelium incepit: non igitur poteſt Ioannes exponi de Verbo in principio Euangelij exiſtente. Agit præterea Io-
4. annes de Verbo, per quod mundus & omnia ſunt facta. Atqui Verbum eiuſmodi non in principio Euangelij, ſed in principio mundi eſſe
5. oportuit. Accedit quod *Verbum*, de quo Ioannes loquitur, *erat Deus*.

Deus, in-

Digitized by Google

Deus, inquit, *erat Verbum.* Quis & qualis Deus? Is, per quem mundus, & omnia ſunt facta. Certè author omnium Deus in principio Euangelij eſſe non cæpit, ſed eſt & ante Euangelium, & ante omnia. Deniq; de Verbo pronunciat Ioannes: *In ipſo vita erat.* Atqui in nulla caduca re & temporali vita noſtra (æterna inquam) poſita eſt, niſi in ſolo vero & æterno Deo. Neq; in Verbo, per quod facta ſunt omnia, tunc primùm, cùm Euangelium prædicaretur, vita noſtra eſſe cæpit: ſed ante mundum conditum & ab æterno. Diſſoluenda verò ſunt aliquot Aduerſariorum oppoſita argumenta. Primum eſt Statorij, qui cùm Verbi nomine, hominem intelligat: pro abſurdo habet, Verbum ante mundi principium fuiſſe. Rectiùs ſanè intuliſſet, ex eo quod Euangelium ait, per Verbum, mundum & omnia facta eſſe; Verbum aliquid præter hominem eſſe, & aliam ab humana diſtinctam eſſentiam habere, quæ ante mundum conditum extiterit, & quam deinde Caro factum, humanæ naturæ copulauerit. Quanquam luce clarius eſt, Ioannem hic de verbo ante carnem agere. Nam & abſolutè Verbum nominat nulla hominis facta mentione, & hoc Verbum ait fuiſſe apud Deum, quaſi nondum carne indutum, necdum cum hominibus habitans. Vocat præterea hoc Verbum, Deum, non hominem: attribuit deniq; illi omnium & mundi effectionem: quæ procul dubio Verbo ante carnem conuenire eſt neceſſe.

6.

Ratio Statorij ſoluitur.

Alterum eſt Moſcorouij, Principium æternitati opponitur, æternum enim, principio caret, nec vnquam cæpit, ſed ſemper eſt, & ante omne principium. Eo ipſo igitur, quod Verbum in principio fuiſſe dicitur, concluditur ab æterno non fuiſſe. Verùm diſtinctione tollitur æquiuocatio argumenti. Si enim principium ipſius æternitatis intelligatur, à quo inceperit æternitas: eiuſmodi principio æternitas caret. Æternum enim eſt, quod nunquam incepit eſſe, ſed ſemper eſt; atq; ex conſequenti, caret omni durationis ſuæ principio. Si verò principium accipiatur, non à quo æternitas incepit, ſed à quo cætera omnia incipiunt; ſic principium æternitati non opponitur, ſed ipſa potiùs æternitas eſt omnium aliorum principium, cùm antecedat omnia, & cætera omnia ipſam conſequantur. Hoc igitur modo id, quod eſt prææternum, dici poteſt eſſe in principio, & ante omnia creata. Non enim tunc principium aliquod, à quo inceperit, deſignamus; ſed ſolum ante omnia (quod proprium principij eſt) extitiſſe docemus. Sic igitur D. Ioannes, in principio Verbum fuiſſe aſſeruit, hoc eſt, in æterni-

Sophiſma Moſcorouij. 1.

Æternitatis an ſit principium.

 tate; quæ

tate; quæ cùm ſit ante omnia, principium eſt omnium, omnia enim illam cõſequuntur. Quanquam ſi principij nomine non æternitatem, ſed mundi principium velimus intelligere, vti paulò ante indicauimus: nihilominus ex Phraſi perpetua ſcripturæ, quæ ante mundum exiſtentiam pro æternitate accipit, concludi etiam hoc loco Verbi æternitas poterit, cùm idem ſit in ſcriptura, ante mundum eſſe, & æternum eſſe: nihil enim creatum, & non æternum ante mundum extitit.

6. Tertium argumentum eſt Moſcorouij, cùm ex eo, quod *Verbum erat apud Deum,* neceſſariò colligi putat, Deum prius extitiſſe quàm Verbum, ac ex conſequenti, Verbum non fuiſſe coæternum Deo. Æterno ſiquidem prius eſſe nil potuit. At craſſam ſatis ignorantiam oſtendit Moſcorouius in eo, quòd exiſtimat nõ potuiſſe Verbum eſſe apud Deũ, niſi Deus Verbum tempore præceſſiſſet. Id falſum eſſe, multis in ſcriptura exemplis oſtenditur. Multa enim legimus eſſe apud Deum, quæ & æterna ſunt, & Deus illa tempore minimè anteceſſit. Nam Ioannis 17. Chriſtus ait: *Clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priusquam mundus eſſet, apud te.* Certè dubium eſſe non poteſt, quin eam claritatem habuerit apud Patrem ab æterno; idem enim indicant illa Verba, *priuſquam mundus eſſet*, quæ more conſueto ſcripturæ, æternitatem ſignificant: maximè ſi Aduerſarij ea Verba de prædeſtinatione exponant. Eam enim certum eſt ab æterno fuiſſe. Fuit igitur ea claritas apud Deum ab æterno; neq; vllum tempus cogitari poteſt, quo non fuerit. Simile eſt quod Ioannes ait 1. Ioan: 1. *Vitam, quæ erat apud Patrem, apparuiſſe.* Erat enim vita apud Patrem ab omni æternitate, neq; concipi poteſt aliquod tempus, quo vita apud Patrem non fuerit. Pſalmo etiam 35. 10. dicitur: *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Ecquis dubitet fontem vitæ ab æterno apud Deum fuiſſe? alioqui dicendum eſſet, per totam æternitatem Deum fontem vitæ non fuiſſe: quod cùm abſurdiſſimum ſit; fateri oportet minimè repugnare, eſſe aliquid apud Deum, & illi coæternum eſſe: neq; neceſſe eſſe, Deum tempore eſſe priorem illo, quod eſt apud ipſum. Quod enim ab æterno eſt, nihil ſeipſo habere prius tempore poteſt; alioquin ab æterno non eſſet, ſed poſt aliud prius ſe, eſſe incepiſſet. modo quidem noſtro intelligendi imperfecto prius concipimus Deum, quàm aliquid apud Deum; at hoc imperfectioni noſtræ tribuendum eſt, qui non ita intelligimus res, vti ſunt omninò, & vti debent intelligi. In re enim ipſa, eſſe iſta ſimul neceſſe eſt.

Quod apud Deum eſt, eſt coæternum Deo.

Id quod

Digitized by Google

Id quod exemplis etiam in Scholis vſitatis docere de ſole, & anima poſſumus. Si enim ſol, ex quo temporis puncto creatus eſt, nunquam luce ſua, quæ in illo eſt proprietas & accidens, caruit: ſed poſtquam eſſe cæpit, illico lucem quoq; ex ſe fudit, neq; vllo vnquam tempore prior luce ſua & in tenebris poſitus fuit. Quid mirum videri debet, Deum ſimul eſſe cum ſuo Verbo? atq; vti lux etiamſi in ſole ſit, non tamen omnino id exigit, vt ſol ipſam aliquo tempore antecedat: ita procul dubio minimè requiri credendum eſt, vel Deus antecederet ſuum Verbum tota ſua æternitate. Alioquin dicendum conſimili ratione eſſet, cognitionem quoq; & dilectionem diuinam, & alias diuinas proprietates in Deo ab æterno non fuiſſe, & Deum per totam æternitatem cognitione & dilectione caruiſſe; ſi nihil, quod apud Deum ſit, ab æterno eſſe poſſit. Id quod & ſcripturis, quæ dicta attributa ab æterno in Deo collocat; Ioannis 17. 24 Epheſ: 1. 4. 1. Petr: 1. 20. & rationi aduerſatur. Conſequens enim eſſet, Deum ab æterno multis ſuis perfectionibus caruiſſe. Verùm & animæ rationalis exẽplo idem euincitur. Quis enim ignorat, quo momento anima creatur à Deo, & in corpus infunditur, illico intellectu & voluntate præditam eſſe? neq; vel minimo temporis puncto abſq; illis exiſtere, ſed ſimul & ſemel vt ipſa exiſtit, eius quoq; potentiæ in ipſa exiſtunt. Cur igitur idem in his, quæ ab æterno. Deo conueniunt, non admittamus? Ex quo liquet, argumentum Moſcorouij & in ignorantia fundatum eſſe, & non ſolùm Verbum, ſed etiam omnes diuinas perfectiones ac attributa pari ratione ab æternitate excludere, cùmq; id implicare contradictionem aſſerit, manifeſtum facit, ſe, quid ſit implicare contradictionem, planè non intelligere.

Deus ſimul eſt cum ſuo Verbo.

Anima ſimul eſt cũ ſuis potentiis.

CAPVT VI.

Verbum, antequam Caro fieret, apud Deum re ipſa extitiſſe.

POſtquam docuit Ioannes Verbum in principio & ante mundum extitiſſe: docere deinceps aggreditur, vbinàm extiterit hoc Verbum: *Et verbum* (inquit) *erat apud Deum.* Cùm enim ante mundum cõditum nihil præter Deum eſſet; nullibi etiam niſi apud Deum potuit exiſtere. Quemadmodum autem ante Carnem Verbum apud Deum extitiſſe docet: ita poſt Carnem Verbum habitaſſe in hominibus poſtea oſtendet verſu 14. vt vel hæc antitheſis docere Aduerſarios debeat, quid

Digitized by Google

at, quid ſit, Verbum apud Deum fuiſſe, nempe prius apud Deum habitaſſe abſconditum & inuiſibile, poſt autem habitaſſe in terris, & in carne ſe viſibile exhibuiſſe. Mox enim ſubiũgitur; *& vidimus gloria eius.*

Quocirca & Chriſtus ipſe non ſemel hanc ſuam apud Deum habitationem inſinuat: *Exiui,* inquit, *à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Prius ergo quàm veniſſet in mundum, fuit apud Patrem. Certum autem eſt, eum veniſſe in mundum, quando natus eſt, quemadmodum & reliquit mundum, quando mortuus eſt. Fuit igitur apud Deum ante carnem, ſeu prius, quàm Caro fieret.

Huc etiam facit, quòd Chriſtus non ſemel affirmat, prius in cælo ſe apud Patrem fuiſſe, quàm veniret in hunc mundum. Nam Ioannis 6. 62. ait. *Si videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius.* quo loco de aſcenſu in cælum ſermonem eſſe, manifeſtum eſt. Et Ioannis 3. ait: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo.* apud Ioannem etiam 6. cap: probat, ſe veriùs de cælo eſſe, quàm manna illud fuerit de cælo, Angelicis manibus in cælo aëreo factum. Inſuper Ioannis 17. ait: *claritatem ſe habuiſſe apud Patrem, priuſquam mundus eſſet,* ſeu ab æterno, petitque, vt eam claritatem, quam apud ipſum ante mundum conditum haberet, habeat etiam modo apud ipſum. Quemadmodum autem petit habere claritatem apud ipſum, id eſt, in dextera eius, ita & ante mundum habuit eam claritatem apud ipſum, hoc eſt in dextera Dei. Eò ſiquidem petit reuerti, vbi antè fuerat, & vnde venerat. Deniq; quod hic dicit: *Verbum erat apud Deum,* hoc infra verſu 18. vocat *in ſinu Patris.* quod eſt re ipſa apud Patrem eſſe. Quæ omnia liquidò demonſtrant, Verbum re ipſa fuiſſe, & habitaſſe apud Deum in principio, & ante mundum conditum.

Abſurda Moſcorouij expoſitio.

Verùm hæc etſi luce clariora ſint; aduerſariis tamen minimè ſatis faciunt. Nam Moſcorouius Socinum & Statorium ſecutus, ait: Verbum initio Euangelij non fuiſſe apud homines, ſed apud Deum, quod non hominibus, ſed Deo ſoli notum eſſet. Eſſe enim apud Deum (inquit) & eſſe apud homines, opponuntur. Sicut igitur quando hominibus oſtendit ſe & Verbum verè eſſe per prædicationem, & Deum per opera diuina; cæpit eſſe apud homines Verbum & Deus; ita quamdiu ſe hominibus non manifeſtauit prædicatione & operibus diuinis, fuit apud Deum tantùm, non apud homines, & Verbũ & Deus. Hæc iſti.

1\. At quis non videt, quàm iſta dura ſint, coacta, & nullam veriſimilitudinem habentia? Nam quis loquendi modus fert, vt eſſe apud aliquem

Digitized by Google

aliquem abſolutè, ſignificet illi eſſe notum? nō poteſt ſanè proferri vllum eius rei nec in ſcriptura nec in bono aliquo authore exemplum; & tamen iſti tam inſolitos loquendi modos pro diuinis oraculis nobis obtrudere audent. Nam etſi à communi modo loquendi non abhorreat, ſi dicamus: Verbum alicui eſſe Verbum, quia ab illo cognoſcitur; alteri non eſſe, quia ab eo non cognoſcitur: tamen hoc loco non adhibetur talis modus loquendi à Ioanne. Non enim ait, Verbū apud Deum fuiſſe Verbum, apud homines verò Verbum non fuiſſe Verbū. Sed ſimpliciter ait, Verbum fuiſſe apud Deum, & poſt habitaſſe in hominibus. Qui modus loquendi eſt longè priori diſſimilis. Nam hic abſolutè dicitur, Verbum apud Deum fuiſſe. Ibi verò non abſolutè fuiſſe, ſed certa ratione fuiſſe. Porrò cùm dicimus abſolutè, aliquem apud alium fuiſſe, nihil de eo, an notus ignotuſnè fuerit, affirmamus: cùm apud alium quis eſſe poſſit, qui ei notus non ſit, & poſſit viciſſim notus eſſe ei, apud quem nunquam fuerit.

Non eo ſolo nomine Moſcorouij expoſitio abſurda eſt, quòd modos loquendi inſuetos & inauditos contineat; ſed etiam quód directè cum mente Euangeliſtæ pugnet. Quid ſit enim Verbum fuiſſe apud Deum, patet ex antitheſi Euangeliſtæ, cùm ait: Verbum hoc Carnem factum habitaſſe in nobis. Ergo fuiſſe apud Deum, idem eſt, quod non habitaſſe in hominibus, ſed apud Deum habitaſſe. Illud enim Verbum, quod factum Caro apud homines habitabat, ante carnem ſolùm apud Deum erat. Cùm autem habitare apud homines cæpit, viſa eſt *gloria eius, gloria quaſi vnigeniti à Patre*, quæ gloria antè inuiſa & incognita hominibus erat. Quocirca cùm Verbum eſſe apud Deum, & habitare cum hominibus opponantur; oppoſitorum autem conſimilis ſit ratio; conſequens eſt, vt quemadmodum habitare cum hominibus, non ſignificat eſſe notum hominibus, ſed re ipſa apud homines exiſtere; ita eſſe apud Deum, non ſignificat eſſe Deo notum, ſed re ipſa apud Deum exiſtere. 2.

Eſſe apud Deum, & eſſe apud homines oppoſita.

Eandem quoq; antitheſim idem ſanctus Ioannes initio primæ ſuæ epiſtolæ indicauit. *Vita*, inquit, *quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Quaſi diceret, quamdiu hæc vita apud Patrem exiſtebat, non apparebat nobis. Nam quemadmodum Pater eſt inuiſibilis, ita & vita apud eum exiſtens, inuiſibilis erat: at poſtquam hæc vita ad nos in carne deſcendit, cæpit nobis apparere per carnem. hunc enim apparendi modum duo loca ſcripturæ docent. 1. Timot: 3. 16. *Deus apparuit in carne.*

Verbum apud Patrem exiſtens inuiſibile.

D (vt omnia

(vt omnia Græca exemplaria habent.) Ioan: 1. 14. *Verbum Caro factum eſt, & vidimus gloriam eius.* Quare falſò Moſcorouius ſolùm per prædicationem, hanc vitam nobis apparuiſſe interpretatur.

5. *Verbum ab Euangelij initio non ſoli Deo notum.*

Tertiò, falſum penitus eſt hoc Moſcorouij commentum. Quomodo enim verum eſſe poteſt, Verbum in principio prædicationis Euangelii, ſoli Deo notum fuiſſe? cùm conſtet tum Angelis, tum hominibus plurimis iam tum fuiſſe cognitum? Nam & Angelus illud Virgini nunciauit, & Elizabetha ſancto Spiritu repleta, idē Dominū ſuum in vtero agnouit, & eius matrem, matrem Domini ſui appellauit; & Ioannes in vtero exiſtens, ad eius aduentum exultauit, procul dubio & agnouit, cùm abſque notitia gaudium eſſe non potuerit. Quid dicam de innumera Angelorum multitudine, ipſum, ſtatim ac natus fuit, prædicante? quid de paſtoribus, qui ab Angelo illud & Chriſtum & Dominum & Saluatorem eſſe didicerunt? Magi verò cum ingenti comitatu idem adoraturi ab oriente venerunt; neq; dubium eſt, eius famam & antè & pòſt in toto oriente ab ipſis diſſeminatam fuiſſe Simeon item publicè in templo illud prædicauit, vnà cum Anna Prophetiſſa, quæ *loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël.* Quomodo igitur verum eſſe poteſt, in tanto hominum & Angelorum, qui Verbum initio Euangelij illico cognouerunt, numero, ſoli Deo fuiſſe cognitum?

Chriſtus etiam vt Verbum fuit notus.

At enim inquit Moſcorouius; Fuiſſe quidem tunc notum, vt hominem, non vt Verbum, nec vt Deum; nondum enim prædicatione ſua ſe eſſe Verbum oſtenderat, nec operibus diuinis, Deum. At qua fronte negare poteſt homo hæreticus iſtos omnes, quos commemorauimus, Chriſtum non tantùm hominem, ſed & Saluatorem & Chriſtum & Dominum agnouiſſe, cùm id palam de eo confiterentur? Neq; enim quidquam aliud in illo admirandum & adorandum habuerunt præter eos, quos diximus, titulos. Iam igitur tunc omnibus illis erat notum, Chriſtum eſſe Verbum, maximè ſi Verbum (vt Aduerſarij volunt) ſignificet hominem à Deo miſſum ad annunciandam Dei voluntatem. Neq; refert, nondum tum Chriſtum expoſuiſſe hominibus Dei voluntatem, nec Verbi officio functum eſſe. Nam vti Legatus poteſt eſſe omnibus notus, quòd ſit Legatus, etiamſi nondum legationem ſuam expoſuerit: ita Chriſtus hominibus erat notus tanquam Verbum, etiamſi nondum Verbi officio functus eſſet. Ad hoc enim ſatis eſt, quòd ſciuerint, illum eſſe Verbum ſeu Legatum à Deo miſſum. Non igitur

Digitized by Google

igitur aſſeri poteſt, ſoli Deo Verbum tunc fuiſſe notum.

Verùm & ea, quæ initio capitis attulimus, hanc Aduerſariorum expoſitionem falſam eſſe oſtendunt. Etenim D. Ioannes Verbum priùs fuiſſe ait apud Deum, tum habitaſſe in nobis. Quemadmodum igitur habitare in nobis non ſignificat notum eſſe nobis; ſed veram Verbi apud nos exiſtentiam: ita & eſſe apud Deum, non ſignificat Deo eſſe notum, ſed veram apud Deum exiſtentiam. Ex alijs etiam ſcripturis, quas citauimus, ſatis conſtat, quomodo Verbum fuerit apud Deum, nempe non per notitiam tantùm, ſed per realem apud Deum exiſtentiam. Iccirco enim & fuiſſe apud Patrem, & ab eo exiiſſe, & miſſus eſſe in mundum, & de cælo deſcēdiſſe dicitur, quod ſine eiuſmodi apud Patrem exiſtentia intelligi non poteſt. 4. 5.

Verùm quia ſcripturas adductas Aduerſarij more ſuo torquent, & peruertunt, diligentiùs diſcutiendæ à nobis ſunt, & à corruptelis Aduerſariorum vindicandæ.

CAPVT VII.

Loca quædam ſcripturæ de reali Chriſti apud Patrem exiſtentia antequam Caro fieret, ab Aduerſariorum calumnijs vindicantur.

PRimus igitur locus eſt Ioannis 16. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundū, & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*: quibus verbis diſertè docet, ſe antequam veniret in mundum, apud Patrem verè fuiſſe, id quod oſtenditur. Primò, quia nec verè exire à Patre potuit, apud quem non fuit; nec iterum ire ad Patrem, ſi ante apud Patrem verè non fuiſſet: cùm nemo redire eò dicatur, vbi antè nunquam fuit. Secundò, cùm Chriſtus ſe iterum ire ad Patrem ait, procul dubio de ſuo in cælum aſcenſu loquitur, quando ad Patrem ita rediit, vt eſſet ad dexteram eius, & re ipſa apud ipſum exiſteret. Hoc igitur modo antequam exiret à Patre, re ipſa apud Patrem ſe fuiſſe ait, hoc eſt, in ſinu eius, in dextera eius. Erat enim tunc in forma Dei æqualis Deo. Tertio, Chriſtum exire à Patre, eſt de cælo deſcendere; quod & aliás de ſe Chriſtus affirmauit nō ſemel; & hæc ipſa verba indicant. Exiuit enim vt veniret in mundum, hunc inquam mundum inferiorem, qui eſt hominum domicilium. quomodo autem in hunc mundum venire niſi de cælo poterat? Quarto, inde exijt, quò poſtea redijt: redijt autem in cælum: de cælo igitur exiiſſe cenſendus eſt. Quocirca non euadunt Ad-

Explicatur locus Ioan. 16. 1. 2. *De exitu Chriſti à Patre.* 3. 4.

Digitized by Google

uerſarij, cùm dicunt exire à Patre nil aliud eſſe quàm mitti à Patre. Neque enim ſolùm eſt quocunq; modo mitti, ſed de cælo in hunc mundum mitti, quod ſine reali apud Patrem in cælo exiſtentia non poteſt intelligi. Nam venire in mundum, Chriſto fuit naſci in mundo; ſicut relinquere mundum, fuit mori. Antequam igitur naſcendo veniret in mundum, verè apud Patrem extitit.

2. Explicatur locus Ioan: 1. Vnigenitus quomodo ſit in ſinu Patris.

Alter locus eſt Ioan: 1. ℣. 18. *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis*: vbi ſanè explicat id, quod verſu 1. habetur: *Verbum erat apud Deum.* Ita enim Verbum erat apud Deum, vt in ſinu eius eſſet, & ibi acciperet, quæ poſtea enarraret nobis. Eo enim conſilio dixit eum *in ſinu Patris eſſe*, vt oſtenderet ex tam intima apud Patrem exiſtentia, videre Deum, & enarrare nobis diuini pectoris ſecreta potuiſſe. Porrò eſſe in ſinu Patris non poteſt, niſi ad realem eius apud Patrem exiſtentiam referri; vti res, quæ in ſinu à nobis fouentur, realiter apud nos exiſtunt. Studio verò non dixit Euangeliſta, qui erat in ſinu Patris; ſed, *qui eſt in ſinu Patris*; cùm tamen prior dicendi modus, ad propoſitum eius facere videretur. Fuiſſe enim apud Patrem, antequam enarraret, debuit; non eſſe, poſtquam enarrauit. Verùm D. Ioannes non fuiſſe, ſed eſſe dixit *in ſinu Patris*: vt deſignaret eum ſemper eſſe in ſinu Patris, nec vnquam ſinum Patris deſeruiſſe. Quare verborum illorum, *Qui eſt in ſinu Patris*, non is ſenſus eſt; quòd modò, poſtquam enarrauit, eſt in ſinu Patris: hoc enim nil faceret ad enarranda nobis ſecreta Patris; cùm non poſtquam enarrauit ſed antequam enarraret, in ſinu Patris eſſe debuerit. Intelligi itaq; debet, *Qui eſt*; hoc eſt, qui ſemper eſt in ſinu Patris. Ex quo patet locum illum directè aduerſus Moſcorouium oſtendere; Verbum ante initium Euangelij ſeu antequam Chriſtus enarraret nobis Dei voluntatem, apud Patrem fuiſſe, per veram in eius ſinu exiſtentiam.

3. Chriſtus prius fuit in cælo quã fuit in mundo.

Tertius locus eſt Ioan: 6. 63. *Si ergò videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius.* Loquitur hic Chriſtus de ſuo in cælum poſt reſurrectionem aſcenſu. Cùm igitur aſſerat, ſe ibi priùs fuiſſe, dubitari non debet, reali exiſtentia in cælo prius fuiſſe. Id enim omnis ratio & conſuetudo loquendi poſtulat, vt cùm quis dicit, ſe venturum ad aliquem locum, in quo antè etiam fuerat; reali in eo loco exiſtentia, fuiſſe antè intelligitur.

Si autem Verbum re ipſa in cælo apud Patrem extitit, concidat oportet Aduerſariorum expoſitio, de ea, quam fingunt, per notitiam

exiſtentia

exiſtentia. Niſi fortè recurrant ad illud Socini commentum, quo affirmat Chriſtum re ipſa ſecundùm humanam naturam in cælo fuiſſe, antequam prædicare cæpiſſet. Verùm hoc commentum & ſcripturis repugnat, vt mox oſtendemus, & cauſam aduerſariorum non iuuat. Scripturæ enim docent Chriſtum fuiſſe apud Patrem, non ante prædicationis initium, ſed ante in hunc mundum aduentum & de cælo deſcenſum, imò ante mundi initium, & ab ea, quæ ante omne æuum eſt, æternitate. Eædem etiam ſcripturæ docent, Verbum Carnem factum illicò fuiſſe plenum gratia & veritate: quocirca fabuloſo illo in cælum raptu non eguiſſe, cùm à primo ſui conceptûs initio & Deum viderit, & omni veritate plenum fuerit.

Quartus locus Ioan: 17. 5. *Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Qui locus vt tantò melius intelligatur, primum explicandum eſt, quæ ſit illa claritas, quam hic à Patre poſtulat. Ea porrò alia non eſt, quàm claritas Filij Dei, hoc eſt, vt Filius Dei, qui & quantus ſit, agnoſcatur. Ita enim hanc claritatem Chriſti ſeu gloriam ipſe Ioan: interpretatur, cùm eam vocat gloriam quaſi vnigeniti à Patre, Ioan: 1. 14. Deinde eam claritatem poſtulat ſibi dari à Patre, à qua ſe propter Patris mandatū exinaniuerat, factus obediens vſq; ad mortem. Exinaniuerat autem ſe à forma Dei, & illa cum Deo æqualitate, quam vt verus Filius ſemper habebat. Petit igitur vt hæc eius gloria agnoſcatur. Summum enim & nobiliſſimum eſt in Chriſto, eſſe Filium Dei. Quapropter & claritas eius atq; gloria præcipua, atq; ſumma eſt claritas Filij Dei.

4. Claritas Chriſti, eſt claritas Filij Dei.

Deinde & illud conſiderandum eſt, qua ratione ſibi dari hanc claritatem poſtulet, cùm eam ſemper habuerit. Ad quod reſpondendum eſt. Quamuis re ipſa ſemper habuerit: tamen hoc loco petere ſolam eius manifeſtationem. Sicut enim ipſe Patrem clarificaſſe ſe dicit, quòd claritatem eius manifeſtauerit hominibus, nomenq; eius notum fecerit; verſu 4. ver: 6. ver: 26. ita viciſſim petit clarificari à Patre, vt claritas eius propria, quæ eſt claritas Filij Dei, nomenq; eius omnibus innoteſcat. Idemq; verſu 24. poſtulat pro ſuis diſcipulis à Patre; *vt vbi,* inquit, *ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Non poteſt autem ambigi quin claritatem ſuæ diuinitatis videri in cælo à diſcipulis ſuis poſtulet: idcirco enim petit, vt vbi ipſe eſt, & ipſi ſint; hoc eſt, in cælo, vt ibi videant claritatem eius.

Chriſtus petit manifeſtationem ſuæ claritatis.

Digitized by Google

Porrò hanc claritatem ſuæ diuinitatis & poſtulat ſibi dari. ver: 5. & ait, ſibi datam. ver: 22. imo eam ſe quoq; ſuis diſcipulis dediſſe affirmat. ver: 22. quæ ad hunc modum accipi poſſunt. Poſtulat enim ſibi dari claritatem non abſolutè, quaſi illam antè non habuerit (habuit enim ab æterno, habuit & toto vitæ tempore, cùm eam ſignis & miraculis manifeſtabat, vt in Cana Galileæ illo ſigno aquæ in vinum transſmutatæ, dicit Euangelium, manifeſtaſſe gloriam ſuam) petit igitur ſolùm, vt ea claritas, quam habuit, toti mundo innoteſcat. Quo etiam modo ipſe Patrem ſuum clarificauit, eius claritatem, quam habuit ab æterno, manifeſtando hominibus. Neq; quocunq; modo ſuæ diuinitatis claritatem petit innoteſcere hominibus. Nam ſuper terram, ait, ſe iam clarificatum apud homines. ver: 10. quia cognouerunt & crediderunt eum eſſe Filium Dei: ſed petit clarificari apud ipſum Deum in cælo. ver: 4. *Ego*, inquit, *clarificaui te ſuper terram, & nunc Pater clarifica me apud temetipſum.* Clarificari autem apud Deum, eſt clarificari ea claritate, quam habet in cælo apud Deum, in ſinu Patris, in dextera Patris; pari cum Patre maieſtate & honore. Hæc enim claritas quam habet apud Deum, nondùm mundo fuit cognita. Quod etiam verſu 24. innuit, cùm vult diſcipulos ſuos vnà ſecum eſſe in cælo, vt ibi videant claritatem ſuam. Hoc igitur eſt, quod petit Chriſtus, vt manifeſtetur claritas diuinitatis eius, quam habet cum Patre cōmunem. Ait verò ſibi claritatem à Patre datam ſuper terram, & ſe clarificatum eſſe in hominibus, quia claritas diuinitatis eius per fidem iam innotuerat hominibus. Nam (vt verſu 8. ait) *cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me miſiſti.* Dicit prætereà, hanc claritatem diuinitatis ſuæ, quam à Patre accepit, ſe dediſſe diſcipulis. verſu 22. quia diuinitatem ſuam cum illis ſuo modo cōmunicauit; dando illis poteſtatem filios Dei fieri, & eius diuinitatis fieri participes. Ioan: 1. 13. & in Euchariſtiæ Sacramēto, quod iam tum inſtituerat, miro ſed verò modo, ſuam illis diuinitatem communicauit, vt Cyrillus interpretatur. Id autem eo fine fecit *vt ſint vnum, ſicut*, inquit, *& nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum.* Eâ enim diuinitatis in Sacramento participatione efficimur vnum cum Deo, Deo in Chriſto, Chriſto in nobis habitante. Reſtat igitur, vt ea claritas, quam petit ſibi dari à Patre, tanquam nondum datam, intelligatur illa claritas, quam habet in cælo ſedens ad dexteram Dei, in gloria Patris, pari cum Patre maieſtate & honore. Eius enim manifeſtationem & pro diſcipulis ſuis

Claritas Chriſti apud Patrē qua ſit.

Claritatē ſuam Chriſtus dedit diſcipulis.

Digitized by Google

lis ſuis petit. verſu 24. & pro toto mundo, eamq; vocat claritatem apud Deum. verſu 5.

Vltimò explicandum eſt, quomodo hanc claritatem dicit ſe habuiſſe apud Patrem, antequam mundus fieret. Ariani enim facilè ſe expediunt, cùm aiunt, non re, ſed prædeſtinatione, & decreto Dei illam habuiſſe. In ſcriptura enim (inquit Socinus) haberi aut dari dicitur, quod decretum dumtaxat & deſtinatum eſt. 2. Cor: 1. *Habemus domum non manu factam æternam in cælis.* Heb: 10. 34. *Cognoſcentes nos habere meliorem manentemq; ſubſtantiam.* 2. Tim: 1. 9. *Gratia quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſæcularia.* At longè aliter ſancti Patres hunc locum & intellexerunt, & contra Arianos vrſerunt. Eorum argumentum eſt. Si Chriſtus ante mundum non fuit, habere claritatem ab æterno non potuit. Is enim qui non eſt, habere nihil poteſt. Cùm verò euaderent Ariani, eum, qui nondum eſt, re quidem ipſa habere nihil poſſe, poſſe tamen decreto & prædeſtinatione. Inſtabant contrà ſancti Patres, vt eſt apud Tertullianum libro de Trinitate, prædeſtinationem hîc non eſſe poſitam, quare nec addendam: væ enim adijcientibus. Intelligebant enim Patres illi, Chriſtum hoc loco abſolutè dixiſſe, ſe ante mundum claritatem habuiſſe, nulla re adiecta, quæ eam locutionem ad improprium habendi modum (qualis eſt habere in prędeſtinatione) determinaret. Quocirca abſolutè accipiendum eſſe, quòd re ipſa habuerit claritatem. Ea enim locutio abſolutè poſita, rem ipſam, non promiſſionem, aut prędeſtinationem ſignificat: vt verò promiſſionem aliquando denotet, circumſtantia aliqua opus eſt, quæ id innuat ac indicet.

Chriſti claritas ab æterno re nõ prædeſtinatione.

At inquiunt, particulam illam, *Apud te,* abundè indicare prædeſtinationem: idem enim eſt ac ſi dixiſſet, in mente tua, in prædeſtinatione tua. At ſanè longè aliud ea particula denotat, nempe non prædeſtinationem, ſed exiſtentiam realem apud Patrem, ita vt ſenſus ſit, *quam habui apud te:* hoc eſt, habui, cùm eſſem apud te: non verò, quam habui in mente tua, & prædeſtinatione. Id ita accipiendum eſſe verba ipſa docent. Petit enim Chriſtus eandem claritatem poſt aſcenſionem habere apud Patrem, quam habuit apud Patrem, antè mundum conditum. Quemadmodum igitur, cùm petit habere apud Patrem, non petit in mente Patris, & prædeſtinatione habere: ſed re ipſa exiſtendo apud Patrem, illam habere; ita cùm ait ſe eam habuiſſe antè mundum conditum apud Patrem, intelligit ſe habuiſſe, tunc cùm exi-

Particula Apud te, *nõ denotat prædeſtinationem.*

Digitized by Google

cùm exiſteret apud Patrem, non autem in mente Patris. Summa igitur rei eſt, particulam illam *Apud Patrem,* vtrobique exiſtentiam apud Patrem, non prædeſtinationem ſignificare.

Refellitur Socinus.

Iam quod ad loca à Socino citata attinet. Prima duo loca pro nobis faciunt. Nos enim re ipſa habemus domum non manu factam in cælis, licet ad illius vſum re ipſa admiſſi non ſimus. Sicut exiſtēs quis in Europa, habet re ipſa domum in Indijs, cum pleno iure dominij: etiamſi illam nondùm inhabitet. Hæc enim bona externa re haberi dicuntur, cùm re ipſa exiſtunt, & habetur ius plenum ad illa. quale ius, procul dubio filij Dei habent ad domum cæleſtem, nempe ius hæreditatis. *Si enim filij, & hæredes.* Rom: 8.

Tertius verò locus propter adiectam illam particulam *in Chriſto,* ſatis indicat, non abſolutè nobis datam gratiam ante tempora ſæcularia, ſed in Chriſto. Quia enim nos ante ſæcularia tempora non eramus, ſed Chriſtus, idcirco nobis, non in nobis, ſed in Chriſto data eſt gratia vocationis ad vitam æternam. Data autem eſt re ipſa in Chriſto, quia re ipſa pro nobis eam accepit, quæ gratia eſt illa Dei beneuolentia, qua propter Chriſtum voluit nos admittere ad vitam æternam, quamq; hoc loco vocat Paulus *propoſitum Dei.* Hanc enim gratiam re ipſa dari nihil aliud eſt, quàm Deum re ipſa nobis bene velle, & poteſtatem nobis facere vitam æternam conſequendi. Ex quo patet nihil hæc loca continere, de danda gratia per prædeſtinationem. Siquidem ipſa prædeſtinatio eſt illa gratia, quæ data eſt nobis in Chriſto re ipſa, non verò promiſſione duntaxat.

Quomodo Chriſtũ Deus dilexerit ab æterno.

Opponit præterea Socinus id quod habetur ver: 24. *vt videant claritatem quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Quia enim, inquit Socinus, ſe amatum à Patre ſciebat, ideo ab eo deſtinatam gratiam expectabat. At longè alius ſenſus eſt verborum Chriſti. videant, inquit, claritatem diuinitatis meæ, quam dediſti mihi ab æterno; quæ claritas, quanta ſit, vel ex eo patet, quia dilexiſti me ab æterno, tanquam vnigenitum Filium tuum, & ea dilectione, quis & quantus eſſem, declaraſti. Ex dilectione igitur illa æterna declaratur Chriſti dignitas atq; maieſtas. Quanquam etiam dicere poſſumus ea ſententia, *quia dilexiſti me,* ſignificari cauſam, propter quam dicto modo vult ſibi concedi à Patre id, quod petit; nempe propter dilectionem illam æternam, propter quam nihil, quod ad eius claritatem pertinet, denegare ei vnquam poteſt.

Addit

Addit inſuper Socinus: Si gloriam diuinitatis Chriſtus actu ab æterno habuiſſet, eam nunquam deponere potuiſſet, eaq; tunc etiam, cùm Patrem orabat, fuiſſet præditus. Quare vt ipſi daretur, petendum ipſi non fuiſſet. Quod ſi eam etiam depoſuiſſet, nulla cauſa erat, vt eam à Patre peteret. Ipſe enim eam per ſe reſumere potuiſſet. Deniq; is, qui precabatur, quatenus precabatur, eam gloriam nunquam re ipſa habuit.

Sed errat Socinus; nos enim non dicimus Chriſtum abſolutè gloriam diuinitatis petiiſſe à Patre, ſed eius manifeſtationem, vt quam claritatem ab æterno apud Patrem habebat, eandem apud ipſum etiam nunc haberet manifeſtatam; ſcilicet, vt eam viderent homines, & agnoſcerent: ſicut & illam æternam dilectionem, qua ipſum vt verum Filium ſuum dilexit ante conſtitutionem mundi. In hoc igitur ſenſu dicere poſſumus Chriſtum petiiſſe, quod non habebat; quia gloria, quam re ipſa habuit ab æterno apud Patrem, nondum erat hominibus manifeſtata. Porrò petit eam à Patre ſibi dari, non quòd eam per ſe obtinere non poſſet; omnia enim Pater dedit ei in manus: ſed quia hæc pactio quaſi quædam erat inter Patrem & Chriſtum, vt ipſe clarificaret Patrem ſuper terram, à Patre verò viciſſim clarificaretur in cælis, vt ex hoc toto cap: 17. ſatis apparet: & idcirco Patri ſemper defert, eiq; accepta fert omnia.

CAPVT VIII.

Chimæra Socini & Moſcorouij, de Chriſti ante prædicationem Euangelij in cælum raptu, refellitur.

Cum ſe perurgeri Socinus ſentiret clariſſimis ſcripturæ locis, de Chriſti apud Patrem & in cælo exiſtentia; duos reſpondendi modos excogitauit. Primus eſt, Chriſtum in cælo mente & cogitatione fuiſſe, reſq; cæleſtes omnes tanquam præſentes contemplatum eſſe. Verùm animaduertebat hoc modo ſcripturæ nequaquam ſatisfieri, quæ præſentiam Chriſti localem in cælo non tantùm mentis & cogitationis indicat, vt ex dictis manifeſtum eſt: Chriſtus etiam Ioannis tertio, cùm ait neminem aſcendiſſe in cœlum, niſi qui deſcendit de cælo; non de aſcenſu mentis & contemplationis intellexit; hoc enim modo multi ante Chriſtum mente & cogitatione habitarunt in cælo, ſed de aſcenſu per præſentiam in cælo realem. Ioannes etiam

ſe de terra eſſe,& Chriſtum de cœlo fatetur,quamuis ipſe quoq; mente & cogitatione in cœlo verſatus fuerit,& à Deo miſſus fuerit. Ergo voluit Chriſtum re ipſa de cœlo eſſe, ſe verò de terra ortum,& in cælo nunquam fuiſſe.

Alterum igitur modum confinxit,Chriſtum hominem, dum viueret,certo quodam tempore re ipſa in cœlo fuiſſe. Si enim, inquit, „ homo ille Paulus Chriſti ſeruus,ad tertium vſq; cœlum ante mortem „ raptus eſt, & in ipſo paradyſo fuit, nullo pacto nobis veriſimile ſit, „ Chriſtum ipſum,hominem ſcilicet illum, ante mortem in cœlo non „ fuiſſe, & ſeruum maiora in hac vita adeptum fuiſſe, quàm dominum „ ſiue vnigenam atq; chariſſimum domini filium non eo honore ac be„ neficio à domino affectum fuiſſe, quo alius, multo minus inſignis & „ carus fuit: præſertim ſi Paulus vt veriſimile eſt eò vſq; raptus fuit, vt „ videret arcana illa Dei, quæ ſe vidiſſe & hominem effari nō poſſe ipſe „ teſtatur: certè Chriſtus, in quo ſine vlla menſura rerum omnium di„ uinarum cognitio vt fuit, ſic etiam eſſe debuit, quin ibi per aliquod „ tēpus antequam munus cæleſti doctrina homines imbuendi ſibi à Pa„ tre mandatum publicè ſuſciperet, verſatus fuerit, nullo modo dubi„ tandum videtur. Hoc verò modo (ait) ſine vllo tropo explicari illa „ Chriſti verba; *deſcendi de cœlo, exiui à Patre*, quæ cùm de Filio hominis affirmentur,neceſſe,inquit, eſt dicere Chriſtum ſecundùm humanam naturam fuiſſe in cœlo. Hæc Socinus in reſponſione ad Parænesim Volani,folio 40.

Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis vidit Deum.

Quod quidem Socini commentum multis modis impugnari & refutari poteſt. Nam inprimis falſò exiſtimat Socinus, Chriſtum raptu illo in cœlum indiguiſſe. A primo enim ſuæ conceptionis momēto vidit Deum,eamq; viſionem perpetuam tota vita habuit; quorſum igitur raperetur in cœlum, quum nihil maius in cœlum raptus conſequi potuiſſet? Nam Verbum illicò ac eſt Caro factum,fuit (Ioanne teſte) *plenum gratiæ & veritatis.* Et ſecundùm Iſaiæ prædictionem, requieuit in eo ſpiritus ſapientiæ & intellectus, Iſaiæ 11. 2. Infans vix natus, Chriſtus ab Angelo prædicabatur, hoc eſt, vnctus Spiritu ſancto, quem non ad menſuram accepiſſe teſtatur Ioannes cap: 3. Quomodo verò Deum non videret,cui ſubſtantialiter in vna perſona ſemper vnitus fuit? Non igitur ex raptu aliquo & aſcenſu in cœlum Chriſtus vt homo vidit Deum,ſed cum ea viſione natus eſt,& eam in terra conſecutus eſt,non in cœlo,vt pote Deo ſubſtantialiter vnitus In quo

diſcrimen apparet manifeſtum inter Chriſtum & Paulum. Hic enim rerum cæleſtium inops cum eſſet ac egenus, rapi in cœlum potuit, ad cognitionem rerum illarum acquirendam Chriſtus verò cum plena ac perfecta rerum cœleſtium cognitione natus eſt, ac illicò Deum clarè vidit, quod Paulo non contigit.

Fallitur præterea Socinus, cùm ſcripturas de Chriſti in cœlo, & apud Patrem exiſtentia, ſaluari putat, per hunc in cœlum, ante prædicationis initium, raptum. Illæ enim Chriſtum in cœlo extitiſſe, antequam in hunc mundum veniret, & apud Patrem ab omni æternitate fuiſſe demonſtrant, vt præcedenti capite docuimus. Docent præterea Chriſtum non ſolùm in cœlo fuiſſe, ſed & ſemper eſſe, quod nullo modo de natura humana exponi poteſt, quam conſtat in terra ſemper fuiſſe, vſq; ad manifeſtum illum in cœlum aſcenſum. Porrò ſcripturæ, quæ id docent, ſunt iſtæ. Ioan: 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* pro eo, quod D. Ioannes dicere debebat, qui erat in ſinu Patris antequam enarraret, dicit, *Qui eſt*, hoc eſt, qui ſemper eſt in ſinu Patris. Ioan: 3. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo.* Etſi enim Socinus contendat Græcam vocem æquè verti poſſe, Qui erat, ſicut Qui eſt: tamen & conſenſus omnium ſcripturæ interpretum, & conſuetudo ſcripturæ, quæ ſimilia in tempore præſenti Chriſto tribuit, ſatis docet non aliter eſſe legendum. Nam & Ioan: 7. 36. in hunc modum de ſeipſo Chriſtus loquitur: *Vbi ſum ego, vos non poteſtis venire.* Et Ioan: 17. 24. *Volo Pater, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.* Vbi loquens de cœlo, aſſerit ſe iam ibi eſſe, vtq; ibidē ſui diſcipuli ſecum ſint, optare. Idem Ioan: 12. 26. aſſerit: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit* Neq; verò dici poteſt, loqui Chriſtum in præſenti, eo quòd breui pòſt ibi eſſet futurus: cur enim de ſe in præſenti, de diſcipulis in futuro loqueretur?

Chriſtus cum in terra eſſet, ſimul erat in cælo.

Hoc etiam modo loquendi Chriſtus vſus eſt Ioan: 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: non ait, ego fui vel eram, ſed ego ſum; quia ſemper ſum. Nam etſi Socinus torquet hæc verba, cùm ait, ſenſum eſſe: antequam Abraham fiat Pater multarùm gentium, ego ſum lux mundi: tamen clariora ſunt Chriſti verba, quàm vt torqueri à Socino poſſint. Aliud enim eſt Abraham ſimpliciter fieri; aliud Abraham fieri Patrem multarum gentium: illud enim deſignat, Abraham fieri abſolutè, quo ad ſuam exiſtentiam: hoc vero non abſolutè fieri, ſed fieri Patrem gentium. Chriſtus vero primum dicit, Socinus ſecundum.

 Alioqui

Digitized by Google

fuiſſe dicendus eſſet. Verùm ea argumentatio nihil minùs, quàm quod Aduerſarij volunt, efficit. Nam inprimis ſcriptura ita aſſerit, Chriſtum in cælo fuiſſe, vt carne in terris toto vitæ ſuæ tempore eſſe non deſineret, vt paulò ante oſtendimus: alia igitur ratione, quàm ſecundùm carnem in cælis fuit. Et verò quod Filius hominis in cælo fuiſſe dicatur, ad id ſatis eſt, vt aliqua ſua ſubſtantia ibi fuerit. Cùm verò Chriſtus non ſolùm ſit ſubſtantialiter homo, ſed etiam ſubſtantialiter Deus: ſi diuina ſua ſubſtantia in cælo fuit; abſolutè fuiſſe in cælo dici poteſt. Neq; obſtat quòd Filius hominis nominetur: Filius enim ille hominis duplicem habet ſubſtantiam, ex qua compoſitus eſt, humanam & diuinam: etſi igitur humana ſubſtantia in cælo non extiterit, extitit diuina. Deinde & aliam ob cauſam Filius hominis exprimitur; nempe vt ea ratione ſumma illius Filij hominis dignitas intelligeretur; qui etſi carne in terra appareret, ſimul tamen diuinitate in cælo eſſet. Ad quod confirmandum non paruum & illud eſt argumētum: quòd ſcriptura cùm Chriſtum in cælo fuiſſe docet, nunquam aſcenſûs meminit: nempe quòd ea in cælo exiſtentia, citra aſcenſum fuerit. Iis enim qui prius in terra ſunt, vt ſint in cælo, aſcenſu opus eſt. At Chriſto qui ſemper apud Patrem fuit, aſcenſu in cælum non erat opus. Atq; idcirco Chriſtus cum Nicodemo loquendo, cùm dixiſſet, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis*: ne fortè exiſtimaretur Filius hominis aſcendiſſe in cælum, conſultò adiecit, *qui eſt in cælo*; vt non per aſcenſum, ſed per exiſtentiam perpetuam in cælo fuiſſe intelligeretur. Ex dictis autem facilè colligitur, etiamſi raptus Chriſti hominis in cælum admitteretur, ſaluari per illum non poſſe, quæ de Chriſti exitu à Patre & deſcenſu de cælo in ſcriptura leguntur. Exitus enim Chriſti à Patre ſecundùm ſcripturam cōtigit ante Chriſti in mundum aduentum. ita enim Chriſtus de ſeipſo loquitur: *Exiui à Patre & veni in mundum.* Chriſtum autem veniſſe in mundum tunc, cùm natus ex Virgine in mūdo eſſe cæpit, perſpicuum eſt: quemadmodum & mundum tunc reliquit, quando mortuus eſt. Non igitur poſt raptum aliquem de terra in cælum, exiuit à Patre: ſed tunc cùm primùm in hunc mundum naſcendo veniret. Quocirca & Apoſtolus ad Gal: 4. 4. ait, *Deum miſiſſe Filium ſuum factum ex muliere.* Et 1. Tim: 3. Deum apparuiſſe in carne. & 1. Ioan: 4. in carne veniſſe; quia nimirum tunc venit quando Caro factus eſt. Et ſanè dubitari non poteſt, Chriſtum ex eo tempore, quo natus eſt ex Virgine, fuiſſe à Deo miſſum

Quomodo Filius hominis dicatur eſſe in cælo.

Exitus Chriſti à Patre quādo.

non ipſum Filium hominis fuiſſe in cœlis. Non enim alium, ſed ſecũdùm aliam, hoc eſt, ab humana diuerſam ſubſtantiam dicimus in cœlis fuiſſe. Vt enim ex ſpiritu & carne conſtituitur vna humana perſona; ita ex Deo & homine vnus Chriſtus in vnitate perſonæ. Non rectè igitur Moſcorouius argumentatur; cùm Filius hominis in cœlo priùs fuiſſe dicatur, neceſſe eſſe vt ſecundùm humanam naturam in cœlo fuerit: fuit enim in cœlo antequam Filius hominis eſſet: Quinimò oppoſitum ex eo concludi debet. Cùm enim de Filio hominis dicatur quod in cœlo fuerit, & de cœlo deſcenderit: neceſſe eſt aliam præter humanam ſubſtantiam in illo fuiſſe, ſecundùm quam in cœlo antè fuerit, quàm fieret homo; cùm ſecundùm humanam naturam in cœlo fuiſſe, & de cœlo deſcendiſſe non potuerit: ſed eam ex Virgine in terris ſumpſerit. *Obiectio Socini ſoluitur.*

CAPVT IX.

Diuus Ioannes illis verbis. Deus erat Verbum, *eſſentiam Verbi declarat.*

PErgit D. Euangeliſta docere, quid fuerit illud Verbum, quod in principio fuiſſe apud Deum, iam antè docuerat. *Deus,* inquit, *erat Verbum.* Neq; enim aliud eſſe poterat, niſi Deus, ſi & in principio erat, & apud Deum erat. Nam neq; in illo principio, quod rerum omnium creationem anteceſſit, vlla alia res erat præter Deum: neq; quod apud Deum erat, potuit quid aliud eſſe, niſi Deus. Verbum enim in Deo, non accidens, ſed ſubſtantiam Dei eſſe eſt neceſſe.

Videturq; D. Ioannes hac ſententia inprimis cauſam prioris ſententiæ reddere, cur Verbum eſſe apud Deum dixerit tanquam Dei Verbum, quia, inquit, *Deus erat Verbum*: nempe quia Verbum non poterat eſſe niſi conſubſtantiale Deo, & idem cum eo Deus: idcirco alibi eſſe non poterat, niſi apud Deum. Ad hæc ne putaretur eſſe apud Deum vt quid extrinſecum, quomodo res quæ à nobis poſſidetur, apud nos eſſe dicuntur, conſulto addit, *Deus erat Verbum*, hoc eſt, erat idem cum eo, apud quem erat, & Deus ipſe. Has enim duas rationes huius ſententię viri docti adnotarunt; & Verbum eſſe verum Deum, ac conſubſtantiale Patri, ex hoc loco comprobarunt; id quod omnes huius loci circumſtantię teſtatum faciunt. Primùm, quod vti diximus, in principio, & apud Deum, ſeu in Deo eſſe non poterat, niſi verè *Cur Ioannes dixerit Deum eſſe Verbum.* 1. *Verbum eſſe verum Deum.*

Deus eſt

2. Deus eſſet. Deinde quòd per Verbum dicuntur facta eſſe omnia. Deus
autem non per aliquid creatum, ſed per Verbum ſibi conſubſtantiale
3. fecit omnia. Tertiò, quia Verbum, abſolutè Deum vocat, nulla ad-
iuncta particula, quæ Dei impropriam acceptionem denotet: ſed eo
4. planè modo, quo Deus verus abſolutè nominatur Deus.

Denique ipſa verborum connexio id ſatis demonſtrat. Hunc enim morem in toto hoc capite ſeruat Diuus Euangeliſta, vt Verbum quod eſt in fine prioris ſententiæ, repetat initio ſequentis, & quidem in eodem ſenſu; ſiquidem ideò repetit, quia illud ante commemorauerat. Exempla ſunt. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et mox. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et infra ℣. 10. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Cùm igitur hoc loco in fine ſententiæ prioris, Deum nominauerit verum, & repetit iterum Dei nomen initio ſequentis; argumento eſt, Deum verum vtrobique intelligendum eſſe. Negat quidem Socinus eſſe neceſſe, vt repetatur vox in ea ſignificatione, qua in præcedenti, adducitque exemplum ex verſu 10. vbi mundus in tribus ſententijs in diuerſa ſignificatione accipitur. In prima, pro mundo materiali; in ſecunda, pro hominibus bonis; in tertia, pro malis. At non rectè à Socino id negatur, cùm & ratio & exempla oppoſitum ſuadeant. Repetitionis enim cauſa, eſt mentio in præcedenti ſententia facta. idem igitur quod erat commemoratum, repetitur. Quòd verò de mundi voce, in eadem ſententia non in eadem ſignificatione accepta, adducit, id ita falſum eſt, vt nullus vnquam ea D. Ioannis verba de triplici diuerſo mundo intellexerit; & in ſcriptura inauditum eſt, mundi nomine abſolutè poſito, bonos homines appellari, quos ſcriptura de mundo non eſſe non ſemel aſſerit. Deniqꝫ per ſe clarum eſt, eundem mundum eſſe in quo Chriſtus fuit, & qui per ipſum factus, & qui eum non cognouit. Nam & homines, quorum proprium erat Chriſtum cognoſcere, ad eundem mundum pertinent, qui per Chriſtum factus eſt, & in quo Chriſtus fuit.

Mundi in ſcripturis acceptio.

Verùm Aduerſarij hoc tam illuſtre de Diuinitate Verbi teſtimonium multis modis eludere conantur. Nam inprimis Socinus ait, ex eo, quod Deus dicitur Verbum, diuinam Verbi naturam concludi nõ poſſe, cùm Dei nomen non ſoli Deo vero, ſed & Angelis & hominibus in ſcriptura tribuatur. Huc verò facit, quod voci *Deus* articulus non ſit appoſitus, cùm in præcedenti ſententia appoſitus eſſet, ſed hæc

facilè

facilè refelluntur. Iam enim oſtenſum eſt à nobis, Verbum à Ioanne appellari abſolutè Deum, eo modo quo Deus verus, appellatur abſolutè Deus, nulla re adiecta, quæ impropriam appellationem arguat. quod etiam repetitio vocis *Deus* in ea dẽ ſignificatione ſatis demõſtrat.

Tribuitur quidem Dei nomen hominibus; at non abſolutè, nec ſine circumſtantia aliqua impropriæ ſignificationis indice. Dicitur Moyſes Deus, non abſolutè, ſed Deus Pharaonis, & quidem conſtitutus, cùm antè Deus non eſſet. Exodi 7. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Deus enim verus, omnium Deus eſt, non vnius tantùm, neque conſtituitur Deus, ſed eſt ab æterno Deus. Dicuntur etiam homines Dij vt ex Pſal: 8. adducit Chriſtus Ioan: 10. *Ego dixi, Dij eſtis*: Sed eo ipſo, quòd plures Dij cõmemorantur, & quidem tunc primum conſtituti, & ſub Deo Deorum, à quo diiudicantur, apparet Deos impropriè dici. Hoc verò loco Verbum & abſolutè dicitur Deus, & nihil eiuſmodi adijcitur, quod impropriè accipi Dei nomen ſuadeat.

Quomodo Dei nomen hominibus tribuatur in ſcripturis.

Porrò articulum voci Deus non eſſe appoſitum mirandum non eſt: Id enim minimè fuit neceſſarium. Nam & Deo vero tam cum articulo, quàm abſque articulo, Dei nomen tribuitur; & Chriſto idem Dei nomen, quod hic abſq; articulo, in alijs locis cum articulo datur, Act: 20. 28. Rom: 9. 5. neque tamen idcirco Ariani illum verum Deum credere volunt. Et præterea veriſimile eſt, D. Ioannẽ aliquam rationem confuſionis vitandæ habuiſſe, ne eadem omnino perſona Deus Verbum, & Deus apud quem erat Verbum, putaretur, cuius erroris præfixo articulo aliqua ferè occaſio fuiſſet. Nullo verò modo credibile eſt, id eo conſilio à Ioanne factum, vt Verbum minor Deus crederetur: cùm neque Deus Pater maior Deus creditur articulo præfixo; neq; minor articulo non præfixo. Si ea vis articuli eſſet, vt abſque eo Deus verus dici non poſſet; tunc eo conſilio non adiectum à Ioanne articulum exiſtimari poſſet. At cùm nulla vis eiuſmodi articulo inſit; vt abſq; eo vox *Deus*, verum Deum non ſignificet; temerè ab aduerſarijs aſſeritur, id à Ioanne cogitatum, quod ad vim articuli non pertinet: maximè cùm alia documenta non deſint, quæ Dei propriam ſignificationem hoc in loco demonſtrant.

Vox Deus ſine articulo verum Deum ſignificat.

Pergit Moſcorouius, Socinum ſuum ſequutus, huius loci efficacitatem alijs quoq; argumentis infirmare. Ait enim nullo modo fieri poſſe, Verbum, eſſe eundem cum eo Deum, apud quem eſt. Alius enim eſt is, qui apud aliquem eſt; alius is, apud quem ille eſt. Eo igitur ipſo,

Tria Moſcorouij ſophiſmata.

Digitized by Google

quòd Verbum dicitur eſſe apud Deum, diſtingui oportet ab illo Deo apud quem eſt. Alioqui idem apud ſeipſum eſſe diceretur. Deinde, Deus apud quem Verbum erat, non erat apud Deum: eſt ergo alius Deus à Deo, qui erat apud Deum. Denique, Verbum non poteſt eſſe is Deus, cuius eſt Verbum: alioqui eſſet, inquit, neceſſe dari alium, cuius is Deus, cum quo idem eſt Verbum, eſſet Verbum. His tribus Sophiſmatibus in ignoratione fundatis, putauit Moſcorouius ſe Catholicam ſententiam expugnaſſe.

Primum ſoluitur.

At fallitur; nam primum illud quod adducit, ſoluitur in hunc modum. Neceſſe quidem eſt illum, qui apud aliquem eſt, & illum, apud quem alius eſt, eſſe aliquo modo ſubſtantia diuerſos, ne idem apud ſeipſum eſſe dicatur: at non eſt neceſſe omni ratione diuerſos eſſe; ſed ſatis eſt, ſi ſint aliqua ſubſtantię ratione diuerſi. Nam & ſpiritus hominis dicitur in homine eſſe 1. Cor: 2. 11. etiamſi ab illo non ſit ſubſtantia omninò diuerſus, cùm ad ſubſtantiam hominis pertineat. Si etiam duo in diuerſis corporibus vnam animam haberent (quòd Deus abſolutè præſtare poteſt) eſſent iſti procul dubio vna ſubſtantia reſpectu vnius animæ; & tamen vnus in alio verè exiſteret ſubſtantialiter. Conſimili igitur ratione, cùm dicimus, Verbum eſſe apud Deum; non eſt neceſſe à Deo Patre diſtingui diuinitatis eſſentiâ; ſed ſatis eſt, ſubſiſtentia diuinitatis diſtingui. Falſè igitur putat Moſcorouiꝰ implicare contradictionem iſta duo, Verbum eſſe apud Deum, & eſſe eundem cum ipſo Deum: Si enim omni modo, & ratione Verbum eſſet idem cum eo Deus, non poſſet dici eſſe apud Deum; quia neceſſe eſt eum, qui eſt apud aliquem, diſtingui aliquo modo ab illo, apud quem eſt. At quia Verbum dicimus diſtingui ab eo, apud quem eſt diuinitatis ſubſiſtentia, licèt non diuinitatis eſſentia; ſeu, perſona, non natura: idcirco nulla hîc cõtradictio inuolui poteſt. Quòd ſi ratione non capit Moſcorouius, credat fide, rationemque Euangelio & Fidei Catholicæ iuxta præceptum Apoſtoli ſubijciat, neq; ſua ratione fidem Dei metiatur. Maior enim eſt Deus corde noſtro. Quodſi innumera Catholicorum, hoc eſt, doctiſſimorum & in ſcripturis verſatiſſimorum hominum millia, nullam in ea re contradictionem deprehenderunt (alioqui rem tam incredibilem minimè credidiſſent) qua temeritate vnus Moſcorouius contradictionem hîc audet opponere? ſuam potiùs vel ruditatem, vel hebetudinem mentis agnoſcat, qui in media luce cæcutiat, & quæ omnes norunt, ignoret ſolus.

Verbi à Deo diſtinctio.

Alterum

Digitized by Google

Alterum etiam Sophiſma ſimili modo ſoluitur. Deus enim, apud quem Verbum eſt, non eſt apud alium, quia non eſt alterius Verbum. Verùm ex eo, quòd Deus Pater non eſt apud alium, Verbum autem eſt apud alium, ſolùm infertur, Patrem non eſſe Verbum; non verò non eſſe eundem cum Verbo Deum; & differre à Verbo quà Verbum, non quà Deus eſt. Non enim ex ratione Dei communi, ſed ex ratione propria & peculiari, Verbum habet eſſe Verbum. Quocirca cùm Pater non ſit apud alium per modum Verbi, ex eo concluditur, propriam Verbi rationem non habere, & differre à Verbo quà Verbum eſt: non verò concludi vllo modo poteſt, communem cum Verbo deitatem non habere; neque eſſe alium Deum eſſentià; ſed alium ſubſiſtentià. *Secundum ſoluitur.*

Ad tertium verò ad hunc modum reſpondendum eſt: non eſſe neceſſe, vt ſi Pater ſit idem Deus cum Verbo, ipſe quoq; ad alium per modum Verbi referatur. Non enim Verbũ, quà Deus, ſed quà Verbum, habet ad alium referri. Quare cùm Pater non ſit Verbum, etſi idem ſit cum Verbo Deus: non ſequitur referri debere ad alium. Opponit prętereà Moſcorouius: Si Verbũ ſit idem eſſentià cum eo, apud quem eſt; eſſe quoq; idem perſonà: cùm perſona nihil aliud ſit, quàm indiuidua eſſentia, vt patere ait inductione omnium perſonarum. Affert etiam nonnulla de perſonæ ratione, quæ, quàm rudis & hoſpes ſit, in Doctorum, qui ea de re accuratè tractant, libris ſatis oſtendunt. Præſenti verò obiectioni ſatis fit, ſi dicamus, à nobis quoq; non negari, perſonam eſſe eſſentiam, cùm eam in definitione perſonæ ponamus. Sed id quod aſſerimus, eſt, perſonam eſſe eſſentiam, non niſi quatenus ſubſiſtit incõmunicabiliter. Quia verò non repugnat vnam numero eſſentiam plures habere ſubſiſtentias: idcirco neq; repugnat plures perſonas eſſe vnius numero eſſentiæ. Quæ verò in eo ab Aduerſarijs notantur contradictiones, eas nos in monſtris Arianiſmi nil roboris ac momenti habere ſatis demonſtrauimus. *Tertium ſoluitur.*

CAPVT X.

Quàm indignè de Verbi diuinitate noui Ariani ſentiant, cùm Chriſtum, Deum Methaphoricum, diuino cultu indignum, impotentem, ignorantem, & talem, qui nos ſaluare non poſſit, prædicant.

QVid noui Ariani de diuinitate Verbi ſentiant, non eſt cuiuſuis facile iudicare. Tot enim ambages & verborum fucis ſuam ſententiam con-

tiam contegunt; vt quamuis re ipſa impiiſſimi ſint, agnoſci tamen à nemine queant, & ſpecie pietatis virus ſuæ impietatis obfuſcẽt. Hinc enim eſt, quòd tam in ſcriptis, quàm in congreſſibus, refugiant diſertis verbis fateri id, quòd reuera de Chriſti diuinitate ſentiunt, nempe Chriſtum non eſſe verum Deum, ſed Methaphoricum; & talem Deum, qui ex ſe nil poſſit; quique diuinum cultum ex ſe non mereatur, ſed ex Patris mandato duntaxat. Nominibus verò illum magnificis quidem & diuinis exornant, ſed quibus rei & veræ dignitatis nil ſubſit. Tota enim Chriſti dignitas perit, ſublata Dei veri ratione. Facere autem id eo conſilio videntur, ne ſi apertè in lucem proferant, quàm abiectè de Chriſto ſentiunt, ſuorum animos à ſe auocent & reijciant; quorum plurimi nil eiuſmodi à ſuis miniſtris de Chriſto aſſeri opinantur. Qui timor ſanè cauſam illorum prodit & condemnat, & quanta ea ſit, quam verentur proferre, in Chriſtum blaſphemia, oſtendit. Verùm quod illi dicere manifeſtè fugiunt; nos in luce ponemus, & diſertè id, quod iſti de Chriſti diuinitate ſentiunt, aliquot propoſitis capitibus explicabimus. Inprimis igitur Chriſtum negant Deum verum eſſe. Cùm enim Deus verus à diuina eſſentia dicatur; quid mirum ſi Chriſto, cui diuinam eſſentiam denegant, Dei veri quoq; nomen denegent, tanquam ei, cui nihil ſit in eſſentia cum Deo vero commune? Quod ſi, vt fucum faciant, neué blaſphemare videantur, aliquando Chriſtum verum Deum appellare videntur, id ita intelligi volunt, non quòd ſit verus quod ad naturam & eſſentiam Deus; ſed quod neque falſus Deus ſit, neq; fictè, ſed verè appellari debeat Deus. Ineptè ſanè. Nam eodem ſenſu, quotquot homines & Angeli in ſcriptura dicuntur Dij, veri Dij appellari deberent; cùm nec falſi ſint, nec fingendo illis Dei nomen tribuatur, quos tamen ſcriptura veros Deos dici prohibet, cùm vnum verum Deum agnoſci præcipiat; adeò vt in eo vitam æternam conſtitutam eſſe dicat, ſi vnus ſolus verus Deus credatur. Ioan: 17. Quanquam verò homines & Angeli, falſi Dij dici nõ debent: veri tamen etiam non ſunt, ſed ob ſimilitudinem Dij metaphorici dicuntur.

Fucus Arianorum.

Chriſtus Arianis non verus Deus.

Deinde Chriſti diuinitatem poteſtate illi à Deo cõmunicata definiunt, voluntq; ob poteſtatem in res omnes ſibi à Deo traditam eſſe & vocari Deum. Quod quid aliud eſt, quàm Chriſtum Deum Metaphoricum facere, ob ſimilitudinem poteſtatis, quam ſimilitudinem quiuis aliorum hominum ex Dei dono habere poteſt? Eſt igitur iſtis Chriſtus,

Metaphoricus.

Digitized by Google

Chriſtus, impropriè Deus; cùm ſola ſimilitudine, nō eſſentia Deus ſit.

Præterea talem Deum Chriſtum eſſe volunt, qui tota ſua diuinitate cultum diuinum non mereatur, niſi accedente Dei mandato. Nam ſi ob diuinam poteſtatem honor illi diuinus decerni debeat, facilè vident, quotquot homines & Angeli ſunt diuina poteſtate præditi, diuino cultu pari ratione afficiendos eſſe. Ad diuinam igitur Chriſti poteſtatem, mandatum Dei adiungunt, quo effici aiunt, vt qui abſque eo mandato diuino cultu dignus non eſſet, eo poſito efficiatur dignus. Quo quid abſurdius? quid Chriſto indignius dici poteſt? Abſurdum enim eſt eum, qui diuino cultu indignus ſit, Dei mandato fieri dignū; ac ſi Deus indignis diuinos honores tribui velit, & non potiùs indignos ab honore, præſertim diuino, repellat. Ac vt qui virtute aut doctrina caret, virtutis etiam & doctrinæ præmijs indignus cenſetur; eſſetque à ratione alienum eum, qui nihil in ſe virtutis, aut doctrinæ habeat, honoribus virtuti, aut doctrinæ debitis afficere: ita qui diuinitate vera deſtitutus eſt, indignus planè eſt, vt ei diuini honores, à Deo præſertim, qui eſt ſumma rectitudo & ſapientia, decernantur. Hanc verò indignitatem iſti in Chriſtum inuehunt, cùm citra Dei ſpeciale mandatum, eum nil habere volunt, quod diuinum honorem & cultum promereatur. *Diuino cultu indignus.*

Illud etiam quàm abſurdum haberi debet, Deum facere impotentem, quiq; ex ſe nihil omnino poſſit, niſi mutuata ab altero poteſtate? Nil enim ita Deo repugnat ac dependentia & ſubiectio, nihilq; ad Dei veram rationem magis ſpectat, quàm ſumma & independenti poteſtate præeſſe. Talem verò iſti Chriſtum Deum faciunt, qui nihil ex ſe poſſit, quiq; omnia non ſua, ſed aliena poteſtate faciat; quiquè ad omnia Patris mandato & authoritate egeat. Hoc verò quid aliud eſt, quàm ex Deo, Dei miniſtrum facere? Eſt enim hoc miniſtri maximè proprium, à nutu alterius pendere, & alterius voluntate & poteſtate efficere omnia. At enim, inquient, ex ſcripturis conſtare Chriſtum mandatum, & poteſtatem à Patre accepiſſe. Fateor vtrumque de Chriſto, quatenus homo eſt, in ſcriptura affirmari: verùm ea ratione, & eius poteſtatis reſpectu, quam vt homo à Deo accepit, dici Deum poſſe pernego. Eſt enim ea poteſtas tota miniſterialis, quæ Chriſtum non Deum, ſed Dei miniſtrum conſtituit, in quo ſenſu à Paulo miniſter appellatur. Heb: 8. 2. Porrò eſt alia in Chriſto poteſtas ſumma, qua Deo æqualis eſt. Ea verò diuinam Chriſti naturam arguit; eamq; *Impotens.*

habet quidem à Patre, ſed naturaliter vnà cum eſſentia diuina ſibi cõmunicatum; ac ex conſequenti, tanta perfectione, quantam ipſe Pater habet.

Ignorans. Verùm non impotentem ſolùm, ſed & ignorantem Deum, Chriſtum faciunt Ariani. Nam & in eius infantia ſapientiam ei non concedunt, quin & omnem rationis vſum illi adimunt, & prorſus ignorantem faciunt, communi aliorum infantium more: neq; tum fuiſſe plenum gratia & veritate, aut tunc non ad menſuram ſpiritum accepiſſe admittunt. Cùm verò Chriſtum ſapientia profeciſſe apud D. Lucam legunt; id ita craſsè intelligunt, ac ſi Lucas ibidem plenum ſapientia non dixiſſet: ad quem etiam modum & diei iudicij ignorationem interpretantur.

Saluare non potens. At quod maiorem Arianorum impietatem arguit, eſt, cùm Chriſtum talem Deum eſſe volunt, qui nos ſaluare ex ſe non poſſit. Nam etſi nomen ipſum ſeruatoris, toties in ſcriptura expreſſum, auferre Chriſto non audeant: rem tamen omnem & dignitatem ſeruatoris auferunt. Non enim alias illi partes in ſalute noſtra efficienda tribuunt, niſi nuncij & prædicatoris, eaq; ſolùm ratione Saluatorem dici volunt, quòd ſalutem nobis à Deo annunciauerit, & diuinas promiſſiones morte ſua confirmauerit; ad eumq; modum omnes illas loquẽdi formas, quibus in ſcriptura Chriſto ſalus noſtra, redemptio, peccatorum remiſſio tribuitur, interpretantur; vt Chriſti ſolùm partes ſint, fidem diuinarum promiſſionum in nobis excitare, ſalutem verò & remiſſionem peccatorum conferre ad Deum ipſum pertineat. Nullo verò modo admittunt Chriſtum aut pro peccatis noſtris ſatis feciſſe Deo, aut peccatorum veniam nobis promeruiſſe, aut ſanguinis ſui vero pretio nos redemiſſe, aut propria poteſtate & virtute ſalutem nobis contuliſſe. Quæ omnia ex libro Socini de Chriſto ſeruatore liquido conſtant, à nobiſq; in libro, quem de monſtris Arianiſmi paulò antè edidimus, confutata ſunt. At neq; cùm verum Chriſtum agnoſcunt, id

Semideus. omninò & abſolutè intelligunt. Nam tota vita volunt ſemideum ſemidominumq; fuiſſe, & nõ niſi poſt reſurrectionem & in cœlos aſcenſum, ad perfectam diuinitatem euectum.

Dei Vicarius. Ac vt vno verbo concludam, cùm Chriſtum Deum appellant Ariani, Dei nomine, nil aliud, quàm vicarium Dei generalem intelligunt, qui Dei nomine & poteſtate nobis præſideat, ſitq; ipſiſſimus Dei officialis & miniſter. Omnis enim poteſtas, quam Chriſto tribuunt,

miniſtri

Digitized by Google

miniſtri & Officialis ſeu Vicarij poteſtatem non excedit. Vt enim Officiales nil niſi Domini ſui poteſtate faciunt: ita Ariani Chriſtum cõceſſa à Deo ſibi poteſtate facere omnia volunt: quod eſt omnem Chriſti diuinitatem euertere.

Filius Dei ſecundùm carnem. Taceo, quid de Filio Dei ſentiant, cum nempe ſecundùm carnem propriè Dei Filium eſſe, ſecundùm Spiritum verò eſſe Filium Dei metaphoricum, eoq; generationis modo, quo nos, qui adoptiui Dei filij ſumus, generamur, genitum.

Duos Deos colunt Ariani. Non commemoro, quòd duos Deos eſſentia diſtinctos, contra manifeſtas ſcripturas colendos proponunt, quo & gentiliſmus & idololatria inducitur. Neq; enim ſcriptura niſi vnum verum Deum prædicat, omnes præter vnum Dij falſi ſunt, ſi colendi proponantur. Gentilium etiam is proprius error eſt, plures Deos colere. Idololatria verò in eo poſita eſt, cùm Deus falſus pro Deo adoratur: quod tunc accidit, cùm quis præter illum vnum, & verum Deum pro Deo colitur. Omnis enim alius, ab illo vno diſtinctus, eſt falſus Deus, & idolum. Quæ copioſiùs in monſtris Arianiſmi cùm ſimus proſecuti, hic tantùm placuit capita ſumma attigiſſe, vt ex iis perſpici poſſit, quàm abiectè, & indignè de Verbi diuinitate ſentiant Ariani: vt ad hoc homines iſti à Cacodæmone excitati videantur; vt Chriſti nomen omnibus contumeliis afficiant.

CAPVT XI.

Rerum omnium & mundi effectio Verbo attribuitur.

TRia de Verbo docuit hucuſq; Ioannes; quando fuerit; vbi fuerit; quid fuerit. Iam quarto loco exponit, quid hoc Verbũ egerit. *Omnia,* inquit, *per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Et mox: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Verùm quàm expreſſe id aſſeritur à Ioanne; tam impudenter à Moſcorouio, Socino, Statorio negatur. Nam in priori ſententia, non abſolutè omnia, ſed ea omnia, quæ ad Euangelium & nouum fœdus ſpectant, facta eſſe à Verbo interpretantur. Voces enim vniuerſales, aiunt reſtringi debere ad ſubiectam materiam, quæ hoc loco eſt Euangelium. (hoc enim ſcribebat Ioannes) ſatisq; ex aliis ſcripturis conſtare aiũt, quæ ſint illa omnia, qua à Chriſto facta eſſe dicuntur, nempe omnia inſtaurata in cœlo & in terra. Epheſ: 1. 10. & noua 2. Cor: 5. 17. In poſteriori, *Quid Verbum egerit.*

Digitized by Google

ſteriori autem ſententia (mundum per Verbum factum) mundum nouum intelligi volunt, in quo *cœlum nouum & terra noua* eſſe dicitur 2. Petr: 3. 13. quiq; *orbis terræ futurus* Hebr: 2.5. appellatur; hæc iſti pertinaciſſimè.

Omnia abſolutè facta à Verbo. Porrò vt prioris ſententiæ interpretationem conuellamus, oſtendendum eſt D. Ioannem omnia abſolutè per Verbum facta eſſe affirmare, non ea tantùm quæ ad Euangelium ſpectant. Nam inprimis verba Ioannis à nobis ſtant. Abſolutè enim dixit omnia per Verbum facta eſſe, & ſine ipſo factum eſſe nihil quod factum eſt. Oſtendens quæcunq; facta ſunt, ea omnia per Verbum facta eſſe, vt nihil ſit factum quod per Verbum non ſit factum. Si reſtringere Ioannes voluiſſet, nō tam abſolutè pronunciaſſet, ſed adieciſſet aliquid, ex quo ea reſtrictio intelligi poſſet. Hoc enim in omnibus aliis ſcripturis obſeruatū cernimus; vt quoties de vera à Chriſto reformatione & renouatione eſt ſermo, ſemper eiuſmodi verba adhibentur, quæ certi generis res deſignant, non omnes omnino & abſolutè, vt in adductis exemplis ſatis apparet. Nam & Epheſ: 1. 10. ex verbo inſtaurandi oſtēditur ea omnia in cœlis & terris à Chriſto effecta, quæ inſtaurata ſunt. & 2. Cor: 5. Expreſſè fit mentio nouæ creaturæ, & omnia noua dicuntur per Chriſtum facta. At verò Ioannes hoc loco nulla talia verba adhibuit, ſed ita abſolutè dixit per Verbum omnia facta, ſicut abſolutè dicimus à Deo omnia facta, nulla reſtrictione appoſita.

Nam quod aiunt, propoſitiones vniuerſales ad ſubiectam materiam reſtringendas eſſe: verum eſt: ſed hoc loco ſubiectam materiam eſſe res ſub Euangelio factas, negandum planè eſt. Aiunt, Ioannem Euangelium ſcribere voluiſſe. Rectè ſanè. At ex eo ſolùm ſequitur totius operis materiam præcipuam eſſe Euangelium, & res ad nouum fœdus pertinentes; non verò ſingularum ſententiarum in toto opere contentarum. Quid enim prohibet in ſcribendo Euangelio, ea quæ ante vel extra Euangelium facta ſunt, aliqua ex cauſa commemorare?

Euangelij ſubiecta materia. Sic enim Matthæus commemorat: *Deum ab initio feciſſe maſculum & fæminam; & Myſen ad duritiam cordis permiſiſſe libellum repudij: ab initio autem ſic non fuiſſe.* Matth: 19. 4. & D. Ioan: *Diabolum ſcribit fuiſſe homicidam ab initio & in veritate non ſtetiſſe.* Ioan: 8. 44 Certè ſi regulæ Aduerſariorum inſiſtendū eſſet, dicere oporteret, Deum initio Euangelij maſculum & fæminam feciſſe, & Diabolum ab initio Euangelij homicidam fuiſſe. Quod ſi nō obſtante eo, quod Euangelium ſcribatur, recenſeri ea poſſunt quæ

Digitized by Google

ſunt quæ multo ante Euangelium acta ſunt: profectò reſponſio Aduerſariorum tota ruet, & non erit neceſſe, ex eo ſolo, quòd Euangelium conſcribatur, omnes Euangelij ſententias de rebus ſub Euangelio factis accipi. Eſt quidem neceſſarium, quum Euangelium ſcribitur, non temerè quæuis narrare, ſed ea ſolùm, quæ aliquo modo ad Euangelium ſpectant: non quòd ſub Euangelio facta ſint: ſed quòd ad ea quæ ſub Euangelio fuerunt declaranda, momenti non parum habeant. Hoc verò modo pertinebat ad Euangelium exponere, quòd Verbum ante omnia erat apud Deum, & quod omnia à principio facta ſunt per Verbum; vt ex eo intelligeretur, quale, & quantum Verbum iſtud fuerit, quod poſtea Caro factum eſt, & habitauit in nobis: nullo verò modo, quod Aduerſarij volunt, ſequitur, in Euangelio omnes ſententias ad res ſub Euangelio factas reſtringendas eſſe. Quod ſi non omnes ſententiæ eo modo reſtringendæ ſunt, neq; ea de qua agimus reſtringenda erit, niſi id aliunde ſuadeatur. At in aliis ſcripturis reſtrictionem inuenimus, inquiunt. Rectè ſanè. Idcirco enim illas cum reſtrictione intelligimus, quia cum reſtrictione poſitæ ſunt: quod cùm hic non accidat, non eſt æquum eas cum illa reſtrictione accipere. Neq; verò mirum illis in locis propoſitiones reſtrictas eſſe, cùm in eis de Verbo non abſolutè ſed in carne poſito tractetur. Apud Ioannem autem de Verbo ante carnem agitur: idcirco eiuſmodi reſtrictionibus non erat opus. Exemplum fortè vrgebunt & ſimilitudinem. At exemplum ſumi fortè poſſet, ſi de eadem re eodemq; modo vtrobiq; ageretur. Agi autem nihil indicat. Imò ad hunc modum ratiocinari conuenit. Cùm in illis locis reſtrictè, hìc abſq; vlla reſtrictione omnia facta dicuntur per Verbum, non confundenda iſta in vnum eſſe; ſed vtrumq; nobis de Verbo credendum, tùm quòd per ipſum omnia renouata ſunt, tùm quod abſolutè omnia facta: illud poſt carnem Verbo conuenit, hoc ante carnem.

Per Verbũ omnia abſolute facta eſſe probatur.

Quanquam & alia nobis ad refellendos Aduerſarios argumenta hic locus D. Ioan: ſuppeditat. Primum eſt, quod D. Ioan: quemadmodum hic de Verbo ante carnem agit; ita & de omnium ante carnem effectione loquitur. Non igitur de rebus ſub Euangelio factis exponi
poteſt Ioan. Eſt etiam aliud non minus euidens eius rei documentum. 1.
Nam de rerum ſub Euangelio factarum per Verbum effectione, agit 2.
poſtea Ioannes, cùm ait: *Verbum carnem factum, plenum gratiæ & veritatis; & de plenitudine eius nos omnes accepiſſe, & gratiam ac veritatem per Christum*

factam

factam eſſe. Quæcunq; igitur ſub Euangelio facta ſunt, ad duo capita reuocat Euangeliſta, ad gratiam & veritatem, eaq; duo per Verbum carnem factum, facta eſſe dicit. Antequam verò Verbum caro fieret,
3. ait, non illa duo, ſed abſolutè omnia per ipſum facta eſſe. Deinde de Verbo quod erat in principio apud Deum, & quod Deus erat, ait omnia per ipſum facta eſſe. Atqui res ad Euangelium & ad nouum fœdus ſpectantes, non tunc ſunt factæ, cùm Verbum erat apud Deum, ſed cùm erat apud homines: neq; cùm ſolùm Deus erat, ſed & cùm caro factum habitauit in nobis. Non igitur ea ſolùm quæ ſub Euangelio
4. facta ſunt intellexit Ioannes. Accedit quòd illa verba, *ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt,* eam vim habẽt, vt nihil omnino ſit factum, quod non ſit per Verbum factum: quæ cùm abſolutè dicantur; nullo modo ad res tantùm Euangelij reſtringi debent.

At enim, inquit Socinus, etiam Paulus Rom: 1 20. eorum quæ facta ſunt ſimplici nomine, intellexit res tantùm ſub Euangelio factas. Ita enim vult intelligi illa verba. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: hoc eſt ſempiternam virtutem Dei, ac diuinitatem, quæ à creatione mundi conſpecta non fuerat, per mirabilia opera ſub Euangelio facta, intelligendo conſpecta fuiſſe. Verùm errat Socinus. Ex omnium enim interpretum ſententia, locus hic Pauli de rebus factis multò ante Euangelium intelligitur: cùm ſatis conſtet, Paulum de gentilibus loqui, qui Deum ex operibus illius cognoſcentes, veritatem Dei in iniuſtitia detinebant: & cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt

Futilis Socini coniectura.

5. Denique ſi ſcriptura per ſcripturam exponenda eſt, ſatis apparet quænam ſint ea omnia, quæ per Verbum facta ſunt. Nam idem Ioannes mox ait: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt.* Et Paulus Col: 1. 16. *In ipſo condita ſunt omnia, in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia; ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo ſunt creata, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo.* Ea igitur omnia per Verbum facta ſunt. Mundus inprimis ipſe, qui omnia continet: deinde omnia in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia: non homines ſolùm, ſed & Angeli. Neq; verò obſtat quod Paulus dixerit, *omnia in cœlo & in terra*; quaſi non cœlum ipſum & terra, ſed quæ in eis ſunt, condita ſint à Christo. Clarum enim eſt eundem eſſe conditorem cœli & terræ, qui eſt cæterorum in cœlo & in terra exiſtentium: & non eſt inſolens in ſcriptura, ea phraſi omnia abſolutè denotare: vt in monſtris Aria-

Tranſiones Arianorũ.

Digitized by Google

ſtris Arianiſmi probauimus; quanquam non ſolùm omnia in cœlo & in terra, ſed & mundum ipſum, qui etiam cœlum & terram continet, ſcriptura diſertis verbis per Chriſtum, factum eſſe teſtatur. Veruntenimuerò tametſi Paulus dixiſſet cœlum & terram condita eſſe per Chriſtum, adhuc tamen aduerſarij non quieſcerent, ſed nouos fucos excogitarent. Ita enim faciunt, cùm illis producimus illud Pauli Heb: 1. de Chriſto, cœli & terræ creatore teſtimonium. De Chriſto enim illud Pſalmi intelligi vult D. Paulus: *Tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.*

Obijcit Socinus; conſultò D. Ioannem verbo faciendi, non creandi vſum eſſe; ne creationem rerum omnium Chriſto tribueremus. Facere enim, eſt ex præexiſtenti materia facere; creare, eſt ex nihilo condere. Futilis ſanè coniectura. Nam in ſacris literis facere & creare, non rarò confunduntur, & pro eodem accipiuntur: vt cùm Propheta ait, *Dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt.* Et Pſal: 89. 2. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra.* Et Prouerbiorum 8. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Porrò hoc loco vſus potius eſt D. Euangeliſtà verbo faciendi, quàm creandi, vt omnia omnino comprehenderet; non ſolùm quæ creata ſunt, ſed & quocunq; modo facta. Non enim vnum faciendi modum habet Sapientia diuina: aliqua enim creat: aliqua ex ſubiecta materia efficit, aliquorum ſubſtantiam in alteram ſubſtantiam conuertit, aliqua ſupra naturam & miraculoſè efficit. Vt igitur omnia quæ Deus quocunq; modo facit, per Verbum facta eſſe intelligerentur, voce faciendi vſus potiùs eſt, quàm creandi; cùm hæc non ita latè pateat, quàm illa.

Cur faciendi Verbo vſus eſt Ioannes.

Obijcit præterea; non eſſe dictum ab Euangeliſta, Verbum feciſſe omnia, ſed per Verbum facta eſſe omnia; vt Verbum, non præcipua ſed media & inſtrumentalis cauſa eſſe intelligeretur. Quaſi verò particula, *Per*, neceſſariò cauſam mediam & inſtrumentalem ſignificet. Satis enim ex ſcripturis conſtat, eam vni & ſummo Deo tribui, quem nemo dixerit cauſam vel mediam, vel inſtrumentalem eſſe. Sic Rom: 11. 36. legimus: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* 1. Cor: 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis.* Quod ſi quis dicat, ſaltem cum vna cauſa per aliam operatur particulam, *Per*, cauſam mediam & inſtrumentalem deſignare? Reſpondendum eſt, ne hoc quidem, aliud quàm cauſam interpoſitam ſignificare; qualis qualis illa ſit, ſiue cauſa æquè

Particula per, non denotat inſtrumentū.

præcipua, ſiue præcipuæ deſeruiens: ſenſumque eſſe per illam, hoc eſt eius interpoſitu, & non ſine illa aliquid perfici: quomodo etiam dicere ſolemus, filios per ſuos parentes, & ſubditos per ſuos dominos facere aliqua; non tanquam per ſua inſtrumenta, ſed interpoſita eorum authoritate. Quod ſi illa cauſa per quam aliquid fit, ſit aliquando inſtrumentalis, id non ex particula, *Per*, quæ id determinatè non denotat, ſed aliunde colligi debet. Certè aduerſarijs ipſis nō diſſentientibus, Deus per Verbum in ſe exiſtens fecit omnia; neq; tamen aſſerere poſſunt, Verbum illud Diuinum, fuiſſe Dei in rerum creatione inſtrumentum. Nam inſtrumentum propriè acceptum, neceſſe eſt quid ab agentis ſubſtantia diuerſum eſſe: vt potè quod inter cauſam agentem, & effectum eius interponitur. Verbum autem Diuinum, ad Dei ſubſtantiam ſpectat; cùm ſit non aliquod Dei accidens, ſed ipſi Deo conſubſtantiale.

Inſtrumentum quid?

Quanquam & alia ratione aduerſarijs ſatisfacere poſſumus. Nam quemadmodum hoc loco Ioannes per Verbum dicit facta eſſe omnia; ita D. Paulus Heb: 1. de eodem Verbo ait: *Tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Igitur Verbum eſt per quod facta ſunt omnia, & quod fecit omnia. Non igitur particula, *Per*, cauſam inſtrumentalem deſignat.

D. Auguſtini argumentatio defenditur.

Obijcit etiam Socinus; non poſſe colligi Verbum non eſſe factum, ex eo quod omnia per Verbum ſint facta. quod tamen concludit D. Auguſtinus in hunc modum. Quomodo, inquit, poteſt fieri vt Verbum Dei factum ſit, quando Deus per Verbum fecit omnia? ſi & Verbum Dei ipſum factum eſt, per quod aliud Verbum factum eſt? Si hoc dicis, quia hoc eſt Verbum Verbi, per quod factum eſt illud: ipſum ego dico vnicum Filium Dei: ſi autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta ſunt omnia; non enim per ſeipſum fieri potuit, per quod facta ſunt omnia.

Ad huius igitur argumenti vim retundendam Socinus opponit, quod ſemper in huiuſmodi locutionibus vniuerſalibus excipitur is, de quo ipſa vniuerſalis enunciatio effertur. Nam de Ioanne ℣. 7. dicitur, *Vt omnes crederent per illum*. ex quo tamen non licet inferre, Ioannem non crediſſe in Chriſtum: ita & Verbum, ex eo quod omnia per ipſum facta ſunt, non ſequitur ipſum non eſſe factum.

Verùm nil agit Socinus; neque vim argumenti retundit, quam non aſſequitur. Non enim in eo ſolùm D. Auguſtini argumentatio po-

ſita eſt,

ſita eſt, quòd per Verbum facta ſunt omnia; ſed etiam, quòd ita facta ſint per Verbum, vt non niſi per Verbum fieri potuerint; quòd is ſit naturalis Dei agēdi modus, Verbo facere omnia. Quocirca ſi & ipſum Verbum factum eſt, per aliud Verbum factum eſt. Cùm verò non detur Verbum Verbi; conſequens eſt, Verbum Dei non eſſe factum, neque fieri potuiſſe. Quare non eſt ſimilis ratio de credentibus per Ioannem. Neq; enim fides in Chriſtum dependebat omnino à prædicatione Ioannis, vt abſque ea haberi non poſſet. effectio autem rerum creatarum, ita dependet à Dei Verbo, vt ſine Verbo fieri non poſſit.

CAPVT XII.

Exponitur locus ad Coloſſenſes, in quo omnia in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, condita à Chriſto dicuntur.

OMnia per Verbum facta eſſe dixerat Ioannes: quæ autem ſint hæc omnia, magis in particulari expreſſit Paulus ad Coloſ. 1. 15. Qui locus, quia mirè cum Ioannis teſtimonio congruit, eſt nobis paulò copioſius explicandus. Nam quod Ioannes vocat Verbum, hoc Paulus vocat imaginem Dei inuiſibilis. Eſt enim verbum imago Dei inuiſibilis, & character ſubſtantiæ eius. Deus enim Verbo ſuo ſeipſum perfectè exprimit, quantus, quantus eſt. Ioannes ait: In principio, & ante omnia creata extitiſſe Verbum: Paulus verò vocat Chriſtum Primogenitum omnis creaturæ, hoc eſt ante omnem creaturam genitum. Ioannes per Verbum ait facta eſſe omnia: Paulus in ipſo ait condita eſſe vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia; ſiue thronos, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia in ipſo, & per ipſum creata eſſe, & ipſum eſſe ante omnes. Ioannes ait Verbum carnem factum, fuiſſe plenum gratiæ & veritatis, & nos de plenitudine eius accepiſſe: Paulus de Chriſto idem ait; nimirum complacuiſſe Deo, in ipſo omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia per ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. Ibidemque ait, Chriſtum eſſe caput corporis Eccleſiæ, principium, & primogenitum ex mortuis. Verùm quia hæc omnia peruertunt Ariani, accuratè ſunt eorum interpretationes refellendæ.

Miraſ conſenſus Pauli cū D. Ioanne de Verbo conſenſio.

Dicunt igitur Chriſtum dici primogenitum omnis creaturæ, ſed nouæ non veteris; & in ipſo condita eſſe vniuerſa, hoc eſt reforma-

Chriſtus primogeni-

[illegible] omnis creatura.

ca, renouata, inſtaurata. Vtramque interpretationem eſſe falſam, & verbis Apoſtoli contrariam, his documentis comprobamus. Nam in-
1. primis cùm Paulus dicit, Chriſtum primogenitum omnis creaturæ, abſolutè de omni creatura loquitur; nullam particulam adijciendo, quę indicet non omnem abſolutè, ſed nouam tantùm creaturam intelligendam eſſe.

Deinde ſi reſpectu nouæ creaturæ Chriſtus dicatur Primogenitus; eſſet procul dubio genitus ante omnem nouam creaturam, vt in ipſo conderentur vniuerſa: hoc enim ratio adiuncta poſtulat, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa. Vt enim in ipſo conderetur omnis creatura, oportuit ipſum eſſe ante omnem creaturam; quod & Soci-
2. nus vltrò concedit. Atqui ſi ita eſt, neceſſe eſt Chriſtum genitum eſſe à conſtitutione mundi, vt eſſet ante omnem nouam creaturam. Nouæ etenim creaturæ per fidem, & dilectionem renouatæ, ſtatim à condito mundo eſſe cæperunt. Quæ quidem omnes creaturæ ad Chriſtum pertinent: tum quia Chriſti ſanguine redemptæ, tum quia per fidem in Chriſtum, ſiue explicitam, ſiue implicitam, factæ ſunt nouæ creaturæ, vti ex ſcripturis oſtendimus in monſtris Arianiſmi. Si igitur omnis nouæ creaturæ Chriſtus eſt conditor, neceſſe eſt vt re ipſa priùs extiterit, quàm vlla noua creatura condita eſſet: aut certè Chriſtus non erit conditor omnis nouæ creaturæ ad ſe pertinentis.

3. Eſt præterea manifeſtum, Paulum primùm de creatione omnium per Chriſtum agere, ver: 15. deinde de renouatione, verſu 18. vbi non vocat Chriſtum *Primogenitum omnis creaturæ*. Sed *primogenitum ex mortuis*; quia nimirum primus ad vitam immortalem reſurgendo à mortuis, fuit omnibus cauſa, vt ad nouam, & immortalem vitam reſurgerent. Neq; dicit, *In ipſo condita eſſe vniuerſa in cœlo, & in terra*; ſed *per eum reconciliata omnia, & pacificata per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt*: ita vt ex inſtituto, quaſi de alia re tractans, à nomine creationis, & creaturæ, hoc poſteriori loco abſtineat; & eo reſpectu vocat Chriſtum *caput corporis Eccleſiæ, & habere omnem plenitudinem in ſe inhabitantem*, vt eam in totum corpus Eccleſiæ diffundat. Quod ſanè indicat, eum ante de vera creatione omnium in cœlo, & in terra egiſſe: tum verò de renouatione, & reformatione. & idcirco aliis verbis conſultò
4. vſum eſſe cùm de creatione ageret, aliis cùm de reformatione. Quartò, inter creaturas conditas in cœlo numerantur Throni, Dominationes, Principatus, & Poteſtates: Atqui hi fuerunt nouæ creaturæ conditæ

ditæ à principio mundi, quia creati in gratia; neq; creatione noua per Chriſtum indigebant, cùm nūquam à ſtatu ſuo defecerint, aut deficere iam poſſint. Non igitur de nouarum creaturarum creatione accipi verba Pauli poſſunt.

Reſpondet Statorius; Thronos &c. conditos, id eſt reformatos eſſe. Quia enim Chriſtus *conſtitutus eſt ſuper omnes Principatus, & Poteſtates, Virtutes, & Dominationes*, (vt dicitur Epheſ. 1. 21.) idcirco Angeli ad nouam quandam Reipub: formam redacti ſunt: tum quia immediatè Chriſto ſubeſſe, & ab eo depēdere cæperunt, cùm antea ſoli Deo ſubiecti eſſent: tum quia veriſimile eſt, Chriſtum Angelorum officia, ad oſtendendum ſuum in eos dominium, & poteſtatem, in noua commutaſſe. Cuius rei gratia cùm conditi à Chriſto dicuntur; nominibus officiorum ſuorum appellantur, nempe Throni, Dominationes, &c. *Angeli ab conditi à Christo.*

Sed fallitur Statorius. Aliud enim eſt condere, ſeu creare nouas creaturas; aliud iam conditas gubernare, vel ordinare. Condere, ad primam illarum conſtitutionem pertinet: gubernatio verò, ſupponit iam conditas, & creatas. Paulus non ait nouas creaturas ordinatas, ſed conditas à Chriſto. non ergo rectè Statorius conditas, id eſt ordinatas, & nouis officiis reformatas exponit. Conduntur nouæ creaturæ, cùm fiunt, non cùm ordinantur, aut officium acquirunt. Fiunt autem, cùm regenerantur, & acquirunt ſpiritum Filiorum Dei per gratiam Chriſti. Quocirca, etſi daremus Chriſtum Angelis noua officia diſtribuiſſe, tamen eo reſpectu conditi, & creati dici non poſſent. Nam nouæ creaturæ in ſcriptura non dicuntur ratione officiorum, ſed ratione gratiæ, & charitatis, per quam Filij Dei nominamur & ſumus diuinæ facti conſortes naturæ. Ea etiam officiorum diſtributio, non efficit, vt dictum eſt, ſed ſupponit Angelos conditos, & factos nouas creaturas. Et certè, cùm officia in repub. conferuntur, dicimus creari aliquē Præfectum, vel Conſulem, non autem dicimus creari hominem; quia per creationem illam non homo, ſed Rex, vel Conſul efficitur. Pari ergo ratione, non diceretur à Paulo omnia viſibilia, & inuiſibilia condita, & creata, hoc eſt homines, & Angelos, ſi de officiis eorū tantùm ageretur. Cùm enim de officiis res eſt, quo ad officia, non autem abſolutè homines creari dicuntur.

At, inquit, nominibus officiorum vocantur Angeli, cùm dicuntur conditi. Reſpondeo, primùm abſolutè omnia inuiſibilia Paulus dicit condita; vbi nulla ſit officiorum mentio. Deinde, cùm n[illegible]

Digitized by Google

Angelorũ officia non mutata à Chriſto. Throni, Dominationes, vt gratis concedamus ea nomina officiorum, vel dignitatum eſſe, tamen à Chriſto immutata eſſe non concedimus. Non enim Throni deſierunt eſſe Throni, neq; dominationes eſſe dominationes, neq; Principatus, aut poteſtates. Hæc enim nonniſi ſomniando fingi à Statorio poſſunt. Alioquin cur eoſdem officiorum titulos retinerent? Neque vero ex eo quod Chriſto homini ſubiecti facti ſunt Angeli, mox à ſuo gradu & dignitatibus deciderunt; ſed in ſuis dignitatibus Chriſto obſequi, & illum agnoſcere ſuum Dominũ cæperunt. Quemadmodum ſi regnum aliquod regem nouum admittat, eiq; ſubiiciatur: non eſt neceſſe Senatores, & officiales regni illicò mutari, & perturbari ſtatus, & ordines Reipub: ſed ſaluo ſtatu cuiuſq;, ſatis eſt regi nouo obedientiam præſtare. Addò, ſi propter nouum ordinem impoſitum à Chriſto, Angeli creati dicendi eſſent, Deus etiam ipſe creatus, & conditus à Chriſto diceretur. Vnum enim ex præcipuis, quæ à Chriſto facta ſunt, eſt hoc, quod Deus factus ſit nobis ex irato placatus, & ex offenſo reconciliatus. Sicut ergo eo quòd nos ſimus per Chriſtum reconciliati Deo, dicimur conditi & creati à Chriſto: ita idem quoq; de Deo dicendum & affirmandum eſſet: quo nil abſurdius. Nam quod aiunt, Deum nobis non reconciliatũ à Chriſto, ſed nos Deo; falſum ex eo eſt, quòd Deus cùm propter Chriſtum nobis peccata remittit, iram ſuam auertit à nobis, quod eſt reconciliari nobis: vti in monſtris Arianiſmi demonſtratum eſt.

Verùm aduerſus noſtram ſententiam Socinus, & Statorius, & Moſcorouius opponũt primò. Ex hoc loco potiùs concludi, Chriſtum è numero creaturarum eſſe. Etenim qui aliquorum dicitur Primogenitus, neceſſe eſt vt ſit ex numero, & ordine ipſorum. Cùm igitur Chriſtus dicatur Primogenitus omnis creaturæ, neceſſe eſt vt & ipſe ſit creatura, & quatenus creatura, tempore reliquas omnes antecedat, *quia in ipſo condita ſunt vniuerſa.* *Chriſtus primogenitus ante omnẽ creaturam.* Hæc obiectio in hunc modum ſoluitur Chriſtum non eo ſenſu dici Primogenitum creaturarum, quòd ſit Primogenitus inter creaturas, vel prima creatura; ſed quia eſt primogenitus ante omnes creaturas: quomodò ſapientia dicitur *primogenita ante omnem creaturam.* Eccleſ. 24. quam tamen conſtat non eſſe vnam ex creaturis. Etſi igitur cùm aliquid dicitur primogenitum aliquarum rerum in priori ſenſu, neceſſe ſit eſſe vnam è numero illarum; non tamen id eſt neceſſe, cùm in ſenſu poſteriori id affirmatur: quod tum præcipuè accidit, quando aliquid dicitur Primogenitum reſpectu rerum diuerſi generis.

generis, & conditionis: vt hic accidit, cùm Primogenitus accipitur reſpectu rerum non genitarum, ſed creaturarum. Si enim Chriſtum è numero creaturarum dicere voluiſſet, non dixiſſet Primogenitum, ſed primò creatum, vt ſic eum in ordine creaturarum collocaret. At cùm eum dixit Primogenitum, cæteras verò creaturas creatas, & conditas, non genitas; eo ipſo illum ex creaturarum numero exemit.

Cæli & terra conditor Chriſtus.

Opponunt ſecundò. Paulum non dixiſſe cœlum, & terram, ſed omnia in cœlo, & in terra condita à Chriſto. Verùm id iam ante reiecimus: tum quòd idem eſt conditor cœli & terræ, & eorum quæ cœlo, & terra cōtinētur; quid enim nobiliſſimas creaturas in cœlo, & in terra condidit; procul dubio cœlum quoq; & terram condere potuit: tum quia nomine eorum quæ in cœlis, & in terra ſunt, conſueuit ſcriptura omnia vniuerſè, etiam ipſum cœlum, & terram intelligere: rebus creatis in duas veluti partes, in cęlo, & in terra diſtributis. Quanquam fruſtra id vrgent aduerſarij. Nam etiamſi diſertis verbis à Paulo ſcriptum eſſet, cœlum, & terram à Chriſto condita: nunquam tamen acquieſcerent, vt Chriſtum cœli, terræq; conditorem crederent; ſed chimæram aliquam nouam inuenirent, quam verbis Pauli attexerent. Ita enim de facto fecerunt in duobus aliis ſcripturæ locis, quibus mundus totus, & cœlum, atq; terra à Chriſto condita dicuntur Ioan: 1. *Mundus per ipſum factus eſt.* Hebr: 1. *Tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Quæ loca deinceps à calumniis aduerſariorum erunt vindicanda.

An Throni Dæmones intelligantur.

Sed antè vnum addidero. Socinum in loco citato ad Coloſſenſens, nomine Thronorum, Dominationum, Principatuum, Poteſtatum, malos Angelos intelligere: quos idcirco conditos dicit, quòd in iis magna mutatio per Chriſtum ſit facta; vt ait colligi ex aliis locis. Epheſ: 6. 12. *Aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores.* Col: 2. 15. *Expolians Principatus, & poteſtates.* 1. Cor: 15. 24. *Cùm euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.* Ad Epheſ: verò 1. 21. *Conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem.* 1. Petr: 3. 22. *Profectus in cœlum, ſubiectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.* At fallitur Socinus. Etſi enim nomine principatuum, & poteſtatum, Dæmones aliquando in ſcriptura intelligantur, vt in locis ad Col: 2. & Epheſ. 6. citatis apparet: tamen non minus eodem nomine Angeli boni deſignantur. vt Epheſ: 1. & 1. Petr. 3. & hoc ipſo quem tractamus loco: nihil enim eſt, quòd nomen commune bo-

 nis, &

Digitized by Google

Principatus & poteſtates euacuandæ à Chriſto.

nis, & malis Angelis, ad malos reſtringat. Quod verò ad locum 1. Cor: 15. attinet; etſi Paulus quibuſdam loqui videtur non de malis Angelis, ſed in communi de euacuatione omnis principatûs, poteſtatis, & virtutis; hoc eſt omnis in mundo poteſtatis, & gubernationis, quam tunc, hoc eſt, in fine mundi, euacuabit Chriſtus: ceſſabit enim tunc omnis gubernatio per homines, & Angelos: ceſſabit omnis poteſtas, magiſtratus, officia hominum, & Angelorum; & tunc Chriſtus tradet regnum Deo, & Patri, vt ille ſolus per ſeipſum regnet, omni alio regimine ſublato: tamen aliis magis ad mentem Pauli facere videtur, ſi id de malis Angelis intelligatur. Hoc enim colligi videtur ex verſu ſequenti, vbi de inimicis loquitur: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum.* ac ſi diceret; quamdiu non euacuauerit poteſtates, & conculcet eas tanquam inimicas ſub pedibus ſuis, oportet eum regnare, & non ante tradere regnum Deo, & Patri.

Verùm non ſolùm errat Socinus, quòd locum ad Coloſſ: de creatione Angelorum, de malis Angelis interpretatur; ſed etiam quòd ineptum aſſignat modum, quo mali Angeli dicantur à Chriſto conditi. Nam cùm ad Col: 2. de expoliatione principatuum, & poteſtatum ſit mentio; & 1. Cor: 15. de euacuatione earundem; non conditi ſed deſtructi potius indicantur. Quis enim tunc condi, vel creari aliquem dixerit, cùm omni officio, & poteſtate ſpoliatur? Etenim id potiùs deſtrui, & in nihilum redigi dicendum eſt. Non igitur propter dictam expoliationem & euacuationem, dici poſſunt Angeli mali conditi à Chriſto.

CAPVT XIII.

Mundum per Verbum factum eſſe D. Ioannes affirmat.

Mundus qui à Chriſto factus eſt Chriſtũ non cognouit.

VErba D. Ioannis ſunt: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Reſpondent Ariani pertinaciſſimè, non eundem mũdum eſſe in quo Chriſtus erat, & qui per Chriſtum factus eſt; ſed Chriſtum in hoc viſibili mundo fuiſſe, mundum verò futurum, hoc eſt, illud immortale ſæculum, quod in altera vita expectamus, factum eſſe per Chriſtum: mundum verò qui Chriſtum non cognouit, eſſe homines malos. Ita iſti impudentiſſimè quodcunq; libet effutiunt, & ſcripturas ad libitum peruertunt. Quis enim non videt de eodem mundo D. Ioannem agere, eiuſq; ſummam ingratitudinem

erga ta-

Digitized by Google

erga factorem ſuum exaggerare, quòd cùm in mundo eſſet, & mundus per ipſum factus eſſet, nihilominus mundus illum tanquam factorem ſuum non cognouerit? Hanc enim ingratitudinem etiam ſequentibus verbis repetit: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Tunc enim in propria venit, cùm in mundum venit, qui per ipſum factus eſt; ac ſi in propriam domum, quam ſibi exædificauit, veniſſet: ſui autem, quos ille fecerat, & creauerat, eum non receperunt. Certè ingratitudo mũdi conſtare non poteſt, niſi idem mundus qui à Chriſto beneficio affectus eſt, Chriſtum non agnouerit; in quem etiam mundum Chriſtus, 2. vt ab eo agnoſceretur, & reciperetur, venerat. Idem oſtendit, voci 3. *Mundus*, articulus in omnibus tribus locis præfixus; vt ille ipſe Mundus, qui erat ante commemoratus, intelligeretur. Idem & ex illa repetitione vocis mundi apparet. Repetit enim vocem Mundi in principio ſequentis ſententiæ, tanquam commemoratam in fine præcedentis: quocirca eundem mundum vtrobiq; intelligit. Alioqui quis non videt ſententias non connexas, ſed ſicut ſcopas diſſolutas futuras, ſi alius, atq; alius mundus in tribus locis accipiatur? Si verò eadem mundi ſit acceptio, pulchrè, & connexè omnia dicuntur.

Mundi nomine non intelliguntur boni.

Id præterea hanc aduerſariorum interpretationem euertit; quòd contra omnem ſcripturæ conſuetudinem, mundi nomine bonos accipi volunt. Ita enim mundum per Chriſtum factum exponunt, vt omnes illos, qui ad immortale illud, futurumq; ſæculum pertinent, cõplectatur. Quæ acceptio, non ſolùm non eſt in ſcripturis vſitata, ſed etiam bonos omnes de mundo non eſſe, & ad mundum non pertinere, diſertè ſacræ literæ pronunciant, Ioan: 17. Mundi enim nomine, vel homines indifferenter intelliguntur, vel homines mali: boni verò nunquam.

Huic obiectioni, vt Socinus ſatisfaciat, in omnem ſe partem vertit. Primumq; ait: Sæculum, & mundum, pro eodem in ſacris literis vſurpari. Quemadmodum igitur ſæculi futuri nomine, immortalitas illa deſignatur: ita & mundi nomine deſignari poteſt. At hæc reſponſio ex eo refellitur, quòd quemadmodum immortale illud ſæculum, non ſæculi nomine abſolutè poſito, ſed ſæculi noui, vel futuri nomine deſignatur; ita neq; mundi nomine abſolutè poſito, ſed mundi noui, vel mundi futuri nomine deſignari boni poſſunt. Sic enim & D. Petrus: *Cœlum nouum, & terram nouam nominat.* 2. Petr: 3. 13. Et Paulus *orbem terræ futurum.* Hebr: 2. Cùm vero ibidem cap: 10. 5. dicitur. *Ideo*

ingrediens in mundum, dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi, ecce venio.

De Chriſti in mundū ingreſſu Socini figmētum.

Socinus putat illum mundum intelligi, in quem Chriſtus ſtatim ac ingreſſus eſt, obtulit ſacrificium. Atqui Chriſtus in hunc mundum ingreſſus non obtulit illico ſacrificium, ſed poſt quam in cœlum ingreſſus eſt, vt ex cap: 8. conſtare ait. Quocirca non hanc terram, ſed illum cœleſtem mundum vult mundi nomine intelligendum eſſe. Negat verò impudenter, mortem Chriſti ſacrificium fuiſſe; ſed tantùm ad ſacrificium præparationem neceſſariam: idq; exemplo legalis ſacrificij, in quo pecus ante Sancta Sanctorum mactabatur, ſanguis autem eius in Sancta Sanctorum à ſummo ſacerdote illatus, Deo offerebatur. cap: 9.

Chriſti ſacrificium.

In terra.

Verùm Socinus vnam rem incredibilem, alia magis incredibili confirmat; quod eſt abſurdiſſimum probationis genus. Quis enim vnquam Chriſtianorum, non dicam exiſtimauit, ſed à longè ſuſpicatus eſt, Chriſtum in cruce ſacrificium non obtuliſſe? certè aut orbis Chriſtianus per mille ſexcentos annos, in re omnium grauiſſima, quale eſt ſacrificium Chriſti, à quo ſalutis noſtræ ratio tota dependet, errauit; aut errat turpiſſimè Socinus, qui nouos fidei articulos omnibus Chriſtianis hucvſq; inauditos, contra communem omnium fidelium ſenſum credendos obtrudit. Et quidem Socini hoc figmentum, in monſtris Arianiſmi, quarta parte ſatis refutauimus: hic vero ſatis eſt ad locum citatum de Chriſti in mundum ingreſſu reſpondere. Si enim Paulus de illo Chriſti in mundum futurum ingreſſu loqui voluiſſet, non abſolutè mundum nominaſſet, ſed more ſuo, & ſcripturæ, mundum futurum, vel nouum dixiſſet: quod quia non dixit, hunc mundum, qui abſolutè & propriè mundus dicitur, intellexit. Etſi vero non ſtatim ac in hunc mundum ingreſſus eſt Chriſtus, obtulit ſacrificium; tamen ſtatim ſe obtulit Deo Patri ad futurum ſacrificium. Hoc enim volunt ſibi illa verba: *Tunc dixi, ecce venio*; quæ Chriſtus in mundum ingrediens dixit: quia cùm naſcendo in hunc mundum ingrederetur, illico ſeipſum ad paſſionem, & mortem, Deo Patri obtulit. *Quia enim,* (inquit) *ſacrificia & oblationes legis veteris noluiſti,* tanquam imperfecta, & inſufficientia ex ſe ad remiſſionem peccatorum (ſolum enim ex affectu offerentium placebant Deo, cùm in ſe nullam ſanctitatem & iuſtitiam continerent) *corpus autem aptaſti,* hoc eſt aptum & perfectum ad ſacrificium offerendum feciſti mihi, *Tunc dixi, ecce venio,* paratus ad faciendam

In cælo.

Digitized by Google

ciendam tuam voluntatem Deus. In hoc igitur mundo, per mortem *ſeipſum obtulit ſemel, ad multorum exhaurienda peccata.* Heb: 9. 20. in cælo verò ſacrificium cruentum ſemel in cruce oblatum, Deo Patri ſemper repræſentat, & incruentè per manus ſuorum miniſtrorum offert. Sicq; verum vtrùmq; eſt quod Paulus aſſerit, Chriſtum & ſemel ſe obtuliſſe cruentè in terra, & ſemper offerre incruentè in cœlo: quod ipſum & in ſacrificio illo legali adumbrabatur. Nam & mactatio illa pecudis in honorem Dei ante Sancta Sanctorum facta, erat verum ſacrificium (nihil enim illi ad rationẽ ſacrificij deerat) & in Sanctis Sanctorum (quæ cœli, teſte Paulo, figura erant) à ſummo Pontifice ſanguis in ſacrificio ante fuſus repræſentabatur, & offerebatur Deo.

Argumentatur præterea Socinus, non poſſe eundem mundum in his tribus apud Ioannem ſententijs intelligi. Quantumuis enim quis aſſerat, mundum hunc viſibilem à Chriſto factum: tamen mũdus qui Chriſtum non cognouit, non eſt hic mundus viſibilis ex cœlo, terraque compoſitus; ſed ſoli homines, ad quos ſolos ea cognitio ſpectabat. Reſpondendum eſt Socino. Mundi nomine, non cœlum ſolùm, & terram, ſed omnia quæ in eis ſunt deſignari. Non mirum autem eſt, ſi toti ea tribuantur, quæ partium ſunt; cùm & ipſæ partes totius ſint. Et ſicut veriſſimè homo dicitur videre, & ambulare, etſi oculorum ſit proprium videre, pedum ambulare: ita veriſſimè dicitur mundus non cognouiſſe Chriſtum, quia homines non cognouerunt. Ita enim homines ſunt pars mundi, ſicut oculi, vel pedes, ſunt hominis partes. Neque magis negari poteſt mundum agnouiſſe Chriſtum, ex eo quod hominum id ſit proprium; quàm ſi quis neget hominem videre, quod id ſit proprium oculorum. Multò verò ineptius eſt Moſcorouij contra PETRVM SKARGAM argumentum, cùm inquit: Si idem ſit mundus in quo Chriſtus fuit, & qui per Chriſtum factus eſt, ſequeretur prius Chriſtum fuiſſe in mundo, quam mundus factus eſſet per ipſum. Quaſi verò quod prius commemoratur, prius eſſe debeat eo, quod ſecundo loco ponitur: cùm non ex narrationis ordine, ſed ex rerum connexione ſit æſtimanda natura rerum. Certè ſi quis diceret, Deum eſſe in mundo, & mundum ab ipſo factum eſſe; nemo, niſi Moſcorouio ſimilis, concludet prius Deum in mũdo fuiſſe, quàm is ab ipſo creatus eſſet. Neque igitur de Chriſto ſimilis concluſio valere debet. At inquies; ſaltem non eadem ſignificatione accipitur mundus, cùm dicitur Chriſtum non cognouiſſe, ſicut cùm dicitur eſſe per Chriſtum factus; cùm

Mundi acceptio in ſcriptura.

Moſcorouij ineptia.

ctus; cùm prior acceptio homines præcipuè ſpectet, poſterior verò omnia cõprehendat. Reſpondeo, minimè verò. Nam ſicut idem homo eſt videns, & ambulans, licet alia parte corporis videat, alia ambulet; ita idem mũdus eſt qui Chriſtum non cognouit, & qui per eum factus eſt: licet per homines tantùm Chriſtum cognoſcere poſſit: factus verò dicitur, quo ad alias etiam ſui partes.

Altera Socini euaſio. Alteram reſponſionem affert Socinus, nempe mundi vocem, ter hic à Ioanne repetitam, in eodem ſenſu accipi poſſe; vt ſcilicet vbiq; homines generatim ſignificet: neque tamen hinc ſequi, ipſos homines primò factos per Chriſtum eſſe, ſed refectos & quaſi denuo factos: eoque ſenſu mundum per Chriſtum factum, hoc eſt, renouatum eſſe. *Refellitur.* Cùm enim Hebræi verba compoſita non habeant, ſimplicibus pro compoſitis vti ſolent. At futilis eſt hæc reſponſio. Primùm, quia mun-
1. dus cùm dicitur abſolutè factus, primò factus, non denuo factus intelligitur. Nam quod ad Hebræorum idiotiſmum attinet, aduertere Socinus debuit, Diuum Ioannem Grçcè non Hebraicè ſcripſiſſe; Græci autem compoſitis abundant, ſicut & Latini. Deinde ſi mundus dicatur factus, id eſt renouatus; quomodo additur, *& mundus eum non cognouit*? annè mundus renouatus Chriſtum non cognouit, cùm ea renouatio fiat per fidem, & cognitionem?

Reſpondet Socinus; ſimilibus locutionibus non effectum, ſed vim efficiendi. & id, quod quis quantum in ſe eſt facit, ſignificari. Sicut cùm dicitur Chriſtus ſaluator mundi, ſenſus eſt: Chriſtum feciſſe quod in ſe eſt ad ſaluandum mundum, etiamſi mundus hanc ſalutem non ſit conſequutus. Et quamuis ſalus hæc contingat per fidem, & cognitionem; poteſt tamen dici mundum, cuius Chriſtus ſaluator eſt, Chriſtum non cognouiſſe. Quod enim verè de maxima parte dicitur, id de toto quoq; indefinitè citra mendacium dici conuenit. Pari ergo ratione, etſi mundus per Chriſtum factus dicatur, poteſt tamen dici ille mundus factus, & renouatus, Chriſtum non cognouiſſe, maiori ſua parte.

4. Verùm hæc reſponſio refellitur. Nam etſi id verum ſit in nonnullis locutionibus, in quibus verba, non effectum omnino, ſed vim efficiẽdi ſignificant; vti patet in verbo Saluatoris: Saluator enim dicitur, qui præſtat ea quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, etiamſi ſalus ipſa non conſequatur: in alijs tamen locutionibus, quæ effectum ipſum fieri ſignificant, ea regula locum non habet Tale eſt Verbum

Verbum renouandi, quod ſignificat renouationem effectu, & re ipſa præſtitam. Nullus enim dicitur renouaſſe domum, ſi domus manet in ſua vetuſtate, & nullam nouitatem recepit. Neq; mundus dici poteſt renouatus, ſi nullam nouitatem re ipſa acquiſiuit; neque antequam Euangelium in toto mundo prædicatum, & creditum eſt, mundus dici potuit renouatus. Neq; enim renouatum dici poteſt, nulla ſequuta renouatione. Tale etiam eſt Verbum faciendi. Non enim mundus dici poteſt factus, niſi re ipſa factus ſit; neque creatus, niſi re ipſa creatus ſit; quum eæ denominationes ab effectu ſumantur. Fruſtra igitur Socinus offundere tenebras vult, & loquēdi modos inter ſe confundere: verumq; eſt argumentum Catholicorum: ſi mundus per Chriſtum factus, hoc eſt, renouatus eſt, negari non poſſe, quòd mundus Chriſtum cognouerit. Si enim non cognouiſſet, propterea nō cognouiſſet, quòd à Chriſto per fidem, & cognitionem renouatus non eſſet: quod ſi renouatus eſt per fidem & cognitionem, procul dubio cognouit. implicat enim contradictionem, renouari per fidem, & cognitionem, & non cognoſcere.

CAPVT XIIII.

Per Chriſtum facta eſſe & ſæcula, Paulus in epiſtola ad Hebræos aſſerit.

QVod Ioannes dixit, per Verbum mundum, & omnia facta eſſe; hoc alijs verbis à Paulo dicitur; *Per quem fecit & ſæcula.* Hebr: 1. 2. *Sæcula inuiſibilia.* Porrò nomine ſæculorum, non tàm tempora ipſa intelliguntur, quàm res in tempore exiſtentes; atq; adeò mundus ipſe. Neq; enim tempora dicuntur per ſe fieri, ſed res in tempore. Sic infrà cap: 11. 2. dicuntur *aptata eſſe ſæcula Verbo Dei, vt ex inuiſibilibus, viſibilia fierent*: vbi nomine ſæculorum, mundus ipſe intelligitur; qui cùm creatus eſt, factus eſt ex inuiſibili viſibilis, ex non exiſtente exiſtens. quemadmodum & Sap: 11. 18. Mundus dicitur *creatus ex materia inuiſa,* hoc eſt, ex nihilo, & nulla materia. Quod enim aliquid eſt, oculis vtique aliquibus viſibile eſt: quod autem nullo modo viſibile eſt; non eſt, nihil eſt. *Materia inuiſibilis.*

Porrò Socinus, Statorius, Moſcorouius, ſæcula facta per Chriſtum, noua & futura ſæcula, quæ poſt hanc vitàm in cœlo expectamus, interpretantur duplici argumēto: tum quòd Paulus expreſſè ait ſe loqui de orbe futuro cap: 2. 5. *Non enim,* inquit, *Angelis ſubiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur*: tum quòd in hoc capite agit Apoſtol9 de Chri-

ſto quà

ſto quà homo eſt, quatenus nobis à Deo patefactus, & Deus in ipſo nobis locutus eſt; eumq; cum Angelis comparat; quod nefas eſſet, ſi verus Deus eſſet: homo verò non antiqua, ſed noua ſæcula efficere poterat.

Sæcula vetera per Chriſtum facta. Catholici verò locum Pauli de ſæculis veteribus, quæ abſolutè ſæcula ſunt, ſeu de mundo veteri, non nouo intelligunt: ſiquidem Paulus abſolutè, & abſque vlla reſtrictione, ſæcula per Chriſtum facta eſſe teſtatur. Sæcula autem abſolutè poſita in ſcriptura, vetera ſæcula deſignant; neq; niſi cum aliqua adiectione, noua. Vt ad Heb: 6. 6. *Virtutes ſæculi venturi.* Marci 10. 30. *In futuro ſæculo.* Eſaiæ 9. *Pater futuri ſæculi.* Quoties verò ſcriptura, vetera ſæcula ſignificare vult; abſolutè ſæcula nominat. Et quidem meritò. Quia iſta ſunt verè, & abſolutè ſæcula; alia verò nonniſi per ſimilitudinem, & tranſlationem, & metaphoricè, mundi & ſæculorum nomine dicuntur. Hinc vetera ſæcula, abſolutè ſæcula nominantur apud Matt: 28. 20. *Omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* & Heb: 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* quem locum immeritò Statorius dubitat de veteribus ſæculis accipi debere. Paulus einm eo loco ab exordio mundi incipiens, enumerat quæ fide nobis credenda proponuntur: inter quæ primo loco ponit, Formationem ſæculorum Verbo Dei.

Verùm quia aduerſarij magnum ſuæ cauſæ firmamentum in eo ponunt, quòd Paulus capite 2. ait ſe loqui de orbe terræ futuro: Primum demõſtrnadum eſt, nihil inde quod ad rem ipſorum faciat ſequi. Deindè & illud exponendum, quiſnam ſit illè orbis terræ futurus, de quo in capite 2. Paulus loquitur. Ad hæc, quis ſit ille orbis terræ, in quem cap: 1. ait Primogenitum à Deo introductum. Demum, an tunc primùm, cùm Primogenitum Deus introduxit in orbem terræ, mandatum Angelis dederit Deus, vt Chriſtũ adorarent. Hæc enim omnia ad exactam eius loci intelligentiam ſpectant.

1. Quæſtio. Et quidem illud primũ nõ magnam habet difficultatem; potiùs enim cõtrarium, quàm quod aduerſarij volunt, innuunt Pauli verba. Nam cùm de re noua, hoc eſt, de mundi ſubiectione Paulus in cap. 2. ageret; ne de eodem orbe terræ, de quo in capite primo egerat, agere putaretur, meritò cautione illa vti debuit. *Non enim Angelis ſubiecit orbem terræ futurũ, de quo loquimur:* nempe ne intelligeretur de eo orbe terræ quẽ ante commemorauerat loqui, ſed de orbe terræ futuro, de quo tunc

Explicatur. primum tractare incipiebat. Nam antè, hoc eſt in capite primo, locutus eſt

tus eſt

tus eſt de orbe terræ, alio fine, & reſpectu: cumq; neq; futurum nomi- *locus Pau-*
nauit, neq; ſe loqui de futuro orbe vllo modo ſignificauit. Poſtquam *li de orbe*
verò de ſubiectione agere cœpit, ne quis fortè exiſtimaret Paulum ne- *terra futu-*
gare, hunc mundum viſibilem eſſe Angelis ſubiectum; conſultò adie- *ro.*
cit, ſe loqui de orbe terræ, non præſenti, ſed futuro, quem Deus Chri-
ſto, non Angelis ſubiectum eſſe voluit. Conſtabat enim hunc viſibi-
lem orbem terræ ſubiectum eſſe Angelis, quo ad gubernationem, &
ordinem; vt ex cælorum conuerſionibus, & regnorum gubernationi-
bus in ſcripturis manifeſtum eſt. Oportuit ergo Paulum cautela illa
vti, & verba illa *de quo loquimur*, omnino addere: quibus cõſtaret, Pau-
lum antè de eo orbe non fuiſſe locutum. Neq; enim ſi in vna aliqua
materia loqui aliquem contingat de orbe terræ futuro, concludere li-
cet, in antegreſſis omnibus, & conſequentibus materiis, de eodem or-
be terræ verba fieri. Neq; verò Paulus ait, de quo locuti ſumus, ſed *de
quo loquimur*; vt vel hoc ipſo doceret, ſe in præſenti ſentẽtia, non antè,
locutum eſſe de futuro orbe terræ. Nam quemadmodum hic nomina-
uit *orbem terræ futurum*, quia de illo loqui inſtituerat: ita & antè eun-
dem nominaſſet, ſi de illo loqui inſtituiſſet. At non nominauit futu-
rum, ſed abſolutè orbem terræ: non igitur de futuro orbe terræ, ſed
abſolutè de orbe terræ antè locutus eſt. Alioqui & in ver: 10. cùm de
terræ fundatione loquitur, terra noua intelligenda eſſet. Et ſanè non
Pauli ſolùm, ſed & totius ſcripturæ is mos eſt, vt noua ſæcula, nouum
mundum, nonniſi adiuncta voce aliqua quæ id deſignet, ſignificent.

Maius illud dubium eſt, quis ſit ille orbis terræ futurus, de quo ſe *2. Quæſtio,*
loqui Paulus cap: 2. affirmat. Nonnullis enim hic orbis terræ viſibi- *de orbe*
lis, à Paulo, futurus dici videtur; quia nondum creatus erat, cùm Chri- *terræ futu-*
ſto diuina voluntate traderetur à Deo: eratq; Chriſti reſpectu tunc fu- *ro varia*
turus, ad eum modum, quo *Adam* ab eodem Paulo dicitur, *forma futuri*, *ſententia.*
hoc eſt Chriſti, qui erat tum futurus, Adami reſpectu. Verùm huic o- 1.
pinioni repugnat Paulus hoc loco, quia de ea ſubiectione orbis terræ
agit, quæ poſt Chriſti paſſionem, & reſurrectionem contigit: quæq;
tunc perficietur, cùm Chriſtus *regnum tradet Deo & Patri* 1. Cor: 15. id
quod ex aliis quoq; locis, in quibus de eadem ſubiectione tractatur,
perſpicuum eſt. Epheſ: 1. 21. 1. Cor: 15. 27. Alii eundem orbem terræ
viſibilem interpretantur, quatenus per fidem ſubiicitur Chriſto. Ve- 2.
rùm huic quoq; expoſitioni opponi poteſt; Paulum idem nomine or-
bis terræ futuri intelligere, quod alias *ſæculum venturum* appellauit:

Digitized by Google

quo dq; Petrus *cælum nouum*, *& terram nouam* dixit; hic autem orbis terræ poſt hanc vitam futurus eſt. Quare vera ſententia eſt, orbem terræ futurum, illud poſt hanc vitam futurum immortale ſæculum, deſignare. Neq; verò huic ſententiæ aduerſatur, quòd in Pſal: 8. inter cætera ſubiicienda numerantur, *oues*, *boues*, *& vniuerſa pecora campi.* Nam Pſalmus hic de Chriſto allegoricè, & ſpiritualiter intelligitur: ita vt homo, Chriſtum hominem deſignet; terra hæc, terram illam nouam, in regno cœlorum; oues, & boues, & vniuerſa quæ homini in hac terra ſubiiciuntur, ſignificent omnia Chriſto in altera vita ſubiicienda eſſe. Quare non eſt neceſſe in altera vita eſſe boues, & oues: ſed ſicut in hac vita, ea quæ ſunt huius mundi, homini ſubiecta ſunt; ita in illa vita, ea quæ ſunt illius mundi, Chriſto omnia ſubiicientur.

Quæ ſint Chriſto ſubiicienda in futuro ſæculo.

8. Quæſtio.

Iam oſtendendum eſt, quis ſit ille orbis terræ, in quem Primogenitum ſuum Deus introduxiſſe dicitur: in quo etiam Angelis vt eum adorárent præcepit. Nam Statorius cum ſuis, orbem terræ, non præſentem, ſed futurum intellexit: nempe in altero mundo, illud immortale quod expectamus ſæculum. In præmium enim paſſionis, & mortis Chriſto datum eſſe ait, vt adoraretur ab omnibus Angelis, & omne genu cœleſtium illi flecteretur. Phil: 2. Quare poſt reſurrectionem in illud fælix, & immortale ſæculum eſt introductus; factus immortalitatis particeps, & mox Dei mandato ab omnibus Angelis adoratus eſt.

Quis ſit orbis terræ in quem Chriſtus eſt introductus.

At errat Statorius: Nuſquam enim nomine orbis terræ abſolutè, futurus orbis terræ, ſed hic præſens intelligitur: ſiquidem hic orbis terræ, abſolutè eſt orbis terræ: ille verò per ſimilitudinem quandam, & tranſlationem. idcircoq; non abſolutè, ſed vel futurus, vel venturus, vel nouus orbis terræ dicitur. Neq; refert quod obiecit Statorius, Chriſto poſt reſurrectionem datum, vt ei omne genu flectatur. Nam idipſum datum Chriſto legitur, in ſecundo ipſius in mundum aduentu in iudicium, teſte Paulo Rom: 14. 11. *Omnes*, inquit, *ſtabimus ante tribunal Chriſti: Scriptum eſt enim, viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* Idipſum etiam non immeritò creditur factum in primo Chriſti aduentu, cùm ad eum natum multitudo militiæ cœleſtis deſcendit, procul omni dubio adorabunda; cùm non neſciret eum & Deum, & Dei Filium eſſe; diuinaq; propterea adoratione dignum. Quocirca ex adoratione Chriſto ab Angelis facta, non magis locus hic de vna, quàm de altera Chriſti in mundum introductione, explicari poteſt. Catholici verò noſtri, etſi in hoc conueniant, orbem terræ in quem

Mandatum de Chriſto adorando Angelis datum.

Digitized by Google

quem Chriſtus introductus dicitur, eſſe iſtum præſentem orbem terræ; cùm is ſolus abſolutè orbis terræ nomine intelligatur: tamen quænàm illa introductio fuerit, & quando facta, in eo non omninò conueniunt. Nam aliqui de primo in hunc mundum aduentu interpretantur; vt Chryſoſtomus, Theodoretus, Occumenius, Sanctus Thomas: alij de reſurrectione, cùm denuo in hunc mundum reſtitutus totius mundi poſſeſſionem, & poteſtatem omnem in cœlo, & in terra accepit; quam ſententiam Salmeron noſter cum pleriſq; aliis ſequitur: alij deniq; de ſecundo aduentu, cùm ad iudicium veniet: quæ ſententia eſt valde probabilis. Locus ſiquidem Pſal: 92. ex quo ſumuntùr illa verba, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*; totus eſt de ſecundo Chriſti aduentu, in quo Chriſtus maximè & regnum ſuum toti demonſtrabit mundo, & in maieſtate cum Angelis ſuis veniet, & tunc ſecundùm prædictionem Iſaiæ, *curuabitur illi omne genu, & omnis ei lingua confitebitur.* Tunc etiam *nubes, & caligo erit in circuitu eius, ſiquidē in nubibus veniet; ignisq; ante illum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* quod ſignum eſt aduentum Chriſti ad iudicium præcedens. Et ita hunc Pſalmum interpretatur Arnobius, Ribera, & alij. Quamcunq; ex tribus his ſententiam ſequi voluerimus, cauſa aduerſarij cadent. Non enim in cœlo primùm, ſed in terra vt adorarent Angeli Chriſtum, mandatum à Deo acceperunt; vt ea adoratio toti mundo conſpicua eſſet.

Addo verò vnum: non rectè ex hoc loco à Statorio colligi, mandatum de Chriſtò adorando, primùm poſt reſurrectionem Angelis eſſe datum; nempe in præmium paſſionis, & mortis: tum quia veriſſimilius eſt locum hunc de iudicij, non de reſurrectionis tempore accipiendum eſſe, vti oſtendimus: tum, quia etſi poſt reſurrectionem nouo quaſi titulo propter paſſionem, & mortem, donatum eſt Chriſto, vt illi omne genu flectatur, tamen idem fuit ſemper antè Chriſto debitum, alio, nempe Dei, & Domini titulo. ſemper enim erat Deus, & Dominus, ac ex conſequenti, diuino cultu & adoratione dignus. Neq; verò nouo Dei mandato tunc fuerat opus, vt Chriſtus adoraretur: ipſe enim Dei, & Domini titulus hanc obligationem ſecum afferebat; & lex Dei ſcripta in cordibus docet, eum qui Deus verus eſt & Dominus, eo ipſo colendum, & adorandum eſſe. Hoc igitur in reſurrectione Chriſto donatum eſt, vt diuinus honor, qui multis aliis titulis illi antè debebatur, nouo etiam titulo propter paſſionem, & mortem deberetur; & re ipſa in cœlo & in terra præſtaretur, vti copioſiùs in mõſtris Arianiſmi deduximus. 4. *Quæſtio.*

Digitized by Google

Chriſtum eſſe verum Deum Paulus probat. I. Iam reſpondendum eſt ad aliud aduerſariorum argumentum, initio propoſitum; quo verba illa, *per quem fecit & ſæcula*, de Chriſto quà homo eſt, exponenda eſſe affirmant: quemadmodum & alia, quæ de Chriſto in eodem capite adducuntur. Dicimus igitur; Paulum hominis illius Chriſti, ſummam præ Angelis dignitatem demonſtrare velle: eamq; dignitatem ex eo potiſſimum oſtendere, quòd ille homo ſit quoq; Deus. ad eamq; diuinitatem oſtendendam, varia ſcripturæ loca adducere. *Splēdor & figura ſubſtantiæ.* Idcirco enim vocat Chriſtum *ſplendorem gloriæ, & figuram ſubſtantiæ Dei*. quod non poteſt niſi ad diuinam Chriſti naturam referri. Si enim *Deus lux eſt*, & ſplendor huius lucis Chriſtus: conſequens eſt, vt quemadmodum ſplendor eſt conſubſtantialis luci, ita Chriſtus Deo. Figura quoq; ſeu expreſſa imago ſubſtantiæ Dei, quomodo intelligi poteſt ſine ſubſtantiæ vnitate? Si enim imaginem, in eo in quo eſt imago, ſimilem eſſe oportet rei cuius imago eſt; Filius autem eſt imago ſubſtantiæ Dei: in ſubſtantia igitur Deo ſimilis eſt, ac eiuſdem eſt cum Deo ſubſtantiæ. *Imago Arianorum ridicula.* Nam quod aduerſarij aiunt, Chriſtum non eſſe verè imaginem Dei, ratione ſubſtantiæ, ſed metaphoricè ratione doctrinæ: hoc cum aliàs confutauimus, tum ex eo etiam patet, quod ex eo ſequeretur, non Chriſtum, ſed eius doctrinam eſſe imaginē Dei. Non enim ſeipſo, ſed ſua doctrina Deum repræſentaret. Is enim qui author eſt imaginis, non dicitur imago: Chriſtus autem ſecundum iſtos author eſt doctrinæ quà Deus, vt imagine repræſentatur: non igitur Chriſtus, ſed eius doctrina eſſet imago Dei.

2. *Filius Dei natura.* Pergit autem Paulus aliis quoq; argumentis Chriſti diuinitatem demonſtrare. *Cui enim*, inquit, *Angelorum aliquando dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* quod niſi ad diuinam naturam referas, verificari non poteſt. Omnibus enim Angelis dictum eſt à Deo, Filij mei eſtis, gratia & adoptione; at nulli dictū eſt, natura filius meus es tu, ſed ſoli Chriſto: qui idcirco ſolus, & abſolutè filius dicitur, quòd natura filius ſit.

3. *Adoratur ab Angelis vt Deus.* Verſu verò ſexto, ex adoratione Angelorum, eandem Chriſti diuinitatem oſtēdit. De adoratione enim diuina ſermo eſt: alioqui non ſequeretur Angelis Chriſtum præſtantiorem eſſe, ſiquidem & Angelis ſua (nempe diuina inferior) adoratio conuenit. Diuina verò adoratio, non niſi ſoli Deo vero debetur, ratione eius diuinæ eſſentiæ, & maieſtatis.

4. *Angelorū Dominus.* Addit etiam Paulus, Angelos eſſe miniſtros: Chriſtum verò Deum & Dominum, cœli & terræ conditorem. Et quidem ſi humanam Chriſti

Digitized by Google

Chriſti naturam ſpectas; ipſe quoq; Dei miniſter à Paulo dicitur, infrà cap: 8. 2. in eoque par Angelis eſſet. Vt ergo præſtet Angelis: non humanæ, ſed diuinæ naturæ reſpectu, Deus & Dominus eſt dicendus.

Deniq; talem Dominum Chriſtum eſſe dicit, cui dictum ſit à Domino, *ſede à dextris meis.* hoc eſt, pari eſto cum Deo honore & maieſtate: quod vti de nulla natura creata dici poteſt (ea ſiquidē eſſe Deo æqualis non poteſt, nam & Angeli *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus*) ita diuinam in Chriſto naturam manifeſtè conuincit. Neq; enim homini illi dici poterat, *ſede à dextris meis*; niſi homo ille, Deus verus eſſet. *5. Sedes à dextris Dei æqualis Deo.*

Quæ cùm ita ſint; ruit per ſe aduerſariorum obiectio. Etſi enim de Chriſto, quà homo eſt, agat in hoc primo capite ſanctus Paulus: tamen hoc ipſum agit, vt hominis illius diuinam excellētiam atq; naturam, qua Angelis præſtat, oſtendat. Neque verò nefas eſt, Chriſtum hoc modo cum Angelis comparari. Is enim qui comparatur, homo eſt; tametſi ratio comparationis Deus ſit: eoque ipſo probatur melior Angelis effectus, quòd differentius præ illis nomen hæreditauit. Hoc autem eſt nomen Dei veri, quod ille hæreditâſſe dicitur; quia Filius iure naturali & hæreditario, bona Patris ſibi vendicat. Talis igitur homo cùm ſit Chriſtus, qui ſimul etiam ſit Deus; nihil mirum eſt, quòd non noua tantùm ſæcula, ſed & antiqua facere potuerit, ac omnino fecerit.

CAPVT XV.

De Chriſto Paulus interpretatur illud Pſalmi: Tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.

ID quod plurimùm in hac materia vrgent aduerſarij, eſt, nos oſtendere non poſſe, Chriſtum cœlum & terram creaſſe; ſed tantùm per ipſum condita & creata eſſe omnia. Tantum verò in ea re poſitum arbitrantur, vt nihil aliud à nobis concludi putent (etiamſi loca quæ à nobis adduci ſolent, de vera creatione intelligenda eſſent) niſi Chriſtum eſſe cauſam mediam, aut quaſi inſtrumentalem creationis; non verò præcipuam & principalem. In qua re quantùm à vero aberrent, ſatis ſupra oſtendimus; cùm & particula, *Per,* cauſam mediam non neceſſario indicet: & quòd ea Verbo diuino præcipuè accōmodetur, eam eſſe rationem diximus, quòd vti Verbum, ad eum cuius eſt Verbum, neceſſario refertur; ita & quæ à Verbo fiunt, ad eum ipſum à

Digitized by Google

quo Verbum eſt referuntur: idq; particula illa, *Per*, indicatur. Quanquam non ad eum modum, quo inſtrumentum ad agens principale refertur, Verbum quoque diuinum ad Deum referri putandum eſt. Eſt enim diuinum Verbum, æqualis cum Deo virtutis & potentiæ; quin & eiuſdem cum Deo ſubſtantiæ: quod ipſum non inſtrumentum eſſe, ſed æquè cauſam præcipuam ac Deum Patrem demonſtrat.

Chriſtus cœli terræq; conditor.

En igitur quod tantopere cupiunt aduerſarij, in hoc Pauli teſtimonio expreſſum habent; Chriſtum eſſe cœli terræque conditorem. Cùm enim Paulus hoc primo ad Hebręos capite conſtitutum haberet, adducere varia ſcripturæ loca, ex quibus Chriſtus melior Angelis effectus, & differentius præ illis nomen hæreditaſſe intelligeretur; nomen inquam Dei, & Domini ad dexteram Dei ſedentis: tandem hunc etiam Pſalmi locum inter cæteros adducit, eumq; de Chriſto intelligi vult. quod vel ex ipſa particula, *Et*, demonſtratur; qua cōnectit hoc teſtimonium cum aliis, & docet illud ad Chriſtum pertinere, ſicut & alia teſtimonia ſimilibus particulis indicata. Porrò ad Chriſtum ſpectare is locus aliter non poteſt, niſi perſona Chriſti ſit in eo deſignata. Si enim perſona Chriſti nullo modo ſignificata eſſet; nullo modo locus ad Chriſtum pertineret. Quomodo enim pertinere poteſt, nulla prorſus eius mentione facta, ſiue in literali, ſiue in myſtico ſenſu? Quodſi perſona Chriſti hoc loco deſignata eſt; ea non erit alia, quàm perſona Dei creatoris cœli & terræ. Nullius enim alterius perſonæ in hoc Dauidis teſtimonio ſit mentio. Ex quo conſequens eſt, Chriſtum eſſe Dominum, cœli terræq; conditorem.

Socini ratiuncula.

Verùm aduerſarij ne cauſa cadere videantur; potiùs, quàm hunc nobis locum concedant, quæuis abſurda dicere malunt; vt ex abſurdis, quas adferunt, reſponſionibus perſpicuum erit. Primùm igitur Socinus oſtendere conatur ea Pſalmi verba, *Tu Domine initio terram fundaſti*, ad Chriſtum nullo modo pertinere. Theſis enim (inquit ille) quam Paulus probare inſtituit, eſt, Chriſtum eſſe tanto meliorem, ſeu præſtantiorem Angelis factum, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Statuit igitur loqui de præſtantia Chriſti in tempore acquiſita; quam particulæ illæ, *effectus*, & *hæreditauit*, oſtendunt: non verò de aliqua præſtantia æterna, & quæ antè orbem conditum fuerit; qualis eſt, eſſe Dominum cœli, terræq; conditorem. Deinde nihil abſurdius excogitari poteſt, quàm ſi (tanto præſertim teſtimoniorum apparatu) creaturam cum ſuo creatore, etiam quatenus creator eſt, conferre

Digitized by Google

conſerre inſtituiſſet. Denique contra omnem ſcripturæ loquendi modum feciſſet Paulus, ſi Chriſtum conditorem cœli vocaſſet: cùm ſcriptura per Chriſtum, non à Chriſto, omnia condita dicere ſoleat: & quidem non cœlum, & terram, ſed quæ in cœlis & quæ in terris: ſolique Deo Patri tanquam proprium relinquat, vt dicatur creator cœli & terræ. Hæc Socinus.

Quibus omnibus ſuis ratiunculis id vnum efficere vult, vt oſtendat, Paulum omninò non dicere, quod manifeſtiſſimè dicit. Quid enim euidentius eſt, quàm Chriſtum in hoc Dauidis teſtimonio, Paulo interpretante, eſſe illum, de quo verba Pſalmi exponi debeant? Et tamen homo hæreticus, leuiſſimis argumentis, putat ſe rem contrariam perſuadere poſſe. Certè ſi prima huius teſtimonij verba ad Chriſtum non pertinent; neq; poſteriora ad eundem pertinebunt: cùm nonniſi vna perſona in toto hoc teſtimonio indicetur, de qua omnia intelligenda ſunt. Et idem qui dicitur terram fundaſſe, dicatur etiam cœlis deſtructis permanſurus, & anni eius non defecturi: nulla cuiuſquam alterius perſonæ facta tacita vel expreſſa mentione. *Soluuntur.*

Nam quod ad primam Socini rationem ſpectat, verum eſt, Paulum de Chriſto homine, eiuſque quam in tempore obtinuit præſtantia loqui. Ea verò præcipua eſt, quod ille homo, etiam verus Deus, cœli, terræq; conditor. Etſi enim eſſe Dominum, cœli terræq; conditorem, ſit quiddam æternum: tamen Chriſto homini in tempore cõuenire cœpit, mediante illa vnione Verbi cum carne, de qua Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis.* 1.

Secunda verò ratio ſoluitur, ſi dicamus Paulum, non creatorem, cùm creatura conferre; ſed Chriſtum hominem, cum Angelis. Porrò præcipuam Chriſti præ Angelis præſtantiam eſſe; quòd ille homo, ſit etiam Dominus, cœli terræq; conditor. Nam etſi per ſe notum ſit, Deum eſſe præſtantiorem Angelis; neq; hoc probatione egeat: tamen non ita notum erat, hominem illum, ob diuinitatem quæ in eo latebat, eſſe Angelis præſtantiorem. Quare iure optimo inſtitui cum Angelis comparatio poterat. 2.

Ad tertiam, in capite præcedenti iam eſt reſponſum. Vtroq; enim modo ſcriptura de Chriſto loquitur: & quod Deus per ipſum operatur omnia; & quòd ipſe æquè ac Deus operatur omnia. Ita enim Ioannis 6. ipſemet Chriſtus: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor; & quæcunque Pater facit, hæc Filius ſimiliter facit.* Vbi ſermo eſt de diuinis ope- 3.

nis operibus: quæ etſi Pater per Chriſtum faciat; tamen & ipſe Chriſtus ea ſimiliter facit. Atqui, inquit Socinus, aliud eſt operari, & facere; aliud creare? Reſpondeo. Nos hic de modo loquendi ſcripturæ agere. Nam quemadmodum omnia per Chriſtum facta eſſe in ſcriptura dicuntur; & Pater in Chriſto manens, dicitur facere opera eius: ita etiam per Chriſtum omnia condita, & creata dicuntur in ſcriptura. Sicut autem hoc non obſtante, quòd per Chriſtum Pater omnia operetur, & faciat; eadem ſcriptura dicit, Chriſtum æquè ac Patrem operari, & facere: ita etſi per Chriſtum dicantur omnia creata; id nihil obſtat, quominus dicatur ipſe Chriſtus creator omnium & conditor, ſicut & Pater. Ait, vim operandi, & faciendi communicari potuiſſe Chriſto homini; vim verò creandi (quæ ſolius Dei eſt propria) minimè. At facilè id refellitur. Nam ſi per Chriſtum omnia creata dicit ſcriptura, procul dubio vis creandi Chriſto quoq; competit. Quomodo enim ſi nullam vim ad creandum habuit, per ipſum omnia creari potuiſſent? Non ſolùm igitur vis faciendi, ſed & creandi Chriſto eſt communicata. Quanquam cùm Chriſtus quæcunq; Pater facit, eadem omnia ſimiliter facere dicitur; verbo faciendi, creationem quoq; contineri manifeſtum eſt: cùm etiam creare, ſit facere, & creari ſit fieri. Prou: 8 At de facto, inquit, nuſquam alibi ſcriptura dixit, Chriſtum conditorem cœli, & terræ. Quaſi verò non ſit ſatis ſemel id dixiſſe; aut quod ſemel dictum eſt in ſcriptura, non tantam habeat authoritatem, quàm ſi ſæpius repetitum eſſet. Accedit, quòd cùm ſcriptura paſſim per Chriſtum dicat omnia facta, condita, creata; Chriſtum vt Verbum Patris conſiderat. Verbi verò eſt, vt per ipſum à Deo omnia fiant. Cùm autem Chriſtum, vt vnum eſt cum Patre, æqualis, vniuſq; virtutis, conſiderat: ipſum quoq; vnà cum Patre operari, & facere omnia dicit: neq; ſolùm quæ in cœlis, & in terris; ſed cœlum ipſum, & terram, quibus omnia abſolutè continentur: & idem qui omnia in cœlo, & in terra creauit, ipſum quoq; cœlum, & terram creauit, vt ſupra demonſtrauimus.

Chriſto vis creandi cõmunicata.

Secundo loco Socinus probat quandam ſuorum interpretationem, verba illa, *Et tu Domine initio terram fundaſti*, per apoſtrophen ad Deum Patrem dicta eſſe à Paulo. Is enim, inquit, raptus in admirationem regni Chriſti, cuius in præcedenti teſtimonio mentionem fecerat, exclamat ad Deum Patrem verbis Dauidis: *Et tu Domine initio terram fundaſti.* quaſi diceret, quid mirum quòd Chriſtum ad ter-

Abſurda Socini apoſtrophe.

tam d.-

tam dignitatem euehere potueris, tu enim cælum, & terram creaſti; eaq; velut veſtimentum mutaturus es. Qua quidem interpretatione, quid magis extortum & incredibile fingi ac excogitari poterat? Quis enim his mille ſexcentis annis, ex tanto interpretum numero, vmbram apoſtrophes in verbis Pauli deprehendit? cùm luce clarius ſit, Paulum non ad apoſtrophen faciendam (quæ Paulo inſolita & inuſitata eſt) ſed ad colligenda de Chriſto, & Angelis teſtimonia, ſcripturas adducere. Id quod particula, *Et*, loco Pſalmi præfixa, ſatis oſtendit. Nam quemadmodum alia de Chriſto teſtimonia, ſimilibus particulis indicauit: ita & hoc teſtimonium ad Chriſtum pertinere indicat. Ait quidem Socinus, poſt particulam, *Et*, nullum apponi punctum diſtinctiuum, in antiquis Græcis & Latinis libris. At id refellitur, vel ex eo, quòd Patres Græci, & Latini, cum ea diſtinctione hunc locum legerunt, & explicarunt: & alijs teſtimonijs, quæ toto hoc capite adducuntur, particulæ coniunctiuæ præfixæ, idem hic quoq; fieri docent. Deinde ſi Paulus apoſtrophen facere voluiſſet, eam vtiq; ad ſuum aliquod propoſitum aliqua ratione accommodaſſet; ne inepta, & à re de qua tractabat, aliena videretur: nihil autem tale fecit, neq; ad regni Chriſti maieſtatem vllo modo accommodauit; ſed purum Dauidis teſtimonium, ſicut & alia antè, & poſt, adduxit. Neq: verò vllum eſt huius admirationis Pauli indicium, & nota: ita vt conficta ab aduerſariis, non à Paulo vel minimo verbo indicata, cenſeri omnino debeat.

Quanquam ea interpretatio, ne Socino quidem ipſi ſatisfacit, quare & aliam excogitauit. Fatetur igitur teſtimonium hoc de Chriſto, ſicut & alia præcedentia, & ſubſequentia accipienda eſſe; non quidē quòd huius teſtimonij verba ad Chriſtum dirigantur; ſed quòd in hoc teſtimonio, de re ad Chriſtum pertinente agatur; nempe de mundi huius abolitione, & in nouum eumq; prętantiorem mutatione: Chriſto verò datum eſſe ait à Patre, vt omnem mortalitatem aboleat; & ſuos vitæ cæleſtis præmio afficiat. 1. Cor: 15. 24. Phil: 3. 21. 2. Petri 3. Et quidem prima illa verba: *Tu Domine initio terram fundaſti,* de Deo, non de Chriſto accipi debere vult; ſolumq; propter ſequentia, quæ ſine ipſis intelligi non poterant, commemorata eſſe. Nam ſicut in præcedentibus, ex eo quod Paulus dixit, *Ad Filium autem,* non eſt neceſſe verba ſcripturę ad Chriſti perſonam accommodari: ſicut neq; cùm adiungit, *Et ad Angelos quidem dicit,* non eſt neceſſe exiſtimare ad Angelos ibi *Noua Socini reſpōſio.*

verba fieri; ſed ſenſum eſſe, de Angelis ea dicta eſſe: ita conſimili ratione in hoc de quo agimus ſcripturæ teſtimonio, non eſt neceſſe ad Filium verba dirigi, tametſi de Filio, ſeu de ſpectantibus ad Filium in illis agatur.

Refellitur. Sed hæc Socini interpretatio ex eo refellitur, quòd Dauid in hoc loco de abolitione quidem mundi loquitur, ſed eam nulli alteri quàm Domino, creatori cœli & terræ attribuit; nullius alterius mentione facta, per quem hæc mundi abolitio futura eſſet. Quare aut per Chriſtum hanc abolitionem futuram non prædicit Dauid; aut ſi prædicit, Chriſtum nomine Domini, creatoris cœli & terræ, comprehendit. Neque verò ſatis eſt dicere, abolitionem mundi, quam prædicit Dauid, futuram per Chriſtum; niſi etiam hoc ipſum prædixiſſe Dauidem oſtendatur, nempe non ſolùm futuram, ſed & per Chriſtum futuram: ad hoc enim hoc teſtimonium adducitur à Paulo, quòd in eo de Chriſto ſit ſermo. Quomodo autem de Chriſto ſit ſermo, ſi nullo modo perſona Chriſti exprimatur? Parum enim refert, quòd hæc abolitio per Chriſtum ſit re ipſa futura; ſi hoc ipſum Chriſto in hoc loco non tribuatur. Et quidem potuit Paulus dixiſſe, abolitionem à Dauide prędictam, per Chriſtum futuram, etiamſi hoc Dauid non adiecisset; nempe Spiritu diuino quo Paulus plenus erat, id adijcere potuit, quod Dauid non adiecerat. At non potuit dixiſſe, Dauidem id vaticinatum eſſe, ſi nullam Dauid Chriſti fecit mentionem: neque vel vno verbo eam mundi mutationem Chriſto attribuit. Si igitur Paulus eo fine loca ſcripturæ adducit in toto hoc capite, vt ex illis, & in illis oſtendat aliquid Chriſto attribui, quod Angelis nullo modo tribuitur: procul dubio neceſſarium eſt, in hoc quoque teſtimonio perſonam Chriſti commemorari; ſicut & in alijs antè, & poſt teſtimonijs, perſona Chriſti ſiue ſecundùm literam, ſiue myſticè exprimitur. Quare aut Socinus concedat Chriſto mundi abolitionem à Dauide attribui; cumq; nulli alteri quàm Domino, creatori cœli & terræ tribuatur, Chriſtum eſſe Dominum cœli, terræque conditorem: aut ſi hoc non concedat; conſequetur, nihil hoc loco de Chriſto Dauidem prædixiſſe, cùm abolitionem mundi, non Chriſto, ſed Deo creatori cœli & terræ tribuerit. Nam etſi reuera futura eſt per Chriſtum ea abolitio, tamen eam Dauid hoc loco, Chriſto (ſecundùm aduerſarios) non tribuit: & ſic Dauidis teſtimonium ad hoc nihil faceret. immo officeret potiùs, quòd de ea re Propheta agens, quæ per Chriſtum futura creditur; eam tamen non

Chriſto,

Digitized by Google

Chriſto, ſed Deo attribuerit. Ne igitur talia abſurda concedamus; dicendum eſt, hoc teſtimonio Chriſtum commemorari; & nomine Domini creatoris cœli & terræ comprehendi: cùm ei ſoli omnia, quæ in hoc Dauidis vaticinio continentur, tribuantur; nec vllius alterius perſonæ mentio fiat.

Sed & illud in hac Socini aſſertione diſſimulandum non eſt, ex quibuſnam ſcripturis aſſerat, & mundi abolitionem, & renouationem, per Chriſtum quà homo eſt, futuram. Si enim ſcripturas ſpectemus, ſine quibus nihil in religione aſſerendum aduerſarij putant, eæ mundi illam futuram mutationem Deo, & igni paſſim tribuũt. Quod enim aiunt, Chriſto datum eſſe vt mortem aboleat, & immortalitatis ſuos faciat participes: id de hominibus intelligendum eſt, quos vinculis mortis liberatos, immortalitate donabit: mundi verò mutationem per Chriſtum, quà homo eſt, futuram, ne vno quidem ſcripturæ loco confirmare poſſunt. *Mundi abolitio Deo tribuitur in ſcripturа.*

Aut igitur mundi mutationem abſque ſcripturis, Chriſto quà homo eſt, non tribuant; aut ſi tribuere velint, neceſſe vt Chriſtum verum Deum confiteantur. Deo ſiquidem ſcriptura eam mutationem acceptam refert. Accedit, quod in hoc Pſalmi quem tractamus loco, nulla mundi renouationis, ſed tantùm abolitionis, & deſtructionis mentio fit. Ita enim de cœlis loquitur: *Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt veſtimentum veteraſcent, & velut amictum mutabis eos & mutabuntur: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* In quibus verbis nulla fit mentio renouationis cœlorum; ſed tantùm interitûs vetuſtatis, mutationis: quę etiam non quamcunq; mutationẽ, ſed deſtructionem ſubſtantialem cœlorum ſignificant. Neque enim cœli dicerentur perire; ſi tantùm accidentaliter mutarentur. Id enim propriè perit, quod ſubſtantialiter eſſe deſinit. Dicuntur etiam ſicut veſtimentum veteraſcere: quia ſicut veſtimentum vetuſtate conſumptum, penitus deſtruentur. Adhæc, velut amictus dicuntur mutandi: quia ſicut amictus vetuſtate detritus, & cõſumptus abijcitur, (quod eſt amictũ qua amictus eſt deſtrui) ita cœlos tanquam cõſumptos Deus abijciet. Porrò hunc interitum & mutationem cœlorum, eo fine commemorat; vt ei opponat Dei permanentiam, & annos non deficientes: ex qua etiam antitheſi apparet cœlos ita perituros, vt anni eorum deficiant; ſicut Deus idem ſemper eſt, & anni eius non deficiunt. Quod ſi Socinus dicat in illis verbis (*veluti amictum mutabis eos*.) innui renouationem cœlorum: *Cœlorũ interitus quo ad ſubſtantiam.*

 vt enim

vt enim veſtis mutatur, vetus abijcitur, noua induitur: ita cœlis veteribus abiectis, noui cœli ſuccedent. Reſpondendum eſt. Prophetam ſolùm eo in loco agere de mutatione cœlorum, vt aiunt, corruptiua; & eam opponit immutabilitati, & incorruptioni Diuinæ: quod veſtis veteraſcentis, & amictûs mutati ſimilitudo indicat; & verba illa: *Ipſi peribunt.* An verò cœlorum mutationem ſit aliquid noui ſecuturum, non dicit hoc loco; licet id ſit verè futurum. Loquitur enim ſolùm de mutatione veſtis, vt veſtem ipſam reſpicit, cùm depoſita abijcitur.

Cælum nouum & terra noua, ad quem mundum pertineant.

Iam quod de mundo nouo Socinus indicat; fateor ſanè, ea quæ in ſcripturis de cœlo nouo, & terra noua habemus, præcipuè ad cœlos & terram mundi illius inuiſibilis & immortalis referenda eſſe. Ita enim D. Petrus in ſua epiſtola exponit. Poſtquam enim ait cœlos iſtos viſibiles, & terram peritura; ſubiungit: *Cœlos autem nouos, & terram nouam, ſecundùm promiſſa Dei expectamus, in quibus iuſtitia habitat.* Vt enim ſanctus Thomas in hunc Petri locum rectè docet: Promiſſa Dei, quibus præmia pro rectè factis, atque adeò ipſi cœli noui, & terra noua nobis promittitur, non in hoc viſibili mundo expectantur à nobis, ſed in alio. Cœli etiam in quibus iuſtitia habitat, non hi præſentes intelligendi ſunt, ſed illi in quibus beati habitabunt; neque enim in his cœlis, & in hac terra habitabit iuſtitia poſt diem iudicij; ſed in cœlis, & terra beatorum: idq; ſiue iuſtitiæ nomine intelligatur iuſtitia diuina, quâ retribuuntur bonis præmia, & illa iuſtitiæ corona à iuſto iudice reddenda; ſiue intelligatur iuſtitia, id eſt ſanctitas: ita, vt ſicut in his cœlis, & hac terra, iniquitas, & peccatum modo habitat; ita in cœlis illis, & in illa terra, iuſtitia & ſanctitas habitatura ſit; hoc eſt, iuſti & ſancti homines.

Cur cælos corrumpi oporteat.

Ad hunc etiam modum cœlos nouos Clemens Romanus ex D. Petri ſententia exponit; ita vt iſti cœli viſibiles deſtruendi ſint; cœlum alterum ſuperius, & inuiſibile, in quo beati habitant, ſucceſſurum. ita vt quod in epiſtola D. Petri de cœlis nouis ſcriptum habetur; id apud D. Clementem ab eodem, viua voce, multò clariùs expoſitum eſt. 2. & 3. Recognitionum libro. Vbi etiam Simoni Mago interroganti, cur cœlum iſtud viſibile corrumpi oporteat? reſpondet Petrus: *Si propter ſemetipſum factum eſſet, haberet fortaſſe aliquid rationis, quia reſolui minimè deberet: Si verò propter quid aliud factum eſt, & non propter ſe; neceſſariò ſoluetur, vt illud pro quo factum videtur, appareat.* id quod eleganti ſimilitudine ab ouorum teſtis oſtendit. *Sicut,* inquit, *verbi gratia dixerim, teſta ouorum,*

Digitized by Google

rum, quamuis pulchrè facta, & diligenter formata videatur; neceſſe eſt tamen eam frangi, & reſolui, vt inde pullus procedat; vt illud pro quo totius oui forma expreſſa videtur, appareat: ita ergo & huius mundi neceſſe eſt tranſire ſtatum; vt ſtatus ille ſublimior regni cœleſtis effulgeat. D. etiam Ioannes in Apoc: poſtquam nouorum cœlorum, & nouæ terrę meminit, inducit Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, cum portis duodecim, eamque non egere ſole & luna; ſed claritate Dei illuminari; & lucernam eius eſſe Agnum declarat. Scilicet in terra illa noua, noua quoque ciuitas Hieruſalem eſt; vti ab hac terrena Hieruſalem diuerſa, ita ad alium illum inuiſibilem mundum, non ad præſentem pertinens.

Ad illum etiam mundum inuiſibilem ſpectat, ille *orbis terræ futurus*; quem Paulus Chriſto ſubiectum eſſe memorat ad Hebr: 2. Eundem etiam, *venturum ſæculum* vocat: ſæculum inquam, ad cœlos illos beatorum proculdubio, non ad viſibile hoc cœlum pertinens.

Cœli renouandi quo ad ſubſtantiam.

Quanquam autem quæ de cœlis nouis, & terra noua in ſcriptura aſſeruntur, præcipuè ad alterum mundum, quem in cœlo beatorum expectamus, referuntur: tamen hunc quoq; inferiorem mundum, ex cœlis his viſibilibus, terraq; conſtantem, poſt diem iudicij nouum futurum, & in melius immutandum, non temerè Catholici Theologi, Doctoreſq; arbitrati ſunt. Etſi enim hic mũdus deſtruẽdus ſit, in vindictam peccati, & malorum hominum; æquumq; eſſet, ad ſempiternam rei memoriam, vt vaſtatus, & deſolatus in perpetuum remaneret; & cùm hominum cauſa primò factus eſſet, hominibus in mundum ſuperiorem tranſlatis vacuus relinqueretur: tamẽ veriſimile eſt, & Patrum ſententiis magis conforme, mundum hunc inferiorem, partem quandam illius ſupercœleſtis mundi futurum; & eius quoq; gloriam ſuo modo participaturum; vti præclarè ſanctus Thomas, dictum D. Petri locum explicans, opinatur. Placet verò eorum Thelogorum opinio, qui cœlis & terra huius viſibilis mundi ſubſtantialiter deſtructis, noua corpora, diuerſæ ab his quæ modo ſunt ſubſtantiæ, conditum iri exiſtimant; eaq; ad cœlos illos nouos, & terram nouam, quæ ſecundùm promiſſa Dei expectamus, pertinere, vt partem quandam, licet exiguam, ſentiunt. Sic enim & ea, quæ de ſubſtantiali mundi interitu ſcripturæ docent, integrè ſaluantur: & quæ de eiuſdem mundi poſt interitum renouatione à Doctoribus traduntur, aptiùs intelliguntur, ſi de renouatione ſubſtantiali accipiantur.

Atq; hæc eo conſilio à nobis pauló ſuſiùs dicta ſunt, vt Socinum,

Digitized by Google

nullum habere ſuę interpretationis in Pſalmi loco à Paulo citato fundamentum, doceremus: Cùm in eo nulla de cœlorum, & mundi per Chriſtum (præcipuè quà homo eſt) renouatione, fiat mentio. Mundus verò, qui ſecundùm ſcripturas futurus creditur, etſi potiſſimùm mundum illum beatorum complectitur; hunc tamen etiam inferiorem mundum non excludit: qui ex Patrum, Theologorumq; ſententia ſuo modo innouandus, & illi alteri adiungendus creditur.

CAPVT XVI.

In Verbo vitam fuiſſe, quo ſenſu dixerit D. Ioannes: quantumuè id ſit in Chriſto diuinæ naturæ argumentum.

Cur oportuit Verbũ carnem fieri.

CVm multa de Verbo D. Ioannes docuiſſet; quando, vbi, & quid fuerit, quidq; egerit: pergit deinceps docere, quæ fuerit neceſſitas, & cauſa, vt in hunc mundum veniret, & fieret Caro. hoc enim iam dicere parabat. Hanc porrò neceſſitatem illis verbis declarat: *In ipſo vita erat.* Si enim tantum in Verbo nobis poſitum erat, vt vitam æternam in eo repoſitam haberemus; neq; eam aliter quàm ipſo ad nos in carne veniente habere (Deo ſic ſtatuente) potuimus: neceſſe omninò fuit, Verbũ Carnem fieri, & habitare in nobis, plenũ gratia, & veritate.

Quomodo vita in Verbo.

Duo autem hic animaduertenda ſunt. Primum, D. Ioannem de Verbò ante carnem agere: de illo inquam Verbo, quod in principio apud Deum, & Deꝰ erat; & per quod omnia facta ſunt Neq; verò mirũ eſt, in eo vitam fuiſſe: ſiquidem Verbum quemadmodum omnium rerum eſt cauſa, *(per ipſum enim omnia facta ſunt)* ita & vitæ noſtræ cauſa eſt: & idcirco non immeritò dici potuit: *In ipſo vita erat.* Ex quo conſequitur, in Verbo vitam eſſe, vti in prima omnium rerum effectrice cauſa: ad eum modum, quo in Deo tanquam rerum omnium fonte, & prima omnium cauſa, vita noſtra eſſe dicitur. Alterum eſt, agi hic de vita noſtra non naturali, ſed ſpirituali; qua Deo viuimus, hic quidem per gratiam, & in æternum viuemus per gloriam Hanc igitur vitam eſſe in Verbo, ſicut effectum in cauſa: ſenſumq; eſſe; totam vitam noſtram ſpiritualem, tum in hoc, tum in futuro ſæculo, à Diuina Verbi poteſtate pendere, & effici.

Hanc verò vitam appellauit lucem hominum: quæ quantum eſt ex ſe, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; & mentis eorum tenebras diſcutit: ſed tenebræ, ſeu homines in tenebris peccatorum po-

Digitized by Google

rum poſiti, eam lucem non comprehenderunt: & lucem ad ſe venientem non cognouerunt, nec receperunt: vti in ſequentibus mox exponit. Quemadmodum igitur de luce, ita & de vita ſpirituali hîc agi à Ioanne perſpicuum eſt.

Iam verò his præſuppoſitis; magnum ex hoc loco ſumitur pro diuina Chriſti natura argumentum. Neq; enim in eo vita noſtra æterna eſſe poſſet, niſi eſſet verus, & natura Deus. Solus etenim Deus vitam æternam nobis largiri, & conferre poteſt. Nam etſi miniſtri ſuo modo, hoc eſt, vt Dei inſtrumenta, & virtute Dei, poſſint nobis vitam æternam per Sacramenta, & alia media diuinitus inſtituta conferre: tamen nemo virtute, & poteſtate propria, & vt præcipua cauſa ſalutis, vitam nobis afferre poteſt, niſi Deus ipſe. Indicant hoc ea omnia ſcripturæ loca, in quibus Deus ſolus dicitur ſaluator; ita vt abſq; illo non ſit ſaluator. Iſa: 43. *Ego ſum Dominus, & non eſt abſq; me ſaluator.* Et cap: 45. *Dominus iuſtus, & ſaluans, non eſt præter me.* Oſeæ 13. *Ego ſum Dominus Deus; & ſaluator non eſt præter me.* Porrò Chriſtum virtute propria nobis vitam & ſalutem conferre, luce ipſa clarius eſt. Neq; enim poſſet dici in ipſo vitam eſſe, niſi ipſe præcipua cauſa vitæ, & ſalutis eſſet; eamq; nobis propria virtute conferre poſſet. Nam in miniſtro, nemo dixerit vitam, & ſalutem noſtram eſſe; cùm miniſter ex ſe nihil poſſit, niſi ex Deo: neq; quiſquam dixerit, nos in nomine miniſtri alicuius ſaluari; cùm miniſtri non ſuo; ſed Dei nomine ſalutem annuncient. Pauluſq; id ita exhorruit, vt diceret: *Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* quaſi hoc à conditione, & ſtatu miniſtrorum ſit ita alienum, vt in eos conuenire nullo modo poſſit. De Chriſto verò pronunciat Ioannes: *In ipſo vita erat*: quia ipſe fons erat, & cauſa prima vitæ, habēs vitam in ſemetipſo. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo; ita dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.* Ioan. 6. quod de nullo alio dicere poſſumus. Non enim miniſtri habent vitam in ſemetipſis, ſed in Deo; cuius propria poteſtate, non ſua operantur. Solus Chriſtus habet vitam in ſemetipſo, veluti fons, & cauſa prima vitæ.

In Verbo vita non eſſet, niſi Deus eſſet.

Solus Deus, præcipua ſalutis cauſa.

Chriſtus præcipua ſalutis noſtræ cauſa.

Quocirca etiam, non ſolùm de eo dicitur, in ipſo eſſe vitam; ſed ipſum eſſe vitam: ac ſi eſſentia ipſa, & fons vitæ in eo exiſtat. *Ego ſum,* inquit, *via veritas, & vita.* Non enim ſolùm eſt via ad vitam, neq; ſolùm veritas oſtēdens vitam; ſed & ipſa origo, & fons vitæ. Neq; ſatis erat Chriſtum fateri ſe vitam noſtram eſſe, per modum viæ, quia ducit nos ad vitam; aut per modum veritatis, quia doctrina ſua oſtendit nobis

Chriſtus vita ipſa.

vitam

Digitized by Google

vitam veram: ſed etiam fatetur ſe eſſe ipſam vitam, ad quam ducimur & dirigimur: ita, vt vel credere in ipſum, ſit vitam æternam habere. Ioan: 3. quod de nullo hominum, vel Angelorum affirmari poteſt; ac ne de ipſo quidem Deo maius quid in hoc genere dicere poſſumus, quàm quod credere in ipſũ, ſit vita æterna; ſimili ratione Act: 4. 12. de Chriſto dicitur: *Et non eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud eſt nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Certè etſi miniſtri ſalutem nobis conferant, annunciando Euangelium, baptizando, remittendo peccata: tamen vniuerſè dicitur, *Non eſt in aliquo alio ſalus, neq; nomen aliud in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Quid ita? niſi quòd alij non ſuo nomine, nec ſua virtute, ſed Dei, ſalutem nobis afferant: eaq; ſalus quam ipſi afferunt, eſt in Deo, non in ipſis. ſolus Chriſtus ſuo nomine, & ſua virtute, tanquam verus Deus nos ſaluat, ſalutemq; quam nobis tribuit, in ſeipſo habet, tanquam in fonte, & prima cauſa ſalutis.

Chriſtus datus à Deo Saluator, qui ſit præcipua ſalutis cauſa.

At obiicit Socinus contra Vuiecum folio 462. Chriſtum eſſe ſeruatorem; ſed à Deo datum, miſſum, excitatum, & effectum, Iſa: 19.20. Ioan: 3. 16 Act: 5.31. Act: 13. 23. 1. Ioan: 4. 14. Non igitur ex ſe, ſed ex Deo eſt ſeruator. Reſpondemus. Eſſe quidem à Deo datum ſeruatorem; verùm non nudè vt miniſtrum, ſed vt præcipuum authorem ſalutis, qui in ſeipſo vitam, & ſalutem habeat: & ex ſeipſo, ac propria virtute ſaluare poſſit.

Chriſtus accepit poteſtatem à Patre vt Filius, non vt miniſter.

At enim omnem ſuam poteſtatem Chriſtus à Patre accepit. Fateor; verùm non vt miniſter, ſed vt Filius, ſi de diuina poteſtate loquamur: eam enim vnà cum diuina natura accepit naturaliter, tanquam verus & naturalis Filius. Quemadmodum igitur filius quilibet, etſi poteſtatem ſuam, & virtutem naturalem à ſuo patre per generationem accepit; non eſt idcirco inſtrumentum patris in operando, neq; ab eo in ſuis actionibus dependet; ſed ex ſe, & vt præcipua cauſa operatur. Neq; enim virtutem accepit à patre ſubordinatam, & miniſterialem; ſed naturalem, & æquè perfectam ac eſt virtus patris. Pari ratione Chriſtus, poteſtatem quidem ſuam à Patre obtinuit, ſed naturaliter; hoc eſt, vnà cum natura diuina: ac ex conſequenti, tantam quantam ipſe habet Pater; idem enim eſt fons huius poteſtatis in Patre & Filio, natura nempe diuina.

Socini ſucus detegitur.

Porro non euadit Socinus, cùm ait; Chriſtum non eſſe tantùm miniſtrum ſalutis noſtræ, vt ſunt Apoſtoli, ſed etiam ſeruatorem: qui poteſtatem nos ſeruandi habeat, & vitam æternam re ipſa nobis conferendi.

Digitized by Google

ferendi. Nam his verbis, nihil aliud quàm fucum facit. Si enim illa poteſtas Chriſti non ſit abſoluta, ſed dependens à Deo, & ei ſubordinata; procul dubio Miniſterialis eſt, & eiuſdem rationis cum omni alia Miniſtrorum poteſtate. Si verò ſit abſoluta, & independens, & nulli ſubordinata; erit ipſa Dei poteſtas: & Chriſtum primam, & præcipuam cauſam ſalutis eſſe omninò oportet.

Chriſtus propria virtute nos redemit.

Quanquam illud vel maximè indicat, Chriſtum ſalutis noſtræ primam, & præcipuam cauſam eſſe, ſuaq; & propria virtute nobis ſalutẽ attuliſſe; quòd nos ſanguinis ſui pretio redemerit, & à peccato liberauerit, vitæq; æternæ fecerit participes. Is enim qui rem propriam in pretium pro captiuo redimendo confert, prima & præcipua liberationis eſſe cauſa exiſtimandus eſt. Eiuſmodi eſt Chriſtus; cuius ſanguini, paſſioni, & morti, vitam noſtram, & redemptionem acceptam referre debemus: non quòd interuenerit ſolùm (vt aduerſarij ſomniant) in teſtimonium, & confirmationem diuinarum promiſſionum; ſed quòd veluti pretium, vim ipſam, & efficacitatem ad nos liberandos & ſaluandos habuerit, vti fuſè in monſtris Arianiſmi demonſtrauimus. Neq; verò obſtat Chriſtum, vt hominem, pro nobis mortuum eſſe; & morte ſua fuiſſe redemptorem. Nam etſi mori non poterat niſi homo; tamen redimere non potuit niſi Deus. Neq; ille homo morte ſua vnquam nos redemiſſet, niſi ſimul fuiſſet & Deus. Quidquid enim ab homine præſtari potuit, finitum eſt, & longè impar diuinæ offenſæ infinitè compenſandæ. Quemadmodum igitur ex infinita dignitate Dei offenſi, infinita quædam peccati & offenſæ magnitudo oriebatur: ita infinita dignitate opus erat in homine, qui infinitam offenſam compenſaret. Nulla verò dignitas infinita eſſe præter diuinam poterat. Homo igitur ille, debuit eſſe & Deus.

Chriſtus morte ſua nos non redemiſſet niſi Deus eſſet.

An Chriſtus vt homo habeat poteſtatem vitam æternã conferendi.

Ad quem etiam modum expediri poteſt illa quæſtio, quam Socinus contra Couetum tractat libro de Seruatore, parte prima, cap: 6. An Chriſtus, vt homo, habeat poteſtatem vitam æternam nobis conferendi. Couetus enim Dei propriam eſſe aſſerit, *ſine quo non eſt ſaluator*. Eſa: 43. 11. *Et præter quem nemo ſaluat.* Oſeæ 13. 4. Socinus verò hanc poteſtatem Chriſto homini, vt inſtrumento, & Miniſtro Dei, conceſſam eſſe oſtendit. Matth: 28. cap: 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* In data autem Chriſto homini omni poteſtate, etiam poteſtas vitæ æternæ dandæ continetur: cùm in hunc finem, omnem illam, & ampliſſimam in omnia poteſtatem ſibi datam eſſe pronunciet, vt vitam

Digitized by Google

æternam ſuis dare poſſit. Ioan: 17. 2. *Sicut,* inquit, *dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Deinde ſi Chriſto homini per mortem humiliato, datum eſt nomen ſuper omne nomen, vt ei omne genu cœleſtium flecti debeat: quomodo abſurdum non erit dicere, huic mortem non obedire, & vitam cui libuerit dare non poſſe? Huc etiam facit, quod ad Phil: 3. de Chriſto dicitur: *reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm efficaciam, qua poſſit etiam ſibi ſubiicere omnia.* Quæ poteſtas ſubiiciendi omnia, Chriſto vt homini competit: & data eſt ei à Deo, in ſua poſt mortem exaltatione; *Deo ſubiiciente omnia ſub pedibus eius.* vt Paul: Heb: 2. oſtendit ex Pſal: 8. in quo homini omnia ſubiecta dicuntur à Deo. Et quidem eodem Paulo teſte, *nondum videmus omnia ei ſubiecta eſſe, donec nouiſſima omnium deſtruatur mors*: & electi immortalitate, & vita æterna donentur. Cor: 15. 27.

Soluitur. Verùm hæc controuerſia in hunc modum componi poteſt. Vt enim Chriſto homini, eam poteſtatem conceſſam eſſe negare non poſſumus, propter adducta ſcripturæ loca, & propter officium redemptoris, in quo tota poteſtas nos redimendi, & ſaluandi continetur: ita neq; abſolutè eidem concedere, ſi Deus non eſſet; cùm ſaluandi poteſtatem ſcriptura ſoli Deo propriam eſſe velit. Neq; verò Chriſti hominis actiones, vllam vim ad ſaluandos nos, & vita æterna donandos habuiſſent; niſi homo ille, & Deus eſſet. quemadmodum paulò ante de redemptione per Chriſtum facta dicebamus. Ea enim poteſtas vitam æternam dandi in Chriſto homine, oritur ex redemptione per ipſum facta. Morte ſiquidem ſua, & liberationem à peccato, & ius, ac poteſtatem vitam æternam conſequendi, nobis comparauit. Quemadmodum igitur nos redimere à peccato non potuit, niſi Deus eſſet: ita neq; vitam æternam largiri. Ergo homo quidem ille vitam æternam nobis largitur, quam nobis ſua morte comparauit: verùm eam poteſtatem minimè haberet, niſi Deus eſſet.

Chriſtus homo habet poteſtatem, vitam æternam dandi; quia homo ille Deus eſt.

At inquit Socinus; Chriſtum hominem, vt Dei inſtrumentum, & miniſtrum, potuiſſe nobis à Deo vitam æternam largiri, etſi Deus non eſſet. Nam quæ Dei propria ſunt, poſſunt per homines, vt Dei inſtrumenta, fieri. Et ſicut ij quorum miniſterio Deus populum ſuum ab hoſtium poteſtate liberauerat, ſeruatores in ſcriptura dicuntur, Act: 7. 35. Nehem: 9. 27. 2. Reg: 13. 5. Iudic: 8. 9. ita & Chriſtus ſeruator noſter dici poterit, etſi ipſe non ſit præcipua ſalutis noſtræ cauſa; ſed

Chriſtus nõ eſt purè Miniſter ſa-

Deus

Deus. Sed reſpondendum eſt Socino; potuiſſe quidem Deum per purum hominem, tanquam per legatum ſuum, & miniſtrum, nobis vitam æternam offerre, & conferre: at tunc is homo, nullam propriam poteſtatem, & vim, ac efficientiam reſpectu vitæ æternæ habuiſſet; ſed ſolùm Dei voluntate,& poteſtate, vitam æternam nobis præſtitiſſet; at ſi homo ille propriam vim,& efficientiam ad nos redimendos, & vita æterna donandos haberet, is proculdubio Deus eſſet. Porrò Chriſtus in nobis redimendis,& vita æterna donandis, non puri legati officium obiit, ſed veri redemptoris: *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* 1. Tim: 2. 6. Neceſſe eſt igitur Chriſtum eſſe Deum; & in noſtra ſalute efficienda, non inſtrumentum, aut miniſtrum, ſed cauſam propriam eſſe. Qui enim redimit alium iuſto pretio dato, eſt eius redemptionis cauſa præcipua, non inſtrumentum. Quare & illi, qui in ſcriptura leguntur populum Dei ab hoſtibus liberaſſe, iure ſaluatores, appellati ſunt: quia ad eam liberationem Deo adiuuante, propriam quoq; virtutem contulerunt: fueruntq; in ſuo genere cauſæ præcipuæ. Verùm Socinus, vti Chriſto nullam veram vim, & efficientiam in nobis redimendis tribuit; ita eundem eſſe ſalutis noſtræ præcipuam cauſam, ex conſequenti negat. *Iuſtus, ſed præcipua cauſa.*

CAPVT XVII.

Quo ſenſu Verbum Carnem factum eſſe, & habitaſſe in nobis, dixerit ſanctus Ioannes.

EXpoſuit D. Ioannes, quæ eſſet Verbi in hunc mundum aduentûs neceſſitas: quantumq; in eo hominibus vniuerſis poſitum eſſet. *In ipſo enim vita erat* omnium hominum conſtituta; nec præter ipſum, vllius alterius beneficio eam conſequi poterant. Ipſe etiam *erat lux vera, quæ illuminat*, quantum eſt ex parte ſua, *omnem hominem venientem in hunc mundum*: nulli gratiæ ſuæ beneficium denegans: licet ingrati homines, & tenebras magis amantes quàm lucem, venientem ad ſe lucem nec cognouerunt, nec receperunt. Etſi verò Ioannes Baptiſta doctrina ſua illuminaret homines, *vt omnes crederent per illum*: non erat tamen ipſe lux vera; neq; enim ipſe verè homines illuminabat, ſed præparabat, vt à Deo illuminarentur: lucemq; ſolùm veram indicabat. Verbum autem erat lux vera: illa inquam lux, quæ vera, & propria ſua luce, omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat; *Ioānes non erat lux vera.*

 & omnes

Digitized by Google

& omnes quotquot ſunt, fuerunt, eruntq; in mundo homines. Venim Verbi potentia mundus, & omnia facta ſunt: ita & Verbi luce omnes homines illuminati ſunt, & illuminantur. Deniq; hoc Verbum tanti eſſe aſſerit, vt fecerit poteſtatem hominibus filios Dei fieri. Quibus hominibus? qui ipſum recipiunt, & credunt in nomine eius. Quales filios? *qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*: ſeu qui non carnaliter ex hominibus, ſed ſpiritualiter ex Deo naſcuntur.

Chriſtus nō accepit poteſtatem vt Filius Dei fieret.

Non dicitur autem ipſum Verbum accepiſſe poteſtatem, vt Filius Dei fieret, cùm ſit natura Filius Dei; ſed potiùs aliis omnibus poteſtatem dediſſe, vt filij Dei efficiuntur per gratiam, cùm non ſint filij per naturam. efficiuntur autem filij, à verò & naturali Filio, Spiritum ipſius participando. Quamuis autem hanc poteſtatem, filios Dei fieri, quidam referant non ad præſens, ſed ad futurum ſæculum; in quo etiam *adoptionem filiorum expectamus.* Rom: 8. 23. Hoc eſt, hæreditatem illam filiorum: tamen nihil prohibet de filiis Dei, qui in hoc præſenti ſæculo ex Deo naſcuntur, intelligi. Non enim dicit D. Ioannes, prius eos ex Deo natos; tum poteſtatē accepiſſe filios Dei fieri: ſed id quod ait, eſt, quod dederit eis poteſtatem tales filios fieri, qui filij non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt.

Antitheſis Verbi ante & poſt Carnem.

His ita expoſitis, tandem ſubiungit D. Ioannes: *Et Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis.* Quia enim ante dixerat, Verbum fuiſſe Deum; nunc dicit factum eſſe Carnem. Dixerat, Verbum in principio fuiſſe apud Deum; nunc ait habitaſſe in nobis. Antè dixerat, Verbum erat: nunc ait Verbum factum eſſe Carnem. Ex quibus omnibus, Verbi ante Carnem, & poſt Carnem, manifeſtum apparet diſcrimen. Patet etiam, quid ſit Verbum factum eſſe Carnem; nempe factū eſſe hominem: à parte denominando totum. Sic enim in ſcriptura frequenter caro pro homine ſumitur. vt cùm dicitur, *omnis caro corruperat viam ſuam: omnis caro videbit ſalutare Dei*: carnis nomine, homo intelligitur.

Cur carnis non hominis nomine vſus Ioannes.

Voluit autem D. Ioannes vti potiùs carnis, quàm hominis nomine; vt magis appareret, quo ſe diuinum Verbum abiecerit, cùm Caro factum eſt. Nàm & vtilitas magis in carne apparet: & oppoſitio maior cum Spiritu.

Ac ne quis putaret, Verbum ita factum eſſe Carnem, vt ſit mutatum in Carnem: addidit: *Et habitauit in nobis.* Ac ſi diceret: Verbum factum

Digitized by Google

ctum Caro, non deſiit eſſe Verbum, ſed manſit, & habitauit in nobis. Niſi enim manſiſſet, non poſſet dici habitaſſe in nobis: ſicut & quod ſequitur: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Hæc enim gloria, Verbi propria eſt, non carnis. Nam etſi in carne viſa: tamen ad vnigenitum à Patre propriè ſpectabat.

Verbum vnum in carne, non natura; ſed ſubſiſtentia.

Cum igitur Verbum non ſit mutatum in carnem; factum eſt vnum cum carne, non natura, cùm diuerſa ſit vtriuſq; eſſentia, ſed ſubſiſtentia. Eſt enim vna vtriuſq; ſubſiſtentia: non carne ſuam ſubſiſtentiam communicante Verbo; ſed potiùs Verbo, diuinam ſuam ſubſiſtentiam communicante carni. non enim Verbum à carne dependere potuit, ſed caro à Verbo. Quod ipſa etiam D. Ioannis verba indicant, *Verbum Caro factum eſt*, ſupponitur enim Verbum ſubſiſtens, vt Caro fiat; & mutatio in ipſo termino, qui factus eſt, indicatur.

Malè vertit Socinus notam ἐγένετο.

Verùm Socinus, cum ſuis Racouianis, admittere non vult, Verbum Carnem eſſe factum, ait enim aliter ex Græco verti poſſe, & debere: nempe, vt vox ἐγένετο, reddatur, fuit, non autem factum eſt. Nam & cùm paulò antè dictum eſt: *Fuit homo miſſus à Deo*, eadem vox Græca eſt ἐγένετο. Quatuor autem afferunt rationes, cur potiùs fuit, quàm factum eſt, hoc loco legi debeat. Prima eſt Socini, quòd valdè inconuenienter locutus fuiſſet Ioannes, Verbum Carnem factum eſſe; poſtquam ea de ipſo dixiſſe, quæ poſt Verbum Carnem factum acciderunt, vt ſunt hæc: Ioannem Baptiſtam de illo teſtatum eſſe, illum in mundo fuiſſe, à ſuis non eſſe receptum, iis verò à quibus receptus eſt, poteſtatem dediſſe, vt filij Dei fierent. Aliæ rationes ſunt Statorij. Non poteſt, inquit, vna res fieri altera, niſi per mutationem, & conuerſionem in alteram; vt cùm aqua in Cana Galilææ facta eſt vinum. Talis autem mutatio diuino Verbo cùm conuenire non poſſit, non poteſt etiam dici Verbum Caro factum. Deinde, eo poſito, vnum ex duobus ſequeretur; aut Verbum verum hominem non eſſe, ſi perſona humana careat: aut duas perſonas eſſe, Verbi, & hominis: duoſq; Dei filios in vno Chriſto; ſi vtramq; perſonam habeat. Deniq; cùm Verbum ſtatuatur idem Deus cum Patre, & Spiritu ſancto: fieret, vt ſi Verbum factum eſt Caro, Pater quoq;, & Spiritus ſanctus, factus eſſet Caro. quin & concipi, naſci, mori, reſurgere eo modo quo Verbo conuenit, Patri quoq; & Spiritui ſancto conueniret, cùm opera Trinitatis ad extra, ſint inſeparabilia.

Refellitur.

At fruſtra ſe torquent aduerſarij. Nam quòd ad ſignificationem

vocis ἐγένετο attinet; etſi ea vox poſſit aliquandò verti; *Fuit*: tamen propter particulares loci circumſtantias, omnium interpretum iudicio, non Fuit, ſed factum eſt, verti debet: adeò, vt ne Eraſmus quidem, qui audaciſſimè plurima alia loca de Chriſti diuinitate, in gratiam Arianorum in dubium reuocauit, hunc, de quo agimus, locum aliter vertendum putauerit. Poſtulat hoc Antitheſis ipſa, ſeu oppoſitio. In hac enim ſententia, oppoſita omnia dicuntur ijs, quæ ante de Verbo dicta erant. Cùm enim antè dixerit Ioannes, Verbum fuiſſe, & quidem in principio: nunc quid poſtea eſſe cœperit docet. Et ante quidem erat Deus; nunc autem cœpit eſſe Caro: ante erat apud Deum; nunc autem cœpit eſſe apud homines: antè mundum, & omnia creauit; nunc gratiam, & veritatem homo hominibus attulit. Quæ omnia indicant omninò verti oportuiſſe. *Verbum Caro factum eſt*. non Verbum Caro fuit; vt quid Verbum eſſe cœperit, poſt omnia illa quæ de illo dicta erant, intelligeretur. Deinde cùm adiungit: *&*
2. *habitauit in nobis*: indicat tum primò habitare cœpiſſe. Simul enim iſta duo coniungit, & vnum ex altero pendet: tunc enim cœpit habitare
3. in nobis, cùm cœpit eſſe Caro. Accedit, quod ſi legamus, Verbum Caro fuit: peto, quodnam tempus reſpexerit Ioannes, cùm ait, Verbum Carnem fuiſſe? Num principium illud, in quo ante dixerat Verbum fuiſſe? at tunc ait, Verbum, non Carnem, ſed Deum fuiſſe; non apud homines, ſed apud Deum; & omnia, atque mundum ipſum per ipſum facta eſſe; atque adeò omnia his, quæ nunc dicit, oppoſita antè dixerat Verbo in illo principio conuenire. Si igitur non ad illud principium reſpexit Ioannes, procul dubio de conſequenti poſtea tempore locutus eſt, quo Verbum cœpit eſſe Caro, cùm antè non eſſet: cœpit habitare in nobis, cùm ante non habitaret: cœpit gratiam & veritatem nobis impertiri, cùm ante omnia creaſſet. Quod non benè explicatur per *Fuit*, ſed per *factum eſt*. Sicut ſi quis diceret aliquem primum fuiſſe diuitem, deinde pauperem, non diceret, in principio erat diues, & fuit pauper, ſed factus eſt pauper: ita & D. Ioannes poſtquam dixit in principio Verbum fuiſſe Deum, ſubiungit factum eſſe Carnem, non autem fuiſſe Carnem.

An Chriſtus poſt Reſurrectionē dici poſſit Caro.

Deniq; quod ad vocem ἐγένετο attinet; ea tunc verti debet; fuit, cùm res illa fuit, & iam non eſt talis. Verbum verò etiam modo eſt Caro, non igitur verti debuit, *Fuit*. Scio Socinum horrere Chriſtum in cœlo exiſtentem vocare carnem; quòd caro mortalem, & corruptioni ob-

Digitized by Google

tioni obnoxium ſignificet; & ſecundùm ſcripturas, *Caro & ſanguis regnum Dei non poßidebunt*. 1. Cor: 15. 20. At immeritò Socinus horret Chriſtum vocare carnem. Etſi enim caro in ſcripturis, quandoque conditionem carnis mortalis ſignificet, vt Heb: 5. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ*, id eſt, in hac mortali vita; quandoq; hominem ſecundùm carnem viuentem, quo ſenſu 1. Cor: 15. dicitur; *caro & ſanguis regnum Dei poßidere non poſſunt*, hoc eſt, homo carnalis, & ſecundùm carnem viuens. & Rom: 8. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt; vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu*: tamen non minus vſitata acceptio huius vocis eſt, vt abſolutè hominem quoad naturam ſignificet. Vt cùm Adam de Eua, ex ſua coſta educta, diceret: *Hoc nunc ex oſſibus meis, & caro de carne mea*: &, *videbit omnis caro ſalutare Dei. Qui dat eſcam omni carni. Ad te omnis caro veniet*. Pſal: 64. Et, *benedicat omnis caro nomini ſancto eius. Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro*. Accedit præterea ratio manifeſta. Nam aut Chriſtus modo in cœlo carnem habet, aut non habet: ſi habet, dici poterit caro, à parte totum denominando; hac enim figura & modo loquendi homines in hac vita dicuntur caro. Si verò dicatur carnem non habere, hoc ſcripturis repugnat, quæ illum in carne reſurrexiſſe, & aſcendiſſe in cœlum affirmant, & in eadem venturum ad iudiciũ. Act: 1. 11.

Porrò in hac D. Ioannis ſententia, cùm ait, Verbum Carnem factum, nomine carnis non conditionem carnis mortalem, ſed ſubſtantiam deſignari per ſe manifeſtum eſt. Vult enim Verbum Carnem factum eſſe, ad hoc vt habitaret in nobis, & vt in carne videretur gloria eius; id enim mox in ſequentibus verbis ſubiungitur; neq; verò conditionem carnis miſeram, vt putat Socinus, præcipuè voluit deſcribere, ſed potiùs Verbi in carne maieſtatem & gloriam; idcirco enim ait: *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*. Et, *plenũ gratiæ & veritatis*. *Vox Caro naturam nõ conditionẽ carnis ſignificat.*

Iam ſupereſt vt ad argumenta aduerſariorum, quæ ſatis per ſe leuia ſunt, reſpondeamus. Nam primum ſoluitur, ſi dicamus Ioannem non per ſe, ſed per accidens, & ex occaſione per anticipationẽ quandam commemoraſſe aliqua, quæ poſt Chriſtum natum acciderunt, vt ita meliùs explicarentur ea, de quibus tum aiebat. Occaſione enim vitæ in Verbo exiſtentis, lucis fecit mentionem, quæ etſi illuminat omnes, tamen à pleriſque non recipitur; ijs verò qui receperunt eam, datam eſſe poteſtatem filios Dei fieri. Quodſi hoc præpoſterum Socino videtur, ex occaſione digredi ad aliqua per anticipationem; cur non videatur præpoſterum, quod in hac ipſa ſententia dictum eſt à Ioanne *Prima ratio ſoluitur.*

Digitized by Google

Ioanne? *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*: hoc enim ad tempora transfigurationis referendum eſſe, nemo eſt qui neſciat. Denique ſi præpoſterè dixiſſet Ioannes, Verbum Carnem factum, dixiſſet quoque præpoſterè, habitaſſe in nobis; cùm ea quæ ante commemorauit, habitationem Verbi in nobis ſubſecuta ſint.

Secunda ratio ſoluitur.

Altera verò ratio diluitur, dicendo rem vnam poſſe fieri alteram, vel per mutationem & conuerſionem in alteram; vti in Phyſicis generationibus videmus: vel per vnionem ſubſtantialem cum altera. Sic corpus fit animatum, non per conuerſionem in animam, ſed per vnionem ſubſtantialem cum anima. At dices, corpus non dicitur fieri anima. Fateor, ſiquidem hæc vnio non eſt duorum entium communi ſubſiſtentia ſubſiſtentium, ſed duarum partium eiuſdem naturæ, quarum altera exiſtit in altera per modum formæ; quare & denominatio, quæ ex ea vnione ſequitur, eſt illi ſimilis, qua forma denominat ſubiectum. At cùm duæ naturæ in vna ſubſiſtentia vniuntur, vnum dicitur eſſe alterum, propter vnam vtrique communem ſubſiſtentiam. Hoc enim & in alijs prædicationibus ſuo modò cernimus; vt cùm dicimus, Hominem fieri album: non eſt ſenſus, Hominem verti in albedinem, ſed eundem qui dicitur Homo, fieri quoque album. Quemadmodum autem hic vna ſubſiſtentia Hominis & albi facit eam prædicationem eſſe veram; ita & illam prædicationem Carnis de Verbo cõmunis ſubſiſtentia facit: quia nimirum idem eſt ſubſiſtens in Verbi & Carnis natura. Et qui hoc non admittit, quis modus ſit vnum de altero prædicandi, nondum didicit.

Res vna fit altera, vel per conuerſionem, vel per vnionẽ.

Tertia ratio ſoluitur.

Tertia ratio refellitur. Verbum, etſi humana ſubſiſtentia careat, verum hominem eſſe, propter veram hominis eſſentiam, à qua homo, verè dicitur homo. Etenim ſubſiſtentia non ad eſſentiam, ſed ad modum exiſtendi tantùm ſpectat. Non ſolùm autem non ſequitur deterioris conditionis eſſe hominem illum, qui propria ſubſiſtentia non ſubſiſtit, ſed potiùs ſequitur multò nobiliori ratione ſubſiſtere, quàm vllus hominum ſubſtitit vnquam, aut poſſit ſubſiſtere: Diuina enim & increata ſubſiſtentia ſubſiſtit; ex qua infinitam quandam dignitatem & perfectionem humana natura conſequitur. Quamuis autem negamus perſonam humanam in Verbo, non negamus tamen perſonam hominis. Nam ſubſiſtẽtia illa Verbi, diuina eſt quoad ſubſtantiam ſuam; quoad actum verò ſuſtentandi, ad naturam quoque humanam pertinet,

Digitized by Google

pertinet, eſtque ſubſiſtentia illius hominis, licèt non ſit humana quo ad entitatem, ſed diuina.

Deniq; vltima ratio diſſoluitur. Etſi Verbum idem ſit Deus cum Patre: quia tamen non quà Deus, ſed quà Verbum factus eſt Caro; hoc eſt, non in natura Dei, ſed in ſubſiſtentia Verbi facta eſt vnio cum Carne; ideo ſolum Verbum factum eſt Caro, non Pater, nec Spiritus ſanctus. Opera verò Trinitatis ad extra quæ fiunt effectiuè à Deo, ſunt communia toti Trinitati, non verò quæ fiunt quaſi formaliter ab aliqua perſona diuina, ſub aliqua illi propria ratione. Quare & incarnatio effectiuè eſt à tota Trinitate; quia omnipotenti virtute omnium trium perſonarum effecta eſt: formaliter autem ſeu terminatiuè, eſt à ſolo Verbo: quia in ratione Verbi propria, & perſonali eius ſubſiſtentia, ea vnio cum carne, ſeu incarnatio fuit perfecta. *Quarta ratio ſoluitur.*

Statorius affert & aliam verborum D. Ioannis interpretationem. Etſi, inquit, concefferimus legendum eſſe, *Factum eſt Caro*: tamen nomen carnis hoc loco non ſubſtantiam, ſed miſeram & afflictam conditionem carnis ſignificabit: quia nimirum Verbum illud tam potens vt omnia per ipſum facta ſint, cœperit eſſe omnibus miſerijs ſubiectum, factum Caro; ac ſi nihil in ſe virium ac poteſtatis haberet. Verùm egregiè fallitur Statorius. Nam ne minimo quidem ſigno talis acceptio carnis hoc in loco indicatur. Neq; enim Ioannes de miſeriis & afflictionibus Verbi in carne, ſed potiùs de gloria eius & magnificentia, quam in Carne oſtendit, dicere propoſuit. *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Idem patet ex alijs verbis. *Et habitauit in nobis.* hinc enim liquet, Verbum idcirco factum eſſe carnem, vt habitaret in nobis. Ad quem ſenſum nihil facit illa carnis acceptio, quam Statorius fingit: nam per veram carnis ſubſtantiam Verbum habitauit in nobis. Deniq; non potuit Verbum omnibus illis miſeriis ſubijci, niſi factum caro. *Statorij reſpōſio refellitur.*

Hæc quæ D. Ioannes de Verbo incarnato docuit, docet & reliqua ſcriptura, cùm aſſerit Deum apparuiſſe in carne. 1. Tim: 3 16. Chriſtum, cùm in forma Dei eſſet æqualis Deo, ſeipſum exinaniſſe forma ſerui accepta. Phil: 2. & ex ſingulari ſua in homines voluntate, carni & ſanguini participaſſe, atq; non Angelos ſed ſemen Abrahæ apprehendiſſe. Hebr: 2. quæ loca copioſius à nobis explicanda ſunt, vt vel ex eo appareat, quo ſenſu à Ioanne dictum fuerit, Verbum *Carnem factum eſſe.*

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

Deum verè apparuiſſe in Carne, cùm carnem noſtram ſuſcepit. ex Epiſtola ad Timotheum demonſtratur.

QVod D. Ioannes dixit, Verbum Carnem factum, hoc aliis verbis D. Paulus exponit dicens, Deum apparuiſſe in Carne. Ita enim habet. 1. Tim: 3. 16. *& manifeſtè magnum eſt pietatis myſterium, Deus apparuit in carne, ὁ θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ:* (ſic enim & Græci codices, & Græci Patres habẽt, & aduerſarij legi volũt) *iuſtificatus eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus eſt gẽtibus, creditus eſt in mundo, aſſumptus eſt in gloria.* Ita ſanè De

Exponitur locus D. Pauli.

Carne indutus, eſt magnũ illud & mirabile pietatis myſteriũ; ſiue pietatis ſeu εὐσέβειας nomine religionẽ, ſiue Dei erga nos miſericordiam intelligas. Hęc enim ſunt illa *viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Luc: 1. 71. Hanc autem myſterii, Dei apparentis in carne, magnitudinem ex ſequentibus expendit D. Paulus. Nam ait, *iuſtificatus eſt in Spiritu:* quia virtute Spiritus opera mirabilia faciendo, ſe eſſe verè talem, hoc eſt, Deum in Carne probauit. Hoc enim potiſſimum in edendis miraculis Chriſtus ſpectabat, vt ſe verum Deum & Dei Filium probaret, ita vt diceret: *Si mihi non creditis, operibus credite, vt agnoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ioan: 10. 38. Porrò iuſtificare in ſcriptura non rarò ſignificat, iuſtum & verè talem declarare. Apparuit etiam Angelis, quibus etſi ante in ſua maieſtate erat viſibilis; tamen in carnis humilitate nunquam ante viſus, ſed tunc primum videri cœpit. idque ita fuit Angelis mirabile, vt inter cætera legis Euangelicæ myſteria, in hoc præcipuè deſiderent proſpicere. 1. Petr: 1. 12. *vt in eo videant multiformem ſapientiam Dei.* Epheſ: 3. 10. Addit verò Paulus: *prædicatus eſt gentibus, creditus eſt in mundo.* Vtrumque enim hoc ad myſterij huius magnitudinẽ plurimùm facit. Verè enim mirabile eſt, quòd gentibus, hoc eſt, impijs & idolorum cultoribus, & olim à Deo derelictis, voluit Deus ſanctum myſterium patefacere, vti pulchrè id expendit ſanctus Paulus ad Epheſ: 2. 11. & Epheſ: 5. 6. Mirabile etiam eſt, quòd tam ſublime & arduum myſterium ſit creditum in toto mundo, reiectis contrariis erroribus, tam longa ſerie annorum confirmatis, idq; ad nudam prædicationem paucorum & abiectorum hominum, & tam breui tempore. Denique quod ait Paulus, *Aſſumptus eſt in gloria*; ad Chriſti in cœlum aſcenſionem pertinet, quò ea

maieſtate

Digitized by Google

maieſtate aſcendit, vt ſedeat ad dexteram Dei, æquali cum Deo honore & gloria, *vt omnis lingua conſiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt in gloria Patris.* hoc eſt, in ea gloria qua Pater.

Iam quid aduerſarij dicant, videamus, Nam Statorius & Racouiani in ſua Catecheſi vrgent primùm vulgatam verſionem, in qua omiſſa eſt vox Deus, licet Græcum textum præponant & ſequantur. Verùm nobis ad premendos aduerſarios ſatis eſt, eam vocem in Græcis exemplaribus haberi, quæ ipſi pro fontibus haberi volunt. In Latina verò verſione etſi non habetur expreſſa, habetur tamen tacita & ſubintellecta. Quis enim in carne apparuit niſi Deus? qui cùm ante caro non eſſet, factus eſt caro, & in carne factus eſt viſibilis, qui in ſua maieſtate inuiſibilis erat. Sanè Beza Hæreticus in hunc locum ita ſcribit, mihi Bezæ non dubium eſt, Dei nomen ſublatum fuiſſe ab iis, qui vel diuinitatem Chriſti, vel vtriuſq; naturæ vnionem, iam inde ab ipſo Conceptionis momento negabant. *Prima reſpōſio refellitur.* *Beza.*

Afferunt præterea aliam reſponſionem, Deum Patrem apparuiſſe in carne Chriſti, & Apoſtolorum, quatenus Dei Patris voluntas de ſaluandis hominibus per Chriſtum & Apoſtolos, qui caro fuerunt, hoc eſt, homines infirmi & mortales, patefacta eſt. Ita Racouiani in ſua Catecheſi, & Statorius, qui etiam hunc ſenſum confirmat ex illo Ioan: 14. 9. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Sed hæc reſponſio refellitur primò. Deum apparere in carne, ſi proprietatem verborum ſequamur, eſt in carne exiſtere, & ſe in ea vidēdum exhibere. Hæc enim eſt propria huius loquutionis ſignificatio. Neq; ſi quem in carne apparuiſſe dicamus, quidquam aliud intelligemus. Atqui Deum Patrem in carne ſe videndum præbuiſſe nuſquam legimus. Ergo id de Deo Patre exponi non poteſt. Nam quod Chriſtus ait, *Qui videt me, videt & Patrem meum*; non de viſione Patris in carne, ſed de viſione in Spiritu per fidē accipi debet. Neq; quiſquam qui corporeis oculis vidit Chriſtum, Deum quoq; Patrem in illa carne vidit; cùm ibidem Apoſtoli qui tanto tempore Chriſtum in carne viderant, diſertè Patrem ſe non vidiſſe fateantur. Eſt quidem Deus Pater in Chriſto, ſed non in carne eius apparens, quod hoc loco Paulus dicit. Et quidem ſicut de Deo Patre, quòd apparuerit in carne nuſquam legimus; ita de Chriſto legimus eum eſſe Deum in carne, Verbum carnem factum, in forma Dei formam ſerui accepiſſe. Apparuit quidem Deus antè in rubo & aliis figuris ſpectabilibus, etiam humanis; at nuſquam appellatum eſt ma- *Reſponſio Racouianorum abſurda.*

gnum pietatis myſterium, niſi cùm apparuit in carne Verbum Caro factum, quod ipſum indicat longè veriori & nobiliori ratione nunc, quàm olim Deum apparuiſſe. Nam tũc quædam ſigna tantùm & ſymbola erant potentiæ diuinæ figuræ illæ: hic verò caro, erat verè caro Dei. Verbum enim caro factum, verè erat & Verbum & caro, quod eſt longè admirabiliſſimum.

2. Deinde quàm ineptè exponitur Deum apparere, id eſt, voluntatem ſuam patefacere; quaſi non aliud ſit Deum apparere, aliud voluntatem eius manifeſtari. Nam & voluntatem ſuam Deus patefacere per legatos ſuos à ſe miſſos poteſt, non apparendo in carne; & apparere poteſt abſq; vlla ſuæ voluntatis patefactione. Certè per Prophetas voluntatem ſuam patefecit, *cùm multifariam multisq; modis nobis loqueretur in Prophetis*; neq; tamen idcirco dicebatur Deus apparere tum in carne.

3. Non minùs etiam ineptè exponitur, apparere in carne, eſſe, in hominibus qui caro ſunt, apparere. Eſt enim hæc impropria, & minimè vſitata loquendi forma, maximè ſi abſq; alia explicatione ponatur. Propriè ſiquidem apparere in carne, eſt ſe videndum in carne exhibere. Et quamuis in Apoſtolis & Prophetis diceretur Deus apparere ratione ſuæ poteſtatis & virtutis: non tamen apparere in carne dictus eſt, nonniſi quia factus Caro, non apparuit.

4. Deniq; Paulus ſeipſum explicat, Col: 1. 26. vbi expreſſè hoc *myſterium abſconditum à ſæculis, & nunc manifeſtatum & prædicatum gentibus, dicit eſſe Chriſtum*. Non igitur rectè ad Deum Patrem ab Aduerſariis detorquetur. Nam quod ait Statorius, Chriſtum metonymicè, myſterium dici, hoc eſt, gratiam, & Euangelium Chriſti: quod ait patere ex loco Epheſ: 3. 6. fallitur. Nam Paulus expreſſè dicit: *Chriſtum quem annunciamus* verſu 28. proculdubio autem Chriſtum ipſum, non ſolùm gratiam eius & Euangelium annunciabant Apoſtoli.

CAPVT XIX.

Chriſtum in forma Dei & æqualem Deo fuiſſe, diuinam eius naturam indicat.

PHilippenſes ad ſubmiſſionem animi, Chriſti exemplo, in hunc modum hortatur D. Paulus cap: 2. *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu; qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſe-*

Digitized by Google

ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortẽ, mortẽ autem crucis. Vbi duplex, ſed vtraq; admiranda prædicatur Chriſti humilitas; altera qua ſe à forma Dei ad formam ſerui demiſit: altera qua ſe in forma ſerui humiliauit vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Et prima quidem ex eo eſt admirabilis; quòd cùm natura Deus eſſet, & ſine vlla rapina & vſurpatione Deo Patri æqualis, nihilominus non dedignatus eſt fieri homo, in ſimilitudinem hominum factus, ex tanta maieſtate deiiciendo ſe ad tantam vilitatem. *Duplex Chriſti humilitas.*

Verùm nihil hæc mouent aduerſarios. Nam eadem peruicacitate quæ cætera, huius quoq; teſtimonij lucem clariſſimam obſcurare conantur. Negant enim formam Dei, naturam Dei ſignificare, ſed externam duntaxat Dei ſpeciem, quam præ ſe ferebat diuinis illis operibus à ſe factis: pariq; ratione formam ſerui, non naturam hominis, ſed conditionem ſeruilem denotare; ideoq; non poſſe hinc colligi, Deum factum eſſe hominem. Ita Socinus & Statorius.

Nos verò vt errorem aduerſariorum reuincamus, duo ex D. Pauli verbis oſtendemus: Primo Chriſtum ante fuiſſe verum & ſummum Deum, nimirum cùm in forma Dei & æqualis Deo eſſet: deinde factũ eſſe hominem forma ſerui accepta.

Iam igitur triplici argumento deducitur ex hoc loco Chriſtum ante fuiſſe verum & natura Deum. Primum deducitur ex illis verbis; *cùm in forma Dei eſſet.* Neque enim in forma Dei eſſe poterat niſi eſſet natura Deus. Nam ſi forma naturam & eſſentiam ſignificat, luce clarius eſt, in forma Dei eſſe, idem penitus eſſe, quod eſſentiam Dei habere. Si verò forma ſimilitudinem tantummodo accidentariam & externam, vt volunt aduerſarij, denotet, rurſum dico, nullum poſſe eſſe in forma Dei, niſi is eſſentiam Dei habeat. Nam ſi Chriſtus dicatur eſſe in forma Dei propter diuina opera, propter quæ ſimilis erat Deo, ſatis per ſe conſtat, non quicunq; diuina opera facit, eo ipſo eſſe in forma Dei, ſed ſolùm ſi ea eo modo quo Deus, ſeu modo Dei proprio, efficiat. Nam ſi ea efficiat vt miniſter Dei, hoc eſt, non propria ſed aliena virtute à Deo accepta, quantumuis ſumma & diuiniſſima opera efficiat; non erit propterea in forma Dei, ſed in forma miniſtri Dei; ſiquidem non Dei, ſed miniſtri Dei ſimilitudinem referet. Sicut enim Dei proprium eſt efficere virtute propria; ita miniſtri proprium eſt, aliena. Quare Apoſtoli cùm tam diuina & admiranda opera *Chriſtus in forma eſſe non poterat niſi verus Deus eſſet.* *Forma Miniſtri &*

forma Dei exponũtur. efficerent, imò maiora quàm Chriſtus. Ioan: 14. 12. nemo illorum dictus eſt propterea in forma Dei fuiſſe, cùm ſatis conſtaret illos vt miniſtros Dei talia opera patraſſe. Ita enim Act: 14. ver: 10. cùm turbæ miratæ quæ faciebat Paulus dixiſſent: *Dij ſimiles hominibus facti deſcenderunt ad nos*; oblatam hanc Dei Formam & ſimilitudinem fortiſſimè conſciſſis tunicis, & magnis clamoribus reſpuerunt. Et Actor: 3. *Cùm omnes impleti eſſent ſtupore & extaſi in eo, quod contigerat claudo illi ſanato, dixit Petrus: Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham &c.* Iam igitur ſi Chriſtus diuina opera efficiebat modo Dei proprio, hoc eſt propria, naturali, independenti virtute, procul dubio ita fuit in forma Dei, vt naturam Dei & eſſentiam haberet. *Deus* enim *facit mirabilia magna ſolus*; quia ſolus propria virtute facit. Sola etiam natura diuina eſt indepẽdens, tum in eſſendo, tum in agendo. Quare ſi Chriſtus æquè vt Deus virtutem independentem habuit, naturam quoq; ipſam diuinam habuit. Quòd ſi opera diuina efficiebat non hoc, quem diximus, modo Dei proprio, hoc eſt, non propria ſed aliena virtute, non erat in Forma Dei: in hoc enim non Dei, ſed miniſtri Dei Formam & ſimilitudinem gerebat; cùm modus agendi miniſtri proprius ſit, aliena virtute agere. Ex quo ſequitur Chriſtum non potuiſſe propter talia opera dici eſſe in Forma Dei, niſi naturam & eſſentiam Dei haberet. Quare aut Chriſtus non erit dicendus eſſe in Forma Dei, ſi eſſentiam Dei non habeat, aut ſi Formam Dei Chriſto concedimus, concedere debemus & eſſentiam.

Chriſtus accepit omnem ſuam virtutem à Patre naturaliter vt Filius. At ne quis obiiciat Chriſtum ſecundùm ſcripturas omnem ſuam virtutem accipere à Deo Patre; ideoq; neceſſariò concedendum eſſe, illum non ſua, ſed Dei Patris virtute operatum. Fateor id ritè ſequi, ſi loquamur de Chriſto, quatenus homo erat, & per humanam naturam operabatur: ſic enim non ſua, id eſt, humana, ſed diuinitus accepta virtute opera diuina faciebat, in eoq; non referebat Formam Dei, ſed miniſtri. Si verò de Chriſto loquamur ſecundùm diuinam naturam, tunc verum quidem eſt, Chriſtum omnem diuinam virtutem accipere à Patre; ſed naturaliter. & idcirco non virtute Patris operari, ſed ſua propria & ingenita virtute, quam à Deo Patre vnà cum natura communicatam accepit.

Hic Socinus ait: Oppoſitum potiùs concludi. Si enim Chriſtus Formam Dei habet, ergo non eſt ille ipſe Deus cuius Formam habet. quaſi ve-

Digitized by Google

quaſi verò, ſi Socinus Formam hominis habeat, rectè concluſerit aliquis, Socinum hominem non eſſe, neq; enim formam hominis à ſe diſtinctam habere intelligitur, ſed formam hominis eſſentialem. Nam licet qui nudam tantùm hominis Formam & ſimilitudinem habet, vt homo pictus vel ſculptus, non ſit propterea dicendus verus homo: tamen qui veram & eſſentialem Formam hominis habet, verè eſt, & dicitur homo. Hoc igitur modo dicimus Chriſtum Dei Formam habere, quòd ipſam eſſentiam Dei habeat. Notat autem, & benè, Socinus: cùm dicitur Chriſtus eſſe in Forma Dei, nomen Dei pro illo vero & ſummo Deo accipi debere. Hoc enim talis loquendi modus poſtulat, vt cùm dicimus Formam auri aut marmoris, veri auri, veri marmoris Formam intelligimus. Quòd ſi veri Dei Formam Chriſtus habet, erit proculdubio Deus verus.

Statorij reſponſio refellitur. Statorius ita reſpondet ad noſtrum argumentum. Formam Dei in Chriſto non ſolùm ex factis admirandis atq; diuinis ſpectari, ſed etiam ex diuina illa Chriſti poteſtate ſupra res omnes, & gloria diuina illi exhibita. Verùm non euadit vim argumenti. Nam ſicut de operibus diuinis Chriſti argumentati ſumus, ita de poteſtate & gloria poſſumus argumentari. Si enim hanc poteſtatem ſupra res omnes habebat Chriſtus eo modo quo Deus, hoc eſt, ſummam illam & independentem, profectò & eſſentiam diuinam habuit; cùm ſola diuina eſſentia ſit independens. Si verò non habebat eo modo quo Deus, ſed quo miniſter Dei; talis poteſtas non arguit Formam Dei, ſed Formam miniſtri. Poſſe enim virtute propria, eſt proprium Dei; poſſe virtute aliena, eſt proprium miniſtri. Simili modo de diuina Chriſti gloria argumentamur. Nam ſi Chriſto competit diuina gloria eo modo quo Deo, procul dubio Chriſtus erit naturà & eſſentia Deus. Deo enim honor & gloria debetur propter infinitam eius maieſtatem & eſſentiam. Si verò Chriſto talis competit gloria propter diuina dona & poteſtatem ſibi communicatam, talis gloria non arguit Formam Dei; cùm talis gloria non Deo, ſed homini competat.

Concludo igitur, neque propter opera diuina, neq; propter poteſtatem ſupra res omnes, neq; propter gloriam, Chriſtum poſſe dici eſſe in Forma Dei, niſi ſit natura & eſſentia Deus. Quod etiam ex ſequenti argumento magis patebit, cùm de tali Forma loquatur Apoſtolus, ratione cuius Chriſtus ſit æqualis Deo.

Secundum ergo argumentum ſumitur ex illis verbis: *Non rapinam*

arbitratus

Forma Dei in Chriſto non fuit rapina. *arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Nemo enim poteſt eſſe æqualis Deo, niſi naturam & eſſentiam Dei habeat. quæuis enim alia natura infinitè diſtat à Deo. Hic verò Apoſtolus dicit abſolutè, Chriſtum eſſe æqualem Deo. Cenſet igitur illum natura & eſſentia Dei prædītum.

Reſpondent primò, ſenſum verborum Apoſtoli eſſe, Chriſtum non eſſe arbitratum hanc rapinam Deo facere, vt eſſet illi æqualis, ſed potiùs ſe exinaniſſe: idque aiunt colligi ex illa particula, *Sed,* quæ non rectè adiungeretur, ſi ſenſus eſſet, ſciuit ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit: rectè autem ſi dicatur, noluit ſe æquare Deo, ſed potiùs exinaniuit. Verùm peruertunt Aduerſarii ſenſum & verba D. Pauli. Non enim ait D. Paulus, non rapinam arbitratus eſt facere, ſed non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Quæ duo plurimum à ſe diſtant. In priori enim, dicitur Chriſtum non rapuiſſe æqualitatem; in poſteriori verò dicitur Chriſtum æqualitatem quam cum Deo habuit, non exiſtimaſſe rapinam. Sicut enim ſi dicam, Sigiſmundum Tertium non rapinam arbitrari ſe eſſe Poloniæ regem: nemo eſt qui non intelligat ſenſum eſſe, Sigiſmundum Tertium eſſe Regem Poloniæ non per vllam rapinam, ſed per legitimam regni adeptionem: ita & Chriſtus non rapinam eſſe arbitratus eſt ſuam æqualitatem cum Deo. Non enim illam rapuit, aut per vim, vel ambitionem occupauit, ſed à natura habuit. Hunc autem eſſe horum verborum ſenſum, indicat pri-

Prior Arianorum reſponſio.

1\. mò contextus ipſe verborum, vt diximus, indicant & antecedentia.

2\. Quum enim dixerit illum in Forma Dei fuiſſe; iure quoq; dicere poterat, æqualitatem cum Deo ſine vlla rapina habuiſſe, ſicut & formam

3\. Dei habuit. Indicant & ſequentia. Nam aduerſatiua illa particula pulchrè cum hoc ſenſu coniungitur. Si enim Chriſtus ſciret ſe per rapinam & iniuſtam vſurpationem eſſe æqualem Deo, non exinaniſſet ſemetipſum, neq; dignatus fuiſſet ſeipſum demittere. Vt enim Oecumenius ait, *Vbi quis aliquid rapuerit, non vult illud deponere, veritus ne ſibi pereat; at vbi quis naturale habeat, & proprium, libens illud deponit. Nouit enim quod vbi libuerit, rurſus ipſum accipiat.* Senſus ergò eſt; non rapinam arbitratus eſt, ſuam æqualitatem cùm Deo, vt propterea vel non dignaretur, vel metueret ſeipſum exinanire (quod faciunt ij, qui vel ambitioſè vel iniuſtè aliquam dignitatem acquirunt) ſed libenter ſe exinaniuit formâ ſerui acceptâ.

Altera reſponſio Statorij.

Secundò reſpondet Statorius; Chriſtum non eſſe æqualem Deo abſolutè, & omnimodè, & ſine vlla inæqualitate. Semper enim inter Chri-

ter Chriſtum & Deum eſt hæc inæqualitas, quòd quicquid habet Chriſtus, à Deo habet. Deus autem non ab alio, ſed ex ſe habet quicquid habet. Talem eſſe æqualitatem ſuam docet Chriſtus ipſe. Ioan: 5. ℣. 18. vbi etſi aſſerat ſe omnia ea facere quæcunque Pater facit, adiicit tamen, non poſſe Filium à ſemetipſo facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.

At inprimis Apoſtolus, abſolutè & omnimodè, & ſine vlla exceptione aſſerit, Chriſtum eſſe æqualem Deo: procul dubio rem tanti momenti non aſſeruiſſet abſolutè, ſi abſolutè non eſſet vera. Neque verò Chriſtus cùm ait ſe omnia à Patre habere, ſuam cum Patre inæqualitatem indicat. Nam ſi quis ab alio habet rem æquè perfectam ac habet ille, qui dat, idque non dono ſed natura, nullo modo in ea re cenſendus eſt inæqualis, ſed ſolùm tunc cùm rem vel minus perfectam vel donatam, non innatam accipit ab alio. Exemplum eſto. Filius quilibet à ſuo Patre accipit humanam naturam & eſſentiam, nunquid propterea minus homo erit Filius quàm Pater, aut Pater magis homo quàm Filius? minimè verò; ſiquidem id quod datur, eiuſdem perfectionis & naturaliter eſt in vtroque. Pari ratione Chriſtus ſi omnia habet quæ Pater, & in omnibus habet æqualitatem cum Patre; ex eo ſolùm quòd Pater dat, & Filius accipit, nulla inæqualitas inter Chriſtum & Patrem iure cenſeri poteſt. Sed de hoc alias plura. *Chriſtus Deo æqualis, & ſi omnia à Patre acceperit.*

Reſpondet tertio Socinus; Chriſtum ſuam cum Deo æqualitatem non exiſtimaſſe rapinam, non quia eam habuerit à natura, ſed ex gratuito Dei dono, ideoq; ad Dei nutum voluiſſe eam deponere forma ſerui accepta. *Tertia reſponſio Socini.*

At nos iam oſtendimus, æqualem Deo neminem eſſe poſſe, niſi habeat Dei eſſentiam & naturam. Nam ſi ea careat, erit infinitè inæqualis Deo; quare non potuit gratuitò Dei dono obtingere Chriſto hæc cum Deo æqualitas, ſed tantummodò per naturam; tum ob rationem factam, tum quia Deus pronunciat apud Iſai: cap: 24. *ſe gloriam ſuam alteri non daturum, nec laudem ſuam ſculptilibus:* quare neque Chriſto ſi alterius eſſet à Deo naturæ, gloriam ſuam communicaret. Nam quod Socinus ait, Deum, alterius nomine eos intelligere, qui cum ipſo nihil commune habent, & quibus gloria, & laus ſi aliqua tribuatur, ea ad ipſum Deum non referatur, cuiuſmodi ſunt ſculptilia; non autem dicere; Deum ſe ſuam gloriam cum nemine à ſe omninò dependente ſibiq; ſubordinato (qualis eſt Chriſtus) communicaturum. Hoc inquam

N facilè

facile refellitur. Quia gloriam ſuam diuinam ideo Deus non communicat, quia ea non poteſt communicari ei, qui naturam diuinam non habeat, ſeu qui ſit alterius à Deo naturæ, ſiquidem ratione naturæ & eſſentiæ diuinę Deo gloria diuina competit. Sicut ergo non poteſt eſſe alter Deus, ita neque alteri diuina gloria communicari. Chriſto verò communicatur, tanquam non alterius ſed eiuſdem cum Patre naturæ atque eſſentiæ.

Quocirca loco citato Deus ita loquitur: *Ego Iehoua, gloriam meam alteri non dabo.* hoc eſt, ſicut ego ſolus ſum Iehoua, & nomen Iehoua alteri non dabo: ita nec gloriam meam alteri ſum daturus.

Quarta reſponſio Socini.

Reſpondet quartò Socinus; Si Chriſtus eſt æqualis Deo, non eſt ipſe Deus cui dicitur æqualis: nemo enim ſibi, ſed alteri dicitur eſſe æqualis. Refellitur. vtrumq; enim ſcripturę Chriſto tribuunt, & quòd ſit Deus, & quòd Deo æqualis; vtrumque igitur verum eſt. Cùm verò obijcitur: neminẽ dici ſibi eſſe æqualem, id facilè cõceditur. Nam neque nos Chriſtũ ſibi Deo, ſed Patri Deo dicimus eſſe æqualẽ. Ideo autem dicimus eſſe æqualem, quòd ſit cum Patre eiuſdem eſſentiæ. Æqualia enim dicuntur, quæ ita ſunt diuerſa, vt tamen in communi aliqua ratione ſint vnum, in qua dicuntur æqualia. Quare & Chriſtus cùm dicitur Deo Patri æqualis, eſt quidem ab eo diuerſus in perſona, non tamen in eſſentia, in qua debet eſſe æqualis, & proinde vnus.

Forma ſerui.

Tertium argumentum ſumitur ex illis verbis: *Formam ſerui accipiens, in ſimilitudinẽ hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.* Nõ enim eſt dubium, Formam Dei ab Apoſtolo opponi formæ ſerui. In illa enim Chriſtum ait eſſe æqualem Deo, in hac verò eſſe ſimilem hominibus. Sicut ergo Forma ſerui ſignificat naturam humanam, in qua verè fuit ſimilis hominibus; ita & forma Dei ſignificat naturam diuinam, in qua fuit æqualis Deo; ex eoque concluditur Chriſtum in forma Dei, eſſe verum & natura Deum.

Non eſt cõditio ſeruilis.

At negant pertinaciſſimè Socinus & Statorius, Formam ſerui ſignificare naturam humanam, ſed conditionem illius ſeruilem. Quia nimirum Chriſtus vt vile mancipium inter homines haberi, & tractari voluit. Idque aiunt ſignificari voce δȣλος, quæ conditionem ſeruilem, ſignificat. Verùm hanc expoſitionem falſam eſſe multa oſtendũt.

Primò; quia reuera Chriſtus non accepit conditionem in ſe ſeruilem, qualis eſt mancipii alicuius apud homines. Accepit quidem Formam hominis rei, quia vt reus, & vt malefactor tractatus eſt; at non

formam

Digitized by Google

formam mancipii. Nam neque dominium illius quiſquam ſibi vendicauit, neq; tanquam mancipium habuit, neque Chriſtus vllius hominis fuit ſeruus, ſed ſolùm indignè à Iudæis eſt vti reus habitus & tractatus, non tanquam ſeruus. Non igitur forma ſerui ſignificat formam mancipii, ſed formam hominis quæ eſt forma ſeruilis; non quidem comparatione hominum, ſed comparatione Dei. Nam ſicut Forma Dei, eſt Forma domini; ita Forma hominis, eſt Forma ſerui. Homo enim ratione ſuæ naturæ, omni ratione ſubeſt poteſtati & dominio Dei ad omnem ipſius voluntatem. Quare ſi vox δῦλος conditionem ſeruilem ſignificat: hoc loco ſignificabit illam conditionem ſeruilem, quæ eſt in ipſa natura humana reſpectu Dei. Eſt enim natura humana, natura ſeruilis; ſicut natura diuina, eſt natura domini.

Secundò, D. Paulus explicat quæ ſit forma ſerui, cùm mox adiungit; *in ſimilitudinem hominum factus*; vbi formam ſerui, vocat ſimilitudinem hominum. 2.

Negant quidem aduerſarii in his verbis, *in ſimilitudinem hominum factus*, eſſe explicationem formæ ſerui, ſed ſenſum eſſe; ſimilem factum eſſe vulgaribus hominibus, quo ſenſu Iudic: 16. 7. Samſon dicit ſe futurum *ſicut vnus homo*, nempe vulgaris & communis. Et Pſal: 81. *vos autem ſicut homines moriemini*. At reuinci poſſunt ex ipſa antitheſi. Nam ſicut forma Dei explicatur illis verbis, *non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo*; ita Forma ſerui explicatur iſtis aliis, *in ſimilitudinem hominum factus*. Sicut enim forma Dei erat illa, in qua fuit æqualis Deo: ita forma ſerui eſt illa, in qua fuit ſimilis hominibus. Deinde longè deterius eſt, eſſe cōditionis ſeruilis, quàm vulgarem hominem. Si igitur ſecundùm aduerſarios Paulus dixerat Chriſtum formam, ſeu conditionem ſeruilem accepiſſe, fruſtra poſtea adiunxiſſet, factum eſſe ſimilem vulgaribus hominibus, cùm ſeruilis conditio ſit quid abiectius, & infra gradum vulgarium hominum.

Tertiò, ſimilitudinem hominum, quam Chriſtus ſuſcepit noſtrâ cauſa, longè aliam indicant ſacræ literæ, Hebr: 2. *Quia enim pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem. Vnde debuit per omnia fratribus aſſimiliari.* & cap: 4. *tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.* Rom: 8. *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* Quibus in locis non ſimilitudinem vulgarium hominum ſcriptura indicat, ſed abſolutè ſimilitudinem hominum in carne, ſanguine, & miſeriis cōmunibus omnibus hominibus, ſolo peccato excepto. Hanc 3.

N 2 ergò

ergò ſimilitudinem Chriſtus ſuſcepit in forma ſerui, cùm in ſimilitudinem hominum dicitur factus. Neq; de vlla alia ſimilitudine mentionem vllam facit ſcriptura.

At obiicit Statorius; Omnes voces quibus hîc vtitur Paulus, externam tantùm ſpeciem ſignificare, μορφὴ, ὁμίωμα, σχῆμα. Forma, ſimilitudo, habitus. Ergò non poteſt ex his verbis colligi Chriſtum naturam hominis accepiſſe.

Reſpondeo primùm; Eas voces eſſe indifferentes ſiue ad naturam, ſiue ad externam naturæ ſpeciem ſignificandam; maximè duas primas μορφὴ, καὶ ὁμίωμα, ad vtrumq; enim ſignificandum iiſdem verbis vti poſſumus. Quare ex parte vocum, nihil repugnat naturam humanam intelligere. Deinde etiamſi voces ſignificarent ſpeciem externam hominis: quia tamē Chriſtus non aliter accepit ſpeciē externam hominis, niſi accipiendo naturam (neq; enim ſpeciē hominis abſtractam & fictam, ſed in natura ipſa reſidentē accepit) ideò rectè diceremꝰ, Formam ſerui & ſimilitudinē hominis, naturam hominis ſignificare. Ex his verò quæ in hoc tertio argumēto diximus, probatum manet, quod ſecundo loco probandum nobis erat ex D. Pauli verbis; nempe Chriſtum cùm Formam ſerui accepit naturam hominis accepiſſe.

CAPVT XX.

Quinq; rationes Socini contra Formam Dei diſſoluuntur.

SOcinus in refutatione Vuieci & Bellarmini, quinq; rationes adducit, vt oſtendat Formam & æqualitatem Dei, nullo modo naturam Dei deſignare poſſe.

Prima ratio Socini.

Prima ratio eſt. Diuina natura nunquam deponi poteſt. At Chriſtus depoſuit ad tempus formam Dei & æqualitatem ſuam cum Deo, exinaniendo ſemetipſum: Ergo forma Dei non eſt natura Dei. Soluitur: Chriſtus nunquam depoſuit Formam Dei & æqualitatem cum Deo, ne tum quidem cùm ſemetipſum exinaniuit, ſed eam occultauit duntaxat ſub humana forma & ſimilitudine. Id quod ex hoc loco colligitur. Nam explicans D. Paulus quomodo Chriſtus ſe exinaniuerit, ait, *formam ſerui accipiens.* Non igitur amittendo Formam Dei, ſed accipiendo Formam ſerui, & velando quodam modo Formam Dei Forma ſerui, ſeipſum exinaniuit: non deſinendo eſſe quod erat, ſed incipiendo eſſe quod non erat: diuinam maieſtatem contegendo carnis humilitate.

Chriſtus nō depoſuit ſuam cum Deo æqualitatem.

At inqui-

At inquies; verbum exinaniendi ſignificat euacuationem plenitudinis antè habitæ. Reſpondeo; ita quidem, ſed Chriſtus hanc euacuationem non in forma diuina excepit, ſed in Forma ſerui aſſumpta, in qua procul dubio expertus eſt innumeros defectus ſuis diuinis perfectionibus oppoſitos. Qui enim in Forma Dei fuit immortalis, impaſſibilis; in Forma ſerui factus eſt mortalis & paſſibilis: & hæc eſt exinanitio diuinæ Chriſti plenitudinis. Vt autem magis pateat Chriſtum Formam Dei non depoſuiſſe; dico id quoq; aduerſarios fateri debere. Quæro enim, quid intelligant Formam Dei? Dicent procul dubio, poteſtatem illam ſemper in Chriſto manentem, qua ad exemplum Dei admiranda opera faciebat. Atqui hanc poteſtatem nunquam depoſuit, quia nunquam ea caruit, vt & aduerſarij affirmant, cùm aiunt illam fuiſſe ſemper in Chriſto reſidentem. Quòd ſi ea aliquando non eſt vſus, hoc non eſt deponere Formam Dei, ſed abſcondere & occultare; alioqui Deus ipſe diceretur deponere Formam Dei, cùm nō facit opera ſua admiranda. Et Chriſtus cùm miracula nō faciebat, non fuiſſet in Forma Dei. Accedit quòd Paulus Chriſtum etiam in cruce agnoſcit, & vocat Dominum gloriæ. Ergo etiam in cruce Formam Dei habuit.

Exinanitio Chriſti qualis.

Secunda ratio. Paulus indicat Chriſtum potuiſſe arbitrari rapinam, quòd eſſet æqualis Deo: quod in verum Deum cadere non poteſt.

Secunda ratio Socini.

Soluitur. nihil tale indicari à Paulo: ſed ſatis eſt ad hunc modum loquendi, id Chriſtum non feciſſe quod alij ſolent facere: quia cùm per rapinam aliquid obtinent, non audent illud periculo exponere, & vel ad modicum tempus deponere. Chriſtus verò quia ſciuit non eſſe rapinam, ſuam cum Deo æqualitatem: idcirco non refugit ſe exinanire & ſe quaſi periculo obiicere.

Tertia ratio. Chriſtus ſemetipſum exinaniuit, id eſt demiſit atq; deiecit, Deus verò ſe demittere ac deiicere non poteſt, quin altiſſimus eſſe deſinat, & ſic deſinat eſſe Deus.

Tertia Socini ratio.

Soluitur: Chriſtus ſicut in Formà Dei eſt altiſſimus in qua etiam eſt æqualis Deo: ita in Forma Dei nō poteſt ſe demittere atq; deiicere; At verò in hominis Forma aſſumpta demittere ſe atq; deiicere poteſt; ſiquidē humana forma multiplicis demiſſionis ac deiectionis eſt capax: imò ipſa aſſumptio naturæ humanæ tam vilis & abiectæ, magna fuit Chriſti demiſſio. Ex quo patet demiſſionem hanc Deo quidē competere, ſed ratione humanæ, nō diuinæ naturæ: ita vt reſpectu diuinæ naturæ ſit ſēper altiſſimus, & Patri æqualis; reſpectu verò humanæ aſ-

Chriſti demiſſio qualis.

ſumptæ ſit Patre minor, & ſemetipſum humiliauit atq; deiecit.

At inſtat Socinus: quomodo, inquit, ſecundùm naturam humanam, quam nondum habebat, potuit ſe exinanire? maximè cùm exinanitio (vt quidem nos aſſerimus) fuerit ipſa naturæ humanæ aſſumptio.

Reſpondeo. imò verò exinanitio hæc non obtigit Chriſto ante naturam humanam, ſed per ipſam naturæ humanæ aſſumptionem. Id quod duobus modis explicare poſſumus. Primùm, quòd in natura humana aſſumpta expertus ſit ſuarum diuinarum perfectionum exinanitionem quandam, cùm pro diuina immortalitate & impaſſibilitate, defectus his oppoſitos ſentire cæpit. Qui defectus etſi immediatè circa naturam humanam verſabantur, Deo tamen tanquam aſſumenti & ſuſtinenti naturam illam, conueniebant. Quare & exinanitio propriè erat in humana natura: Deo tamen veluti in humana natura ſe exinanienti tribuitur. Secundò, dicere poſſumus ipſam naturæ humanæ aſſumptionem fuiſſe Dei exinanitionem. Fuit enim ad vilem, abiectam & inanem naturam demiſſio. Verùm ſicut hæc demiſſio fuit Deo extrinſeca, ita & exinanitio, nihilq; diuinam naturam in ſeipſa lædebat, aut vllo modo minuebat.

Quarta ratio.

Quarta ratio: Deus cùm ſit Altiſſimus, exaltari ſiue extolli non poteſt. Quò enim extolleretur Altiſſimus? Chriſtum verò Paulus dicit fuiſſe exaltatum.

Chriſti exaltatio qualis.

Soluitur: quemadmodum humanæ naturæ reſpectu fuit humiliatus; ita eiuſdem reſpectu fuit exaltatus in præmium tantæ humiliationis, accipiendo nomen quod eſt ſuper omne nomen. In diuina verò natura exaltari non potuit ſicut nec humiliari. At inſtat Socinus, ex eo ſequi æternum illum Dei Filium non fuiſſe exaltatum, niſi per idiomatum communicationem.

Reſpondeo æternum Dei Filium etſi per idiomatum communicationem, verè tamen & propriè dici exaltatum. Verè enim humana omnia Deo propter vnionem hypoſtaticam conueniunt. Verè enim *Dominum gloriæ* dicimus *crucifixum*. 1. Cor: 2. *Deum acquiſiuiſſe nos ſanguine ſuo* Act: 20. *Deum transfixum eſſe*. Zachariæ 13.

At inſtat, hanc exaltationem in eum finem factam eſſe, vt Chriſto adoratio & diuinus cultus impenderetur; hoc autem Deo donari non potuit, cùm illi nihil vnquam defuerit, quod ad ſublimitatem & cultum attinet.

Reſpondeo: Chriſto, quatenus Deus eſt, nunquam defuit quid, quam;

Digitized by Google

quam; ideoq; nihil ipſi ſub ea ratione donatum eſt. At Chriſto, quà homo eſt, donari potuit hæc ſublimitas, cùm eam ex ſe, hoc eſt ex natura ſua non habuerit, ſed ex dono Dei. Quamuis enim ab ipſo initiò incarnationis hanc gloriam & nomen ſuper omne nomen in ſe habuerit, fueritq; digniſſimus cui omne genu flecteretur: nihilominus huius gloriæ in toto mundo publicationem, & realem veluti poſſeſſionem non habuit, ſed eam poſt reſurrectionem obtinuit in præmium. Et quidem ipſo incarnationis momento natura humana in altiſſimam Dei perſonam euecta eſt, eoq; loco collocata eſt, vt altius quò eueheretur non haberet; indeq; ſecuta eſt illa diuinorum idiomatum communicatio, vt quæcunq; Dei ſunt, eadem omnia homini illi, in perſona Dei ſubſiſtenti tribuerentur; vt ille homo diceretur omnipotens, cœli terræq; conditor, Deus ille æternus, non ratione ſuæ naturæ, ſed ratione diuinæ perſonæ qua ſubſiſtebat. Quemadmodum autem diuinis perfectionibus nihil maius: ita dignitate illius hominis cui omnes diuinæ perfectiones dicto modo tribuuntur, nihil altius ac diuinius cogitari poteſt. Propter hanc igitur hominis illius, ad diuinũ ſtatum, euectionẽ fiebat, vt eſſet digniſſimus omni cultu & adoratione. Quia tamen hæc ſublimitas Chriſti, erat quidem in Chriſto, ſed non agnoſcebatur: ideo gloriam ſuam in ſe tantùm incluſam quodammodo habebat, non autem apud homines. At poſt reſurrectionem, & in cœlum aſcenſionem, Deus Pater donauit hoc Chriſto in præmium ſuæ humiliationis; vt etiam in toto mundo hæc gloria, & ſumma eius dignitas agnoſceretur, celebraretur, & debitus ei cultus à cœlo & terra re ipſa, & in effectu præſtaretur. Quod vel ex illis D. Petri verbis Act: 2. ver: 36. colligi poteſt, cùm de hac exaltatione Chriſti loquens, ait: *& Dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Numquid enim ante reſurrectionem Chriſtus non fuit Dominus, & Chriſtus? At talem fuiſſe ab ipſa eius natiuitate docet Angelus Luc: 2. ver: 11. *Natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Quomodo ergo poſt reſurrectionem fecit illum Deus Dominum & Chriſtum? niſi quòd hanc eius dignitatem & gloriam toti mundo publicauit, effecitq; vt tanquam Dominus & Chriſtus à cœlo & terra agnoſceretur, coleretur, adoraretur.

Chriſto ad gloriam quid defuerit.

Quare fruſtra ſe torquet Socinus, cùm eleuat huius præmij Chriſto præſtiti magnitudinem. Quale (inquit) præmium eſt dare vt agnoſceretur qualis eſſet? deinde egregia, inquit, præmio afficiendi ratio

Socini ratiunculæ refelluntur.

id alicui

id alicui dare, quod in ipſius manu, & voluntate eſt poſitum: deniq; egregium, inquit, illum vnum Deum iſti faciunt; qui cum præmio affici poſſe, adeoq; affectum eſſe docent. At certè præter Socinum nemo non videt longè maximum id eſſe, gloriam alicuius non occultam
1. latere, ſed toto mundo celebrari. Nam quamuis magnum eſt gloriâ digniſſimum eſſe; tamen multò maius gloriam hanc non apud ſe tantùm ſed etiam apud omnes habere; maximè ſi hanc gloriæ agnitionem ſequatur debitus cultus & adoratio. Exemplum eſto. Sit princeps aliquis regni ſui legitimus Dominus, verùm ex cauſa aliqua neq; agnoſcatur pro tali, neq; regium cultum, & venerationem apud ſubditos habeat: quis non videt magnum quid futurum, ſi talis princeps operâ alicuius eo loco conſtituatur, vt agnoſcatur is qui eſt, & recipiatur in regnum, & deniq; ab omnibus ſubditis cultus maieſtatis eius regiæ debitus & obedientia ipſi exhibeatur?

2. Iam quod ſecundo loco obiiciebat Socinus; Non poſſe loco præmij dari, id quod in ipſius ſit poteſtate: id inquam falſum eſt, quando is quantumuis poſſit alia via illud aſſequi, cedit tamen iuri ſuo, & vult potiùs meritis ſuis adipiſci, quòd id putet ad maiorem ſuam gloriam pertinere. Ita fecit Chriſtus, qui gloriam, quam conſecutus eſt, non ſolùm voluit ſibi vendicare vt debitam perſonæ ſuæ dignitatem, ſed etiam propter ſua merita: quia nimirum iis quæ hominum cauſa geſſit atq; perpeſſus eſt, quaſi nouo & glorioſo titulo promeruit, vt ab omnibus toto orbe coleretur, & adoraretur.

3. Deniq; quod tertio loco obiiciebat Socinus; Egregium ſanè Dominum qui præmio affici poſſit: ita ſanè, egregium & admirabilem, qui ſapientiâ ſua diuina adinuenit modum, quo ſine vllo diuinæ ſuæ naturæ præiudicio, in humana natura & mereri ſibi infinitam gloriam, & honorem in cœlo & terra poſſet, & eam in ſuorum meritorum compenſationem & præmium recipere. Deus enim in diuina ſua natura, nec mereri, nec præmio affici poteſt; cùm eius potiùs ſit omnibus bene meritis præmia tribuere. At verò in humana natura aſſumpta & mereri, & præmio affici poteſt, cùm id conditionem humanæ naturæ non excedat.

Quinta ratio. Quinta ratio. Paulus exemplo Chriſti, ſuiipſius demiſſionem vult docere: neceſſe igitur eſt, hanc Chriſti demiſſionem fuiſſe viſam atq; conſpectam. Neq; enim exempla ad perſuadendum poſſunt eſſe rerum à nemine viſarum. At nemo vidit aut videre potuit, Chriſtum ſolam

ſolam Dei eſſentiam habentem, in Virginis vtero humanam naturam aſſumere, aut quauis alia ratione in ipſa Dei eſſentia ſeſe demittere, ac deiicere: Ergo non poteſt hoc modo Chriſti demiſſio intelligi.

Soluitur. Exempla ad imitandum propoſita videri debent atq; conſpici, ſed non eſt neceſſe oculis corporeis videri, ſatis eſt vt videantur oculis mentis, quorum Paulus meminit, Epheſ: 1. ver: 10. vocans *oculos illuminatos cordis.* Nam & Chriſtus proponit nobis in exemplum Patrem ſuum cœleſtem. *Eſtote,* inquit, *perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: & tamen Pater nonniſi oculis mentis conſpici poteſt. Effectus quidem ipſius videri poſſunt oculis corporis; atqui efficiens ipſe nonniſi oculis cordis. Nonné & ſuperbia Luciferi *cuius cor eleuatum eſt in decore ſuo.* Ezech: 28. ver: 17. nobis in exemplum proponitur; & tamen quis non dicam vidit, ſed videre potuit Luciferum ſuperbientem in cœlo? Pari ergo ratione ſatis eſt nobis per fidem (*beati enim qui non viderunt & crediderunt*) proponi exemplum demiſſionis Chriſti, qui cùm Deus eſſet, factus eſt in vtero Virginis homo; vt & nos modo noſtro ad hanc demiſſionem Chriſti incitemur, & eam in nobis exprimamus.

Ambroſius Socino minimè fauet.

Addit Socinus, ſuam Formæ Dei interpretationem, Ambroſii quoque eſſe, neq; ex ea ſequi, quod Vuiecus cum Bellarmino infert, Apoſtolos quoque fuiſſe in Forma Dei, etiamſi miracula multa fecerint. Alia enim eſt, inquit, Chriſti, alia Apoſtolorum ratio. Chriſtus enim poteſtate & authoritate perpetuò in ſeipſo reſidēte, ad Dei exemplum mirabilia multa fecit: Apoſtoli verò poteſtatem, qua erant in miraculis faciendis præditi, in ſeipſis perpetuò reſidentem non habuerunt, nec propria authoritate, ſed ipſius Chriſti ea fecerunt, cuius nomen etiam in eis faciendis aut apertè, aut tacitè ſine dubio ſemper inuocabant. Verùm quod ad Ambroſium attinet, is neutiquam facit pro Socino. Nam is non nudam Formam externam intellexit, ſed diuinæ naturæ coniunctam quam diuinis operibus manifeſtabat. Quam ſuam ſententiam tum in epiſtola 47. tunc in hunc ipſum locū D. Pauli ſcribens, diſertè expoſuit. Forma, inquit, Dei nihil differt à Deo; Ratio etiam Vuieci & Bellarmini (quæ etiam Chryſoſtomi eſt in hunc Pauli locum) eſt contra Socinum vrgentiſſima. Nam ſiue ob miracula, ſiue ob poteſtatem faciendi miracula, Chriſtus erat in Forma Dei, idem quoque Apoſtolis competit, qui etiam poteſtatem faciendi miracula habuerunt. Quamuis autem ea poteſtas in Apoſtolis non per-

Digitized by Google

petuò reſideret vt in Chriſto; id tamen non efficit, quominus Apoſtoli fuerint in Forma Dei. Non enim perpetuitas illa, ſed poteſtas diuina abſolutè Formam Dei conſtituit; ita vt quamuis Chriſtus eam non perpetuò habuiſſet, aut eam (vt Socinus fatetur) ad tempus depoſuiſſet: nihilominus in Forma Dei fuiſſet. Poteſtas ſiquidem Formam Dei facit abſolutè, perpetua verò poteſtas, perpetuam Formam. Quare Apoſtoli eſſent & ipſi in Forma Dei, licet non perpetuò & ſemper. Quod tanquam magnum abſurdum ſequi ex Socini expoſitione bene probatur à Vuieco. Neque etiam impedit, quòd Apoſtoli non propria ſed Chriſti authoritate miracula fecerunt: ſiquidem & Chriſtus ſecundùm Socinum non propria, ſed Dei authoritate miracula faciebat, & nomen Dei Patris frequenter in illis faciendis inuocabat, vt vel vnicum exemplum ſuſcitationis Lazari abundè docet. Neq; tamen hoc efficiebat Chriſtum non eſſe in forma Dei.

CAPVT XXI.

Deum factum eſſe hominem, ex Epiſtola ad Hebræos oſtenditur.

IN capite ſecundo Epiſtolæ ad Hebræos à verſu 11. ſingularis Chriſti erga nos beneuolentię D. Paulus hoc affert argumentum, quòd nobis in omnibus ſimilis eſſe voluerit. Ita enim ſcribit: *Qui ſanctificat, & ſanctificantur ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* Et iterum. *Ego ero fidens in eum:* Et iterum. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* In quibus duo nobis argumenta ſuppeditat ad probandum, Chriſtum, cùm antè Deus eſſet, factum eſſe hominem.

Primum argumentū.

Primum eſt in illis verbis, *quia pueri cõmunicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Indicat enim ex libera Chriſti voluntate profectum eſſe, vt participaret carni & ſanguini, propter duplicem finem: tum vt eſſet ſimilis pueris, qui communicauerunt carni & ſanguini, tum vt

Chriſtus ex ſingulari in nos affe-

in carne

Digitized by Google

in carne moriens, deſtrueret eum qui habebat mortis imperium. Certè ſi non potuit Chriſtus non participare carni & ſanguini, ſicuti cæteri homines, qui non liberè ſed ex neceſſitate naturali naſcuntur in carne; non commendaret Paulus Chriſti erga nos in hoc beneuolentiam, quòd in gratiam noſtram, & vt nobis eſſet ſimilis, participauit carni & ſanguini; ſiquidem non ex aliquo in nos affectu, ſed naturali neceſſitate id factum eſſet. Iam igitur ſi à libera Chriſti poteſtate & voluntate profectum id eſt, quòd carni & ſanguini participaret; neceſſarium eſt vt Chriſtus prius extiterit, quàm particeps eſſet carnis & ſanguinis. Quid autem tunc fuit, quamúe naturam tunc habuit, humanamné an Angelicam? At nondum carnis & ſanguinis fuit tum particeps. Angelis verò Chriſtum minorem (naturâ) fuiſſe, ſatis abundè Pſalmus octauus indicat. Conſequens igitur eſt, Chriſtum antequam carnis & ſanguinis fieret particeps, fuiſſe Deum: tum quòd hoc nomine illum inſignit ſcriptura, cum plurimis aliis in locis, tum ad Hebr: 1. vbi hoc nomē præ Angelis dicitur hæreditaſſe: tum quia præter hominem, Angelum, Deum, nulla alia eſt intellectualis natura. quare ſi tum neque hominis, neque Angeli natura Chriſto inerat, ſequitur vt Dei naturam habuerit. *Chriſtus factus homo.*

Similem Chriſti in nos affectum in aliis quoque locis commendat ſcriptura, præſertim 2. Cor: 8. ℣. 9. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia diuites eſſemus.* Quando enim obſecro hanc gratiam nobis præſtitit? aut quod eſt illud tempus, quo cùm eſſet diues & non egenus, pro nobis egenus factus eſt? certum enim eſt ab initio ſuæ conceptionis egenum & pauperem fuiſſe vſque ad extremum vitæ ſpiritum. Neque vllum momentum vitæ ipſius aſſignari poteſt, quo non fuerit egenus: quare dicere cogimur fuiſſe diuitem, & omnis inopiæ expertem, antequam homo fieret, & diuinæ naturæ reſpectu. Cùm enim eſſet Deus & Dominus vniuerſorum, nullius indigens, factus eſt homo pauperrimus, & omnibus indigentiſſimus, vt non haberet vbi reclinaret caput ſuum; idque eo fine, vt nobis ſua hac inopia diuitias cœleſtes compararet. Neque credendum eſt Statorio, cùm ait Chriſtum in multis rebus fuiſſe diuitem poſt natiuitatem ſuam; cùm ſatis conſtet ex Euangelio Chriſti perpetua paupertas. Nam de diuitiis & paupertate in rebus exterioribus non in rebus ſpiritualibus hoc in loco agitur.

Secundò, idem colligitur ex illis aliis verbis; *quia pueri communica-* *Secundum*

 nerunt

Argumentum.

uerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem. Quibus verbis non ſolùm indicat Paulus Chriſtum factum nobis ſimilem in natura, ſed & in poteſtate eius fuiſſe communicare carni & ſanguini. Nemo enim niſi abſurdè quæſierit cauſam, ob quam aliquis noſtrum participet de carne & ſanguine, neque in cuius gratiam carni & ſanguini participet; cùm hanc participationem ipſa hominis natura requirat, conueniatque homini neceſſariò & naturaliter. Quæ autem in gratiam alicuius à nobis fiunt, ſunt contingentia, & ex eorum genere quæ ſunt in noſtra poteſtate, & poſſunt à nobis fieri & non fieri. Si igitur in gratiam hominum Chriſtus participauit carni & ſanguini, vt illis ſimilis eſſet; procul dubio in eius erat poteſtate non participare. Nam ſi ex neceſſitate naturali participaret, profectò ſine reſpectu ad pueros participaret, hoc eſt, non propterea quòd pueri communicauerunt carni & ſanguini; ſed neceſſariò & naturaliter. Rectè igitur colligimus ex mera Chriſti voluntate proceſſiſſe, quòd participarit carni & ſanguini.

Tertium argumentum.

Tertiò idem colligi poteſt ex aliis ſequentibus verbis, verſu 16. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus ſimilari*: quibus verbis indicatur, Chriſtum ex eo quòd non Angelicam, ſed humanam naturam accepit, non Angelis, ſed hominibus tanquam ſuis in natura fratribus debuiſſe aſſimilari. hoc autem non poſſet dici, niſi fuiſſet in poteſtate Chriſti, vtram vellet naturam accipere, & niſi maluiſſet naturam humanam ex ſemine Abrahami quàm Angelicam ſumere.

Prima Statorij reſponſio.

Reſpondet Statorius primò. Chriſtum participaſſe carni & ſanguini non ex aliquo ſuo in nos affectu, ſed ex Dei voluntate. Nam verſu 9. dicitur, Chriſtum *gratia Dei guſtaſſe pro omnibus mortem*; & verſu 10. *à Deo per paſſionem conſummatum.* Verùm quis non videt Paulum facere quidem mentionem voluntatis & ordinationis diuinæ, ℣. 9. & 10. cùm de morte Chriſti loquitur: at aliis deinceps verſibus, cùm Chriſtum oſtendit nobis eſſe factum in omnibus ſimilem, nullius ordinationis Dei meminit, ſed in Chriſtum eiuſq; voluntatem & gratiam refert, quòd ſimilis nobis eſſe voluerit. Nam inprimis poſtquam dixit ℣. 11. ipſum & nos debere eſſe *ex vno*, id eſt, vnius generis & naturæ, ſubiungit: *Propter quam cauſam,* (hoc eſt propter hanc vnitatem naturæ) *non confunditur eos vocare fratres.* Fratres enim ſunt eiuſdem naturæ, ex vno Patre progeniti. Quibus verbis indicant Chriſtum potuiſſe erubeſcere nos vocare fratres, hoc eſt eiuſdem ſecum naturæ, in eoque com-

Chriſtus non confunditur nos vocare fratres.

mendari

Digitized by Google

mendari eius charitatem, quòd non erubuerit. Nullus enim commendationem habet ex eo quòd non erubuerit rem aliquam, niſi quum potuit ſi voluiſſet eam recuſare & erubeſcere. Profectò autem erubeſcere non potuit Chriſtus communionem nobiſcum in natura, niſi habuiſſet antè aliam multo nobiliorem naturam, ratione cuius quaſi dedignari poſſet naturam noſtram ſuſcipere, in qua eſſet frater noſter. Sicut enim nullus erubeſcit fieri homo ſimilis hominibus in natura: eo quòd nulla alia in nobis natura præcedat, cuiꝰ reſpectu hanc erubeſcere poſſimus: ita nec Chriſtus, niſi naturam diuinam in ſe haberet, comparatione cuius natura humana eſt viliſſima, non haberet vnde poſſet erubeſcere, habere nobiſcum communionem in natura, & fieri frater noſter. Patet igitur ex voluntate & charitate Chriſti profectum eſſe, quòd non erubuerit nobiſcum in natura noſtra communicare, & frater noſter fieri.

Dicet fortè quiſpiam, Chriſtum non dici hoc loco fratrem noſtrum, & nos ipſius, ſecundùm generationem carnalem, ſed ſpiritualem. Verùm hoc eſt planè contra mentem Pauli, qui hoc ex inſtituto docere intendit, Chriſtum nobis in his quæ ſunt carnis & ſanguinis, atque adeò in omnibus quæ ad naturam noſtram ſpectant, eſſe ſimilem abſque peccato. imò ex eo quòd eſt nobis ſimilis in natura, & omnes naturæ noſtræ infirmitates expertus eſt in ſeipſo, infert Paulus, illum eſſe magis miſericordem & fidelem apud Deum ad repropitianda delicta. Id quod patet in ſequentibus verbis, verſu 14. vbi etiam ſimilitudinem Chriſti cum pueris ſibi à Domino datis in communione carnis & ſanguinis conſiderat, non in aliqua ſpirituali communione.

Reſpondet ſecundò Statorius. Nomine carnis & ſanguinis non ſignificari naturam carnis & ſanguinis, ſed dolores, afflictiones, mortem; quæ Chriſtus idcirco accepit, vt ab iis nos liberaret. Duriſſima ſanè interpretatio. Nam & inauditum eſt in ſacris literis, carnem & ſanguinem, dolores & afflictiones ſignificare, & huic loco Pauli minimè quadrat. Mens enim D. Pauli eſt, oſtendere Chriſtum nobiſcum eſſe vnius eiuſdemque naturæ, ſimilemque eſſe nobis per omnia. Id enim proponit ℣. 11. *qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes*: hoc eſt, Chriſtus qui ſanctificat, & homines qui ſanctificantur, ſunt *ex vno omnes*, hoc eſt ex vno principio, genere, origine, natura. Deinde 1.
probat id primum ex eo, quòd Chriſtus propter hanc cauſam nos vocat fratres; quia ſcilicet ſumus vnius cum ipſo naturæ. Secundò vocat 4.

Secunda Statorij reſponſio.

 nos

nos pueros ſuos; *quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, id eſt natura carnis & ſanguinis, non doloribus, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Tertiò, quia non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, hoc eſt, non Angelicam, ſed humanam naturam: ideo non Angelis ſed hominibus tanquam fratribus ſuis in natura debuit per omnia ſimilari, vt propter ſimilitudinem miſericors fieret.

Ex quo diſcurſu ſancti Pauli patet, debuiſſe Chriſtum eſſe nobis ſimilem in natura: tum vt in natura, ſeu carne noſtra moriens, nos liberaret à morte; quam rationem indicat ℣. 14. tum vt in carne noſtra experiretur omnes noſtras miſerias, & ex illis diſceret nobis miſereri: quam rationem indicat ℣. 17. & 18. Fruſtra autem laboraret in hoc diſcurſu ſanctus Paulus, ſi Chriſtus non eſſet niſi homo, neq; potuiſſet non eſſe homo: neceſſario enim eſſet ſimilis nobis in omnibus, ita vt non potuerit non eſſe ſimilis.

Cùm verò inſtat Statorius: ſimili, inquit, ratione concluderetur, pueros, quia communicauerunt carni & ſanguini, fuiſſe antequam communicarent carni & ſanguini.

Soluitur. Si ex affectu puerorum communicatio hæc procederet; ritè id concludi poſſet. At Paulus non in pueris, ſed in Chriſto affectum ad participandum carni & ſanguini commendat. At de primo argumento ſit ſatis.

CAPVT XXII.

Exponitur illud D. Pauli. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.

SEcundum argumentum ſumitur ex illis verbis: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari.* Senſus enim eſt. Non naturam Angelicam, ſed humanam ex ſemine Abrahæ (vt prædictum erat) in ſe accepit: ideoq; non Angelis ſed hominibus, tanquam fratribus ſuis, in eadem natura ſecum communicantibus, debuit per omnia ſimilari. Si igitur ex eo commendatur Chriſti in nos charitas, quòd non Angelicam ſed humanam naturam aſſumpſerit; ergo potuit vtram vellet naturam aſſumere; noſtram tamen prætulit Angelicæ. Quod ſi ita eſt; fuit ergo Deus antequam naturam humanam aſſumeret, vt in priori argumẽto deduximꝰ.

Expoſitio Statorij. Reſpondet Statorius cum Racouianis. Semen Abrahæ, non naturam humanam, ſed filios Abrahæ ſignificare, quos Chriſtus accepit in pro-

in protectionem & gratiam non Angelos. Id verò, ait, colligi ex verſu 18. *In eo in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt eis qui tentantur auxiliari.* Quibus verbis (ait) reddi rationem, quare ſemen Abrahæ apprehenderit, idemq; eſſe apprehendere, quod auxiliari.

At errat Statorius. Primò, cùm exiſtimat ver: 18. reddi rationem eius, quod verſu 16 dixerat: Chriſtum ſemen Abrahæ apprehendiſſe. Non enim huius ſed quod immediatè ante ver: 17. præceſſit, redditur ratio: nempe, Chriſtum debuiſſe nobis ſimilari per omnia, id eſt, in omnibus etiam afflictionibus, & tentationibus, vt miſericors fieret, *quia* (inquit) *in eo in quo paſſus eſt, & tentatus, potens eſt eis qui tentãtur auxiliari.* *Sed errat.* 1.

Secundò errat, cùm ſemen Abrahæ, filios Abrahæ à Chriſto in protectionem acceptos interpretatur. Primò, quia id eſt contra mentem Pauli. Mens enim Pauli eſt, oſtendere Chriſtum & nos, eſſe ex vno omnes, hoc eſt ex vno principio, origine, genere, vt patet ex tex: 11. Sicut igitur hanc Chriſti nobis communitatem in natura oſtendit, primùm ex eo, quòd ſumus fratres eius; tum ex eo, quòd participauit ſimiliter carni & ſanguini, vt & nos; ita vltimò oſtendit ex eo, quòd non naturam Angelicam, ſed humanam ex ſemine Abrahæ apprehendit; ideoq; non Angelorum, ſed hominum frater factus eſt, & hominibus ratione eiuſdem naturæ, ſimilis eſſe per omnia debuit. Nam quum aiunt, Paulum in antecedentibus de conſeruatione & liberatione hominum à morte egiſſe, ideoq; verbum Accipiendi, ſeu Apprehendendi, reſtringendum eſſe ad ſubiectam materiam: nos pari ratione dicere poſſumus; Paulum in antecedentibus idq; præcipuè de acceptione Carnis & ſanguinis, & vnione cum hominibus in natura egiſſe, proinde verbum Accipiendi, reſtringi debere ad acceptionem naturæ, tanquam ad ſubiectam materiam; idq; multo maiori ratione; ſiquidem hunc eſſe ſcopum Pauli à ver: 11. deinceps oſtendimus. 2.

Tertiò, ſi de acceptione in protectionem loqueretur Paulus; non dixiſſet ſemen Abrahæ apprehendit, ſed ſemen Adami, vel vniuerſè homines apprehendit. Neq; enim ſolos filios Abrahæ accepit in protectionem Chriſtus, ſed etiam eos qui ante Abrahamum fuerunt, & qui ad Abrahamum non pertinuerunt. Apud Chriſtum enim *non eſt gentilis & Iudæus, Circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus.* Col: 3. ver: 11. 3.

At retorquet inprimis argumentum Statorius. Si naturam humanam ſignificare voluiſſet Paulus, non dixiſſet ſemen Abrahæ, ſed ſemen Adami. *Cur Paulus ſemen Abraha* [illegible]

Reſponſio

ſemen Adã nominauit.

Reſponſio plana eſt. Quia Chriſtus promiſſus erat Abrahamo ex ſemine eius naſciturus, Gen: 12. ideo ſeminis Abrahæ non Adami fecit mentionem. quam ob cauſam Paulus Gal: 3. ver: 16. ſemen Abrahæ interpretatur Chriſtum. *Et ſemini tuo quod eſt Chriſtus.*

Reſpondet deinde Statorius ad argumentum. Semen Abrahæ non illos hoc loco cenſendos eſſe, qui ſecundùm carnem ex Abraham deſcenderunt, ſed omnes fideles qui *ſecundùm promiſſionem ſunt filij Abrahæ.* Gal: 3. ver: 2. quamuis autem Chriſtus omnes homines accipiat in ſuam protectionem, quia omnes vult ſaluos fieri, & omnibus ad ſalutem offert gratiam: non tamen omnes accipit cum effectu ſalutis, ſed ſolùm fideles.

Omnes fideles ſunt filij Abrahæ.

Sed hæc reſponſio non tollit vim argumenti. Quamuis enim verum ſit, omnes qui ſunt Chriſti, eo ipſo eſſe filios Abrahæ per Chriſtum ſecundùm promiſſionem (promiſſum enim erat Abrahæ in ſemine eius, quod eſt Chriſtus, benedictum iri omnes gentes) quare quicunq; ſunt filij benedictionis, iidem & filij Abrahæ, etiam illi qui antè Abrahamum fuerunt: hocq; ſenſu per Chriſtum factus eſt Abraham Pater multarum gentium: ita vt meritò D. Paulus ad Galat: 3. ver: 29. ſcripſerit: *Si autem vos Chriſti, ſemen Abrahæ eſtis ſecundùm promiſſionem hæredes.* Hoc tamen loco non agitur ſolùm de filiis Abrahæ, id eſt, fidelibus electis, ſed vniuerſè de omnibus hominibus. Loquitur enim Paulus vniuerſè de his *qui communicarunt carni, & ſanguini,* ver: 14. *& qui obnoxij erant mortis ſeruituti,* ver: 15. *& quibus per omnia debuit Chriſtus aſſimilari, vt miſericors & fidelis Pontifex fieret pro illis apud Deum.* ver: 12. *& qui tentantur & egent auxilio Chriſti.* Hi autem non ſunt ſoli fideles electi, ſed etiam fideles non electi, & vniuerſè omnes homines. Neq; vllum indicium eſt, ex quo poſſit colligi, ſolos electos hîc intelligi. Deinde ex hoc quòd non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, infert ſanctus Paulus; non Angelis, ſed hominibus tanquam fratribus ſuis per omnia ſimilari debuiſſe. Quod pulchrè cum noſtra interpretatione conuenit. Quia enim non naturam Angelorum, ſed noſtram in ſe accepit (quod ex ſumma Chriſti charitate in nos profectum eſt) ideo nõ Angelis, ſed nobis tanquam fratribus ſuis in natura, debuit per omnia ſimilari. Secundùm interpretationem autem Statorij, Chriſtus ſolis electis debuit ſimilari, vt pro ſolis electis eſſet *miſericors, & fidelis Pontifex apud Deum.* Quocirca neceſſarium eſt omnino, locum hunc Pauli de ea apprehenſione, qua ſimilis nobis factus eſt in natura, intelligere.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Deum in carne noſtra confixum eſſe, Zachariæ teſtimonio, comprobatur.

HActenus ea ſacrarum literarum teſtimonia adduximus, quibus docetur, Deum carnem aſſumpſiſſe, & hominum cauſa hominem factum eſſe: reliquum eſt vt ea quoq; adducamus, quibus Deum in carne paſſum, vel mortuum eſſe affirmatur. Ex his enim conſequetur, Deum factum eſſe hominem, ſi in carne noſtra pati; & mori voluit, ad incredibilem ſuam in nos charitatem demonſtrandam. Afferemus autem vnum ex veteri, alterum ex nouo teſtamento.

Primum ergò teſtimonium ſit Zachariæ 12. ver: 10. vbi Deus loquitur in hæc verba: *Effundam ſuper domum Dauid, & omnes habitatores Hieruſalem, Spiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt.* Quibus verbis indicatur, Deum illum æternum, cæli terræq; conditorem, in humana carne videri, & transfigi debuiſſe: quod poſterius tunc impletum eſſe, cùm Chriſtus fuit Cruci affixus, & lancea perforatus, D. Ioannes teſtatur. cap: 19. ver: 37. Porrò Deum eſſe eum, qui dicit, ſe viſum & transfixum iri, nemo poteſt ambigere; cùm is qui toto illo capite loquens inducitur, dicatur eſſe Deus, extendens cœlum, & fundans terram.

Duo autem ex hoc teſtimonio inferimus. Alterum eſt; Deum verum, factum eſſe hominem. Quomodo enim videri & transfigi poterat, niſi in carne? Nam diuina eius natura neq; videri oculis corporeis, neq; transfigi poteſt. Alterum eſt; hunc Deum non eſſe Deum Patrem, ſed Chriſtum Filium eius. Nam D. Ioannes hanc Prophetiam impletam eſſe in Chriſto expreſſè affirmat. cap: 19. cùm de Chriſti in Cruce transfixione loquens ait: *Facta enim ſunt hæc vt ſcriptura impleretur; os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Quæ enim quæſo ſcriptura impleta eſt, niſi quæ prædicit Deum ipſum videndum & transfigendum eſſe. Quis autem alius in Cruce transfixus eſt, niſi Chriſtus? Chriſtus igitur eſt ille verus Deus, cæli terræq; conditor, atq; adeò ille ipſe, qui apud Zachariam dixit: *Aſpicient ad me quem confixerunt.*

Reſpondent primò ex Hebræo ita verti poſſe locum Zachariæ. *Et aſpicient ad me, cum illo, quem confixerunt,* quo admiſſo, nulla Dei confixi *Torquent ſcripturam Ariani.*

 mentio

mentio erit. Ita Socinus & Statorius; qui citant Marcum Marinum Diui Saluatoris Canonicum Regularem, in præfatione Theſauri ſui noui, linguæ ſanctæ cap: 2. & in theſauro ipſo in verbo Dakar. Colligunt autem hoc ex duobus. Primò, quia ſanctus Ioannes cap: 19. citans hunc locum Zachariæ, non facit mentionem Dei: ſignum ergo eſt, vel illius tempore voculas illas, *Ad me*, in eo loco non fuiſſe lectas, vel aliter fuiſſe lectas, cum illa additione ex Marino allata (cum eo) vt ſic Chriſto accomodari potuerint. Secundò, quia mox ſubiungitur, tanquam de alia perſona: *Et planget ſuper eum planctu quaſi ſuper vnigenitum.* Ex quo apparet Deum, non de ſe, ſed de aliquo alio illa antecedentia verba dixiſſe.

Scilicet, ſentiunt in quas anguſtias ſe coniecerint aduerſarij, vt ſuos errores non aliter defendere poſſint, niſi ſcripturam aut corruptam clament, aut nouis & inauditis lectionibus detorqueant, idq; leuiſſimis coniecturis adducti. Nam quod ad Marini auctoritatem attinet, ei vniuerſam antiquitatem opponimus, quæ aliter nec legit, nec legendum putauit. id quod hac ratione oſtendi poteſt. In Hebræo enim habentur illæ duæ voculæ, את אשר quæ non poſſunt verti, niſi vel cum quo, vel quem. Si igitur vertantur, cum quo; nullus erit ſenſus; aſpicient ad me cum quo confixerunt. neceſſe eſt igitur verti ſecundo modo, quem confixerunt. ita vt particula את ſit merus articulus, licet aliquando ſignificet, Cum. Deinde, nonné ſimili modo verba illa Pſal: 22. ver: 17. *Foderunt manus meas & pedes meos*, Iudæi corrumpunt, cùm dicunt in Hebræo legi poſſe: ſicut leo manus meas, & pedes meos: num propterea recedendum à priori receptiſſima in Eccleſia lectione? anné veriſimile eſt per duo annorum millia veram lectionem non dico Iudæos, ſed Eccleſiam Chriſti latuiſſe, & ſemper erroneam lectionem ſecutam eſſe?

D. Ioannes quidem non expreſſit Dei nomen, cùm hunc locum citat: at ſatis erat indicaſſe locum, in quo Dei nomen exprimitur.

Scripturæ ab Euangeliſtis non iiſdem planè verbis citantur.

Non enim nouum eſt aut inuſitatum, ſcripturas ab Euangeliſtis ita citari, vt aliqua verba vel omittant, vel in alia interpretando commutent, ea ſolùm commemorando, quæ inſtituto illorum ſeruiunt. Exemplum ſit locus Malachiæ cap: 3. ver: 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Qui quidem locus aliis atq; aliis verbis citatur ab Euangeliſtis. Matthæus cap: 11. ver: 10. addit tres illas voculas in medio, *Ante faciem tuam*: quæ non habentur apud Malachiam. In

am. In fine verò, pro eo quod Malachias habet *Faciem meam*, citat, *Faciem tuam*, & adiicit, *ante te.* Idem facit Marcus cap:1. ver: 2. & Lucas cap: 7. ver: 27. Simili modo Matth: cap: 2. ver: 6. citat illud ex Michæa: *Et tu Betlehem Ephrata*; omittit illam vocem *Ephrata*, & eius loco ponit *terra Iuda*; alia etiam ſequentia verba immutat; ita vt veriſſimum ſit quod diximus, non poſſe ex citatione Euangeliſtarum colligi, eo modo in veteri teſtamento legendum eſſe, quo ab illis citantur.

Deus de ſeipſo in tertia perſona loquitur.

Iam verò quum vrget Socinus, illa verba quæ mox ſubiunguntur: *Et plangent eum*, oſtendere Deum non de ſe ſed de alio, hæc & quæ immediatè præcedunt eſſe loquutum: dico id minimè poſſe colligi. Sæpe enim in ſcriptura Deus cùm de ſeipſo loquitur, in prima perſona, mutata quaſi perſona, loqui incipit de ſeipſo in tertia perſona. Exemplum eſto Zachariæ 2. ver:10. *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa.* non dicit ad me, ſed ad Dominum; cùm tamen ſeipſum intelligat: *Et erunt mihi in populum*, vbi rurſus reſumit ſuam perſonam.

Euaſio Socini & Statorij.

Reſpondet ſecundò pertinaciſſimè; Deum Patrem confixum eſſe in Chriſto, propter ſummam Dei cum Chriſto coniunctionem. Nam ſi rectè dicitur Zach: 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth: 25.40. ita vt verè die iudicij dicturus ſit Chriſtus: *eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.* licet id minimis Chriſti, non ipſi Chriſto in perſona factum ſit. Si Paulus cum Chriſtianos perſequeretur, Chriſtum ipſum perſequebatur, dicente Chriſto: *Saule, Saule, cur me perſequeris?* Cur non rectè dicatur, Deus Pater confixus in Chriſto, cùm Chriſtus configeretur; cùm multò maior ſit Dei cum Chriſto coniunctio, quàm cum quopiam altero, vt quidcunq; Chriſto factum eſt, id Deo ipſi factum dici poſſit. Præterea non dubium eſt, illud quod legato principis accidit, in principem ipſum redundare. Quocirca & quod Chriſto accidit, ipſi quoq; Deo rectè adſcribitur.

Quæ Dei amicis fiunt Deo tribuuntur.

Verùm enimuerò errant multis modis aduerſarij. Nam inprimis quod ad modum loquendi attinet; non negamus, quæ Dei ſeruis & amicis fiunt, dici quodam modo Deo ipſi fieri; propter illam enim quam Deus habet cum ſuis coniunctionem, fit, vt quæ ipſis fiunt, ſiue bona, ſiue mala, in Deum ipſum redūdent. Nam ſi bona ſint quæ fiunt; Dei cauſa fiunt; quæ autem Dei cauſa aut in Dei gloriam fiunt, magis Deo quàm hominibus fiunt. Si verò mala ſint, ea quoq; vt ſua Deus

 habet,

Digitized by Google

habet, vel quia ipſius cauſa infliguntur, & ſuſcipiuntur: vel propter illam, quam cum ſeruis ſuis habet multiplicem coniunctionem: ſicut membri alicuius malum in totum corpus redundat; & legati iniuria in principem. At vti modum hunc loquendi non negamus: ita dicimus eum nonniſi tunc adhiberi, cùm duarum perſonarum ſit inter ſe quaſi quædam comparatio, & vni, reſpectu alterius idem tribui intelligitur. Id quod adducta exempla docent: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Saulo etiam cùm Chriſtianos perſequeretur dictum eſt à Chriſto: *cur me perſequeris?* Nunquam verò abſolutè, & abſq; comparatione, id quod vni conuenit, alteri tribuitur, niſi quadam cum altero comparatione facta. Nam qui abſolutè dicit ſibi aliquid factum, omni conſuetudine loquendi ſoli ſibi illud aſſerit factum. Cùm igitur apud Zachariam abſolutè Deus de ſe dicit. *Quem confixerunt*, nulla cuiuſpiam alterius tacitè, vel expreſſè mentione facta, ratione cuius confixus intelligi poſſit: non poteſt hic loquendi modus, loco Zachariæ vllo modo accommodari, vanumq; eſt aduerſariorum in illo loquendi modo perfugium.

Ioannes locum Zachariæ de Christi transfixione interpretatur.

Refelli præterea aduerſarij poſſunt D. Ioannis teſtimonio; qui tum in Euangelij ſui capite 19. tum in primo capite Apocalypſis, hunc Zachariæ locum de Chriſto non de Deo Patre interpretatur. Volens enim probare Chriſtum ſecundùm ſcripturas non confringendũ, ſed configendum fuiſſe; adducit quoad confixionem hunc Zachariæ locum: *Facta ſunt* (inquit) *hæc vt ſcriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* quibus verbis non ſolùm accommodat ſcripturam ad ſuum propoſitum; ſed etiam ait, eam de transfixione Chriſti loqui. Porrò Zacharias nullius alterius meminit, niſi Dei transfigendi. quare aut Chriſtus eſt ille Deus, aut nihil de Chriſto in hoc Zachariæ teſtimonio dicitur. Nam ſi reſpondeant transfixionem illam in Chriſto fieri debuiſſe: aduertere debent non id ſolùm dicere Ioannem, ſed etiam ita eſſe apud Zachariam ſcriptum: Zacharias autem transfixionem Chriſto expreſſè non tribuit, ſed Deo: quocirca niſi Chriſtus ſit ille Deus, nullo modo verum erit ſcripturam id dicere de Chriſto; ſiquidem ea Chriſti non meminit, ſed Dei. Ad hunc etiam modum Apocalypſis 1. 7. locum Zachariæ de Chriſto D. Ioannes exponit: *Ecce, inquit, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.*

Ex his autem duobus locis colligitur, de quonam tempore pro-

phetia

Digitized by Google

pheriã Zachariæ intelligenda ſit. Nam quo ad confixionem attinet, tempore paſſionis Domini impleta eſt, vti docet D. Ioannes cap: 19. Ad hoc enim ſolum probandum, citat Zachariæ teſtimonium. Et quámuis totam ſententiam producit: *videbunt in quem transfixerunt*: tamen ſolùm eo fine, vt ex ea transfigendum fuiſſe Chriſtum probaret. Illa enim viſio, de qua Zacharias vaticinatur, non tempore paſſionis eſt impleta, ſed die iudicij implebitur, vt author eſt D. Ioannes in Apocalypſi, ſicut & quod ſequitur: *Et plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum*, die iudicij complendum, idem Ioannes teſtatur. planctus enim ille ex viſione Chriſti à ſe confixi proueniet. Senſus igitur eſt. Aſpicient ad me die iudicij, quem auſi ſunt configere die paſſionis meæ. & hunc ſenſum ſequuntur communiter ſancti Patres. Neq; enim die paſſionis eo modo aſpexerunt Chriſtum Iudæi, vt eſſet planctus vniuerſalis in Hieruſalem ex Chriſti morte; neq; ij, qui illum confixerunt, facinus ſuum deteſtati ſunt, & ad pænitentiam redierunt.

Quando prophetia Zachariæ impleta.

Hinc verò vis maior argumenti noſtri apparet, nempe Zachariam non de Deo Patre vaticinatum eſſe. De eo enim prædicit Zacharias, quem oculis corporeis videre, & plangere tanquam à ſe transfixum Iudæi debuerunt. At non Deum Patrem, ſed Chriſtum venientem in nubibus ad iudicium viſuri ſunt Iudæi, & deploraturi ſcelus ſuum, quod in Chriſto à ſe transfixo admiſerunt. Non igitur Deum Patrem prædixit transfigendum, neq; in Deo Patre vllo modo hanc prophetiam impletam eſſe ſcriptura indicat. Quum verò obiicit Statorius Deum in ſeipſo transfigi non potuiſſe, ſed in Chriſto homine: dicendum eſt; Deum vti verè & re ipſa fuiſſe hominem illum Chriſtum: ita verè transfixum eſſe non in diuina, ſed in humana natura; quæ tamen transfixio Deo tribuitur, quia Deus erat is qui in humana natura ſubſiſtebat; quo ſenſu quoq; Paulus ait, Dominum gloriæ crucifixum.

Vrgetur idem argumentum.

CAPVT XXIIII.

Deum Eccleſiam ſanguine ſuo acquiſiuiſſe.

IN Actibus Apoſtolorum cap: 20: ver: 28. ita loquitur Paul⁹: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Deus igitur ſanguine ſuo Eccleſiam acquiſiuit; quod procul dubio dici non poſſet, ſi carnis & ſangui-

Digitized by Google

nis non eſſet particeps. Porrò non dubium eſt hoc loco nomen Dei ſummum illum & verum Deum deſignare, tum quia cùm dicitur Eccleſia Dei, veri Dei eſſe intelligitur; tum quia ipſi aduerſarij concedunt, in ſcriptura Deum pro vero Deo tunc accipi, cùm habet rationem ſubiecti. Hoc autem loco vox *Deus*, ſubiecti locum habet. Ergo verum Deum deſignat.

Perſtringit hic locus ſua luce Anabaptiſtarum oculos, & ideo variè ſe torquent, vt illum quacunq; ratione detorqueant.

Primò igitur, vocem Dei, expunctam volunt, & pro illa Chriſti nomen ſubſtituunt. Ita enim habere aiunt Syriacam editionem. Hoc ſcilicet eſt iſtorum ingenium, vt quo ſe premi in ſcripturis maximè ſentiunt, illud præcipuè ſublatum velint. Antiqua ſanè Eccleſia has corruptelas non nouit; neq; libri, quibus hactenus vſa eſt Græca Latinaq; Eccleſia. Quod ſi qui Chriſti hoſtes, ſiue Iudæi, ſiue Anabaptiſtæ, pro arbitrio ſuo locum aliquem ſcripturæ immutent, truncent, deprauent; num propterea fides Bibliorum quibus vniuerſa Eccleſia vtitur, vacillare debet? Syriacus quoq; interpres (quod alibi quoq; facit) nomen Chriſti interpretando ſubſtituit. nam etiam verba illa, *hoc eſt Corpus meum*, tranſtulit, hoc eſt corpus Chriſti; ad ſenſum magis quàm ad vocem attendens.

Licinius Arianus Miniſter. Ioannes Licinius Arianus in diſputatione noſtra Nouogrodenſi, aliter hunc locum torquebat. Aiebat enim legendum eſſe, non proprio ſanguine, ſed proprij ſanguine, vt nomine proprij, Chriſtus intelligatur. At fuit tunc Licinius à nobis conuictus; tum ex eo, quòd in Græco habetur, *διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος*, vno articulo adiectiuum cum ſuo ſubſtantiuo connectente; tum quia eaſdem voces in eodem ſenſu adhibet Paulus Heb: 9. ver: 12. *διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν εἰς τὰ ἅγια*, *per proprium ſanguinem introiuit in Sancta*; tum quia nullibi in ſcriptura nomen Proprij; ſine ſuo ſubſtantiuo ponitur, ad ſignificandum Chriſtum, ſed ſemper coniungitur cum ſuo ſubſtantiuo: vt cùm Rom: 8. ver: 32. dicitur, *proprio filio non pepercit*. Quod verò refert Bezam in vno codice legiſſe has voces articulo quaſi diſiunctas, *τοῦ ἰδίου τοῦ αἵματος*, id ipſum Licinij expoſitionem euertit. Nam ſi vnus tantùm codex hanc diſiunctionem habuit; quam fidem vnus codex, contra omnium librorum authoritatem habere poteſt? Deinde ſit ille duplex articulus: neq; tamen neceſſariò vim diſiungendi habebit, ſed potiùs

potiùs cum Emphaſi quadam coniungendi, vt ſit ſenſus, illo ſanguine, illo proprio acquiſiuit Eccleſiam; ſicut ibidem ver: 23 ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅ ιον κατὰ πόλιν διαμαρτυρέν]αι, *quod Spiritus ille, ille ſanctus per ciuitates teſtificatur.*

Socinus deniq; & Statorius Ochinum ſecuti, locum hunc de Deo Patre intelligunt, qui Chriſti ſanguine tanquam ſuo acquiſiuit Eccleſiam. Sanguis enim Chriſti, meritò ſanguis Dei Patris dici poteſt; non quòd Deus ſanguinem habeat, ſed quia illum ſingulari ratione ſicut & Chriſtum ipſum poſſidet, atq; vt rem ſuam vna cum Chriſto pro noſtris peccatis expiandis dat. Ochinus verò ait, ſanguinem Chriſti dici poſſe Patris, quia Patris voluntate pro nobis fuſus. *Socini & Statorij abſurda reſpõſio; Chriſti ſanguinem eſſe Dei Patris pprium.*

1. At inprimis inauditum eſt in ſcriptura, Chriſti ſanguinem, dici Dei Patris ſanguinem, aut nos Dei Patris ſanguine redemptos: imò cùm redemptio noſtra Deo Patri tribuitur, additur per Chriſtum vel ſanguinem eius, non verò per ſanguinem Dei Patris.

2. *Primum argumentum.* Deinde non quomodocunq; dicitur hoc loco ſanguis Dei, ſed proprius Dei. Hoc enim indicat vox illa ἴδιος quæ proprium ſignificat. At ſanguis nunquam dicitur alicuius proprius, niſi vel ſit naturalis, vel à naturali profectus. Sic patres filiorum ſanguinem, ſuum vocant; quia ex parentibus profluxit. id quod Chriſti ſanguini accommodari non poteſt. Nam Deus Pater ſanguinem non habet, quem Chriſto naturaliter communicet tanquam ſuum. Neq; enim Chriſtus homo ſanguinem ſuum ex Deo Patre, eiuſq; ſanguine accepit, ſed ex Matre duntaxat, cùm ſecundùm humanam generationem Patrem non habuerit. Non poteſt igitur Deus Pater, Chriſti ſanguinem ſuum vocare eo modo, quo patres ſanguinem filiorum, ſuum vocant. Neq; in vllo loquendi modo ſanguinem alicuius eſſe dicimus, niſi qui ſit illius naturalis ſanguis, vel ex ſanguine naturali originem habeat. Alias res aliis rationibus dicere poſſumus eſſe alicuius; at ſanguinem non dicimus alicuius, niſi dicta ratione & reſpectu.

3. Deniq; non poteſt vlla legitima afferri ratio, cur Chriſti ſanguis dici debeat hoc loco ſanguis Dei Patris. An quia (vt Ochinus ait) ex Dei voluntate pro nobis fuſus? at hoc modo ſanguis taurorum & vitulorum in Sacrificiis ex Dei voluntate fuſus, dicendus eſſet ſanguis Dei, duriſſimo & inuſitato loquendi modo; imò & ſceleratorum hominum ſanguis, cùm ex iuſtitiæ diuinæ mandato funditur, diceretur ſan-

Digitized by Google

tur ſanguis Dei. Deniq; ſanguis Chriſti, nonné voluntate Dæmonum, & Phariſæorum inſtigantium ad necem Chriſti fuſus eſt? num igitur propterea dicetur ſanguis Dæmonum, aut Phariſæorum?

An quia, vt placet Socino, ſanguinem Chriſti, Deus Pater poſſidet vt rem ſuam, & pro noſtris peccatis expiandis dat? At nulla poſſeſſio extrinſeca facit, vt ſanguis alicuius eſſe dicatur, niſi poſſideatur ab eo naturaliter, tanquam quid ad naturam eius, qui eum poſſidet, ſpectans. Hoc enim ſolummodò dicimus ſanguinem huius, vel illius eſſe, quia huic, vel illi eſt naturalis; non enim poſſidetur ſanguis more aliarum rerum externarum, pecuniæ vel facultatum; ſed eo tantum modo, quo ea quæ ad naturam alicuius ſpectant, eius eſſe dicuntur. Sic animam vel corpus non dicimus eſſe vllius, qui ea naturaliter non habeat. Quòd ſi ſatis eſſet poſſeſſio extrinſeca; ex eo cùm alia multa abſurda, cùm verò hoc etiam ſequeretur: omnium hominum etiam ſceleratiſſimorum ſanguinem, imò & omnium pecudum, dici poſſe ſanguinem Dei; cùm ſit ſub perfecto Dei dominio, poſſeſſione, poteſtate, vt poſſit eo vti quocunq; modo velit; quod tamen ab omni recepto loquendi modo eſt alienum.

Nam quod dicit Socinus; Deum dare Chriſti ſanguinem pro peccatis expiandis. Si rigidè loqui volumus, falſum eſt. Deus enim Pater in redemptione noſtra non dat ſanguinem Chriſti, ſed accipit. Chriſtus enim fundit, & offert Deo Patri ſuum ſanguinem pro nobis, Pater verò Chriſti oblationem acceptat. Dat quidem nobis Chriſtum, qui pro nobis ſanguinem ſuum fundit, ſed non dat ſanguinem. Cui enim obſecro daret? non ſibi, vt res eſt clara; neque nobis, cùm pro nobis, hoc eſt, pro remiſſione noſtrorum peccatorũ offeratur Deo. Et quamuis Deus Pater voluerit Chriſti ſanguinem fundi, ſed tanquam Chriſti, non ſuum; ad eum modum quo Dominus ſuis ſubditis mandare poteſt, vt res ſuas ob aliquam neceſſitatem contribuant. Deniq; ad ſummũ id concedi poſſet de ſanguine filij naturalis, qui naturaliter ex ſanguine Patris oritur, & pro eodem quodam modo habetur. Chriſtus verò non eſt eiuſmodi Filius Dei Patris, qui ſuum ſanguinem ex ſanguine Dei Patris deductum habeat, quocirca nõ eſt in hoc par ratio Chriſti, & filii naturalis. At de hoc argumento ſatis ſit dictum.

CAPVT

CAPVT XXV.

Tria Arianorum argumenta diſſoluuntur.

ADuerſus ea, quæ hactenus de Verbi incarnatione docuimus, tria opponunt Ariani, vt eam eſſe impoſſibilem oſtendant.

Primum eſt: Deus pati & mori non poteſt, neque igitur caro fieri potuit; nam caro paſſibilis eſt, & mortalis. Soluitur. Deum in natura diuina, quæ impaſſibilis, & immortalis eſt, nec pati, nec mori poſſe: at in natura aſſumpta quæ mortalis eſt, & paſſibilis, vtrumq; Deo conuenire poteſt. Neque enim cùm Deum in natura humana mori dicimus, Deum deſinere volumus, aut detrimentum aliquod diuinæ naturæ ſubire: ſed mortem in humana natura, quæ per mortem diſſoluitur, excipere, ad Deumque eo ſolo nomine ſpectare, quòd is qui naturam humanam ſua ſubſiſtentia ſuſtentat, Deus eſt; ſeu quòd ille homo eſt etiam Deus. Neq; vero ex eo conſequitur, duo contraria ſimul eidem conuenire. Contraria enim propriè in eodem ſubiecto verſantur. Nam quæ in diuerſis ſubiectis exiſtunt, neque propriè ſibi opponuntur, neque ea repugnat eidem conuenire. Sic enim idem corpus ſecundùm diuerſas partes poteſt ſimul eſſe calidum & frigidum: idem etiam homo conſtat anima immortali, & mortali corpore. Quocirca etſi idem Deus diuinæ naturæ reſpectu ſit immortalis, humanæ verò naturæ reſpectu ſit mortalis; iſta tamen duo minimè pugnant, cùm reſpectu diuerſorum conueniant.

Primum argumentum.

Deus in natura aſſūpta mori poteſt.

At inſtat Statorius: Anima quantumuis vniatur corpori, neque poteſt dici corpus, neque ratione corporis ſibi vniti mortalis: pari igitur ratione Deus tametſi carni vniatur, non poteſt dici caro, neq; ratione carnis poteſt dici mortalis. Reſpondetur primùm: Non omnem vnionem id præſtare, vt vnum fiat aliud, & vt proprietates vnius, alteri quoque tribuantur. Si enim pars vniatur parti, vel forma materię, nihil eiuſmodi ex tali vnione conſequetur. Porrò Deus ita vnitur carni, vt ſubſiſtat in carne, ſuaq; diuina ſubſiſtentia faciat carnem ſubſiſtere: qui vnionis modus efficit, vt Deus dicatur Caro, & carnis reſpectu mortalis. Subſiſtenti enim in natura, neceſſe eſt naturæ proprietates conuenire. Præterea, etſi anima non dicatur corpus, nec corpus anima: tamen idem homo ex vtroque compoſitus, dicitur & ratione animæ immortalis, & ratione corporis mortalis. Conſimili igitur ratione,

Vnio ſubſiſtentia cum natura ſufficit ad denominationem.

tione, etſi diuinitas non ſit humanitas, neq; humanitas ſit diuinitas: tamen vnus & idem Chriſtus ex vtraq; natura compoſitus, eſt Deus & homo, ſecundùm diuinam naturam immortalis, ſecundùm humanam mortalis.

Vrget præterea Statorius: Animam & corpus, cùm ex ſe non ſint perſonæ, poſſe in vnam componi, & coaleſcere perſonam; quod de diuina, & de humana natura dici nequit, quòd eæ naturæ perfectæ ſint, & per ſe perſonæ. Verùm Statorio vltro concedimus, componi in vnum non poſſe, quæ ſunt omnimodè perfecta; ſed vt minimum alterum imperfectum eſſe oportet. Sic natura hominis perfecta ex duabus imperfectis, anima ſcilicet & corpore, conflatur; & omne totum ex ſuis partibus conſtituitur. Quocirca neque natura humana venire in compoſitionem cum Verbo poſſet, ſi eſſet omnimodè completa & perfecta; hoc eſt, ſi ſuam naturalem ſubſiſtentiam haberet: imò eapropter vnitur Verbo, vt ſuam vltimam perfectionem à Verbo accipiat, qua in mundo ſubſiſtat. Non eſt igitur vti Statorio videtur, natura humana in Verbo ita perfecta, vt omnem ſuam naturalem perfectionem habeat; caret enim naturali perfectione ſubſiſtendi, & eius loco ſupernaturalem & diuinam ſubſiſtendi rationem accipit à Verbo. Idcircoque, nec perſonæ rationem completam habet, niſi ex Verbo. Eſt enim perſona hominis illius, diuina non humana, ſicut & ſubſiſtentia.

Alterum argumentum eſt. In Deum nulla cadit mutatio. Malach: 3. 6. At ſi Deus fieret homo, mutaretur noua ſubſtantiali perfectione acquiſita; Non igitur potuit Deus fieri homo.

Mutatio repugnat diuinæ perfectioni.

Hoc argumentum noſtri Theologi ita diſſoluunt: Mutatio actiuè, maximè in Deum conuenit; ille ſiquidem omnia ſua virtute mutat; paſſiuè verò minimè. Quia ſi mutaretur, aliqua perfectione carere, eamque de nouo acquirere deberet; quod eius infinitæ perfectioni repugnat. Iam igitur cùm Deum hominem factum dicimus, actiuè nõ paſſiuè id intelligi oportet. Non accepta perfectione aliqua à natura humana, ſed ea potiùs naturæ humanæ communicata. Dando enim diuinam ſuam ſubſiſtentiam humanæ naturæ; non ipſe perfectior factus eſt, ſed naturam humanam perfectiorem fecit. Etſi enim eſſe hominem ſit aliqua in ſe perfectio: tamen adiuncta Deo eius perfectionem non auget; nec Deum perfectiorem efficit. Is enim ſolùm perfectior redditur, qui cùm aliqua perfectione careat, eam acquirit. At Deus

Deus nulla perfectione creata perfici poteſt.

Deus nulla perfectione caret, ſed omnem rerum creatarum perfectionem eminenter in ſe continet. quapropter accedente quacunq; perfectione creata non fit perfectior. Qua etiam ratione rectè Theologi docent, Mundum vnà cum Deo acceptum, eſſe quidem plura bona, & plura perfecta; non tamen eſſe maius & perfectius bonum, quàm ſit Deus ipſe. Neq; etiam vlla in Deum ex eo mutatio ſecuta eſt, cùm actiuè non paſſiuè Deus factus ſit homo: hoc eſt, non recipiendo paſſiuè aliquam perfectionem à natura humana, ſed actiuè ſuam diuinam perfectionem naturæ humanæ conferendo; ad eum modum quo anima vnita corpori perficit actiuè corpus, non verò ab eo paſſiuè perficitur: ad mutationem enim requiritur paſſiua alicuius perfectionis acquiſitio. Vt igitur anima actuando, & perficiendo corpus ipſa non mutatur, ſed mutat; corpus verò recipiens paſſiuè perfectionem ab anima, propriè mutatur. Ita Deus vnitus ſua ſubſiſtentia naturæ humanæ non mutatur; habet enim ſe in hac vnione per modum actûs perficientis: ſed natura humana paſſiuè recipiens à Verbo perfectionem ſubſiſtendi immutatur.

Deus abſq; ſui mutatione homo factus.

Tertium argumentum: Si Deus eſſe homo ſtatuatur, erunt duo Filij Dei; vnus æternus & immortalis, alter in tempore natus, & mortalis: cùm tamen Paulus neget ſe ſcire alium Chriſtum, niſi crucifixum. Soluitur hoc argumentum: Negando duos eſſe Filios Dei. Nam ille æternus & immortalis Dei Filius, factus eſt homo mortalis; & ille homo, eſt Filius Dei naturalis. Quinimò, ſi duo diſtincti eſſent Deus & homo, neq; Deus diceretur homo, neque homo Deus; diſtincta enim de ſe inuicem non dicuntur. Eam enim ob cauſam duo homines, eo quòd diſtincti homines ſint, de ſe prædicari non poſſunt; nec vnus homo dici alter homo. Cùm igitur Deus dicatur factus homo, eo ipſo concluditur Deum eſſe eundem cum homine. Ille enim homo non natura, ſed perſona, & ſubſiſtentia eſt Deus. Quodſi Deus & homo vti ſunt diſtincti naturis, ita & ſubſiſtentiis eſſent diſtincti: procul omni dubio, non vnus, ſed duo eſſent, duæque perfectæ perſonæ. Quare quod ad Paulum attinet; quemadmodum is non agnoſcebat alium Chriſtum niſi crucifixum, ita nec nos alium agnoſcimus. Nam etſi credamus Filium Dei æternum; tamen eundem factum hominem dicimus crucifixum, ſicut & Paulus ait: *Dominum gloriæ crucifixum.* 1. Cor: 2. 8. *Et Deum acquiſiuiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo.* Act: 20.

Tertium argumentum.

Non duo Filij Dei, ſed vnus.

Iam verò cùm inſtat duas naturas indiuiduas, eſſe neceſſariò perſonas:

ſonas : reſpondemus. Id verum eſſe, ſi diuerſas ſubſiſtentias habeant. Natura igitur humana in Chriſto cùm non propria ſed Verbi ſubſiſtentia ſubſiſtat, non erit diſtincta perſona à Verbo.

CAPVT XXVI.

Varia Socini argumenta ex libello, quem examinationem argumenti pro trino & vno Deo inſcripſit, diluuntur.

AFferam deinceps varia Socini argumenta, contra Chriſti diuinitatem edita in libello, quem inſcripſit Examinationem argumenti pro trino & vno Deo: qui libellus cùm modò primùm in manus meas venerit, non incommodè hoc in loco refutari poterit. Ait igitur Socinus primò, Nomen Dei in ſcriptura duobus modis accipi : Primùm pro ſummo Deo, qui neminem ſuperiorē à quo dependeat agnoſcit; deinde pro eo, qui à ſummo Deo diuinitatis aliquo modo factus eſt particeps. Priori modo in ſcriptura Deum dici vnum : Poſteriori verò modo, Chriſtus ipſe Ioan : 10. ait, & alios homines Deos appellatos, & ſe propter ſanctificationem & miſſionem in mundum, Deum, ſeu Dei Filium meritò nuncupari.

Duplex vocis Deus acceptio in ſcriptura. Reſpondeo : In ſcriptura duobus modis Dei nomen accipi; propriè & methaphoricè. Et quidem propriè Dei nomen, verum Deum ſignificat; ſicut & quodlibet aliud nomen ei propriè tribuitur, quod verè tale eſt. Verus autem Deus eſt is ſolùm, qui eſſentia Deus eſt. *Propria.* quælibet enim res dicitur vera à ſua eſſentia; verus homo, verum aurum, ab hominis, & auri eſſentia; ita vt ſi ſolùm ſit hominis, vel auri ſimilitudo abſque eſſentia, nec verus homo, nec verum aurum, dicatur. Quod ſi verus Deus eſt is, qui Dei eſſentiam habet; proculdubio erit quoq; ſummus & independens, quum eſſentia diuina ſit ſummum quid & independens. Quin & propter eandem rationem, colendus & adorandus eſt, quòd diuina eſſentia & natura ſit diuini cultûs propria cauſa.

Impropria. Impropriè verò & methaphoricè dicuntur Dij, qui aliquam Dei ſimilitudinem participant. Sic homines propter ſimilitudinem & participationem diuinæ poteſtatis, Dii dicuntur. Sic Moyſes dicitur Deus Pharaonis, propter diuinam poteſtatem ſibi ad miracula facienda præſtitam. Sic iudices Dij dicuntur, propter eam quam à Deo habent iudicandi poteſtatem. *Omnis enim poteſtas à Deo eſt,* teſte Paulo Rom: 14.

Verùm

Digitized by Google

Verùm hi metaphorici Dij, neq; veri Dij dici poſſunt, neque pro Dijs coli & adorari queunt. Verum enim vnumquodq; dicitur ab eſſentia, metaphoricum à ſimilitudine; neque id quod ſolam rei alicuius ſimilitudinem habet, vnquam verè dicitur tale. Verum etenim non ſolum falſo, ſed & ſimilitudinario opponi, apud omnes in confeſſo eſt.

Pro Deo ſolus verus Deus colẽdus.

Quod ad cultum verò attinet; non minus certum eſt, Deum vnum tantùm in ſcriptura proponi colendum, omnibus alijs excluſis. Nam licet homines quoque, & Angeli ſancti, ſuo modo coli poſſint, & is cultus ſæpè in ſcripturis legatur eis exhibitus: nunquam tamen legimus, eos pro Dijs habitos, & cultos eſſe; ſed propter ſanctimoniam, honoribus illis, qui à diuino honore longiſſimè diſtant, cumulatos. Honor enim diuinus ob diuinæ eſſentiæ maieſtatem, Deo impenditur Sanctis verò eo nomine tribui non poteſt. Quare neq; diuinus honor dici poterit. Quapropter tam homines, quàm Angeli dici quidem Dij metaphoricè poſſunt, at non tales, qui pro Diis colantur. Neque enim poteſt pro Deo coli, qui Dei eſſentiam non habet, ſibiq; vni Deus verus, cultum diuinum reſeruauit, nec eum cum aliis vllo modo communem eſſe voluit, vti in Monſtris Arianiſmi ex ſcripturis demonſtrauimus. Alioqui fieret, vt innumeri nobis Dij colendi eſſent, ſi propter diuinam in aliquo ſimilitudinem, diuinus honor præſtari homini, vel Angelo poſſet.

Chriſtus verus Deus ſi pro Deo colendus.

Hinc verò contra Socinum, & Racouianos omnes infero; aut Chriſtum verum Deum non eſſe, & coli à nobis diuino cultu non poſſe; aut ſi id admittatur, neceſſe erit fateri, ipſum eſſe illum vnum cum Patre Deum.

Socini prior reſponſio.

Ridendus verò eſt Socinus, cùm ad hoc noſtrum argumentum, in eodem libello ad quartam & ſextam Theſim reſpondet; Chriſtum eſſe quidem verum Deum, ſed non æquè verum, ac Patrem; eſt enim Deus non æquiuocè, ſed analogicè; ita vt Dei ratio primò, & præcipuè ſummo Deo competat, poſteriùs verò Chriſto.

At non aduertit Socinus, cùm verum ab eſſentia dicatur, id quod nullo modo Dei eſſentiam habet, nullo quoq; modo verum Deum dici poſſe. Nam cùm Chriſtum ait, non eſſe æquè verum Deum ac Patrem, id procul dubio eo ſenſu accipit, quòd Chriſtum diuinam eſſentiam habere non putet, ob eumq; eſſentiæ defectum, non æquè verum Deum dicendum eſſe arbitratur: cùm tamen nullo modo eſſe verum Deum ex illo antecedente inferre debuerit. Nam quòd ait, Chriſtum

Digitized by Google

non eſſe æquiuocè Deum, ſed analogicè; ſi æquiuoca rectè definit Ariſtoteles, quorum idem nomen, ſed ratio ſecundùm nomen diuerſa; fateri debebit Dei nomen Chriſto æquiuocè conuenire, cùm ei nomen duntaxat, non autem ratio atq; eſſentia Dei nomine ſignificata, conueniat. Analoga verò quæ per attributionem ad aliud dicuntur talia, non ſunt vere talia; ſed tantùm referuntur ad id, quod verè tale eſt. Nam & homo pictus etſi ſimilitudinem hominis habeat, quia tamen eſſentiam hominis non habet, non dicitur verus homo, ſed veri hominis imago. Quocirca neq; Chriſtus, ſi Dei ſimilitudinem tantùm & non eſſentiam habeat, dici poterit vllo modo verus Deus. Alioqui concedere oportet, tot eſſe veros Deos, quot ſunt ij qui Dei ſimilitudinem habent: cùm tamen ſcriptura vnum ſolum verum Deum aſſerat. Ioan: 17. 3.

Scriptura ſolū ſummū Deum, & verum Deum appellat.

Neq; iuuat Socinum, cùm reſpondet vnum eſſe verum Deum, qui ſummus, & independens ſit; alios autem qui à ſummo Deo dependeant, poſſe eſſe plures. Nam ſcriptura cùm vnum ſolum verum Deum prædicat, plures veros Deos non admittit, imò omnes alios reiicit: quod certè abſolutè non faceret, ſi alij quoq; veri Dij ſine illius vnius præiudicio eſſent. Docere hoc poteſt vel is ipſe locus Ioannis 17. vbi Chriſtus ait: *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Nam quomodo Chriſtus ſe quoq; eſſe verum Deum ſciens, ſolum verum Deum Patrem appellaret, niſi ſe quoq; in illo vero Deo includeret, & nullum alium verum Deum eſſe ſciret, qui eſſet ab illo vno vero Deo diſtinctus? Quocirca, cùm ſcriptura vnum Deum verum prædicat, & omnes alios præter vnum negat; omnem nobis licentiam fingendi plures veros Deos, in quocunq; tandem ſenſu, adimit; cùm nullus ſit cenſendus verus Deus, qui Dei eſſentia careat; ſicut nullus verus homo dici debet, qui hominis eſſentiam non habet. Quapropter nunquam ſcriptura quempiam verum Deum, vel affirmauit, vel iudicauit, qui eſſet ab illo vno Deo vero diſtinctus; neq; eiuſmodi diſtinctiones Dei ſummi, & minorum Deorum, ad eum finem vt veri Dij appellarentur, admiſit vnquam. Sed & manifeſta ratio idem ſuadet, vt vbi non eſt veri Dei eſſentia, ſed ſolùm ſimilitudo; ibi neq; veri Dei nomen, niſi ſecundùm ſimilitudinē, & metaphoricè eſſe poſſit.

Socini altera reſponſio.

Eodem loco habendum eſt, quod de cultu diuino Socinus reſpondet: Ad diuinum, inquit, cultum, & quidem illi ſimilem qui creatori debetur, Chriſto exhibendum, ſatis eſſe, ſic creatorem iuſſiſſe: cultus

etiam

Digitized by Google

etiam alicui vt vero Deo exhibendi, propriam & neceſſariam cauſam eſſe, diuinum imperium atq; poteſtatem, quam nihil prohibet in re creata ei ſimilem inueniri, quæ in ipſo creatore eſt, ex beneficio videlicet creatoris. Quod ipſum in reſponſione altera ad Volanum his verbis confirmat: Ego, inquit, (idq; vt arbitror, facerent alij omnes, " qui vnius Dei cultores ſunt) vel lignum, vel lapidem quempiam ado- " rarem, ſi id Deus iuberet; & quicquid cultus, & adorationis illi tribue- " retur, id in ſe proficiſci vltro agnoſceret; ac tantum abeſt, vt vererer, " ne vnius Dei cultor appellari amplius nō poſſem, vt tum maximè eam " appellationem mihi conuenire exiſtimarem, qui tantopere vnum De- " um colerem, vt ipſo iubente, ſeq; pro ſuo ipſius cultu id agniturum declarante, ne iis quidem me ſubmittere dubitarem, quæ alioqui me longè inferiora eſſent. Hucuſq; Socinus. Quàm abſurdè & ſtolide? res ipſa loquitur; cùm Deum ſtolidum faciat, quòd iubere poſſit, eum pro Deo vero coli, qui Deus verus non ſit, ſed lignum, ſtipes, aut lapis. quod à ſapientia, veritate, iuſtitia, cæteriſque diuinis perfectionibus quàm longiſſimè abeſſe alibi demonſtrauimus. Per ſe enim abſurdum eſt, ei diuinum cultum tribuere, qui nullam diuini cultûs cauſam in ſe habet, eſtq; eo honore indigniſſimus.

Stulta Socini deuotio.

Deus præcipere non poteſt, vt nō Deus pro Deo colatur.

Cauſa, inquit Socinus, eius cultûs, eſt diuinum imperium. At imperare Deus abſurda non poteſt. Abſurdum autem eſt, temerè & indignè, vt aliquis colatur, mandare; qui nullam eius cultûs veram cauſam habeat. Vera enim diuini cultûs cauſa eſt diuinitas, ſine qua cultus diuinus, eſt falſus cultus. Hoc etenim eſt quod idolorum cultum falſum facit, quia, vt D. Paulus ait, *Scimus quia idolum nihil eſt*; hoc eſt, nullam in ſe diuinitatem veram, ſed pictam & falsò creditam habet. Quare vti Deus falſum præcipere non poteſt: ita neq; cultum falſum imperare. Falſus autem cultus eſt, quo tribuitur alicui quod non eſt; cumq; pro Deo vero is colitur, qui nō eſt Deus verus. Et niſi id admittamus, ſequetur Deum imperare poſſe, vt omnia idola, omnes Dij gentilium, Dij falſi, & omnia inferni monſtra, Dæmoneſq; ipſi pro Dijs veris habeantur, & colantur. Propria enim & neceſſaria diuini cultûs cauſa, vt Socinus vult, eſt imperium diuinum. Et licet hoc videatur Socinus non reputare abſurdum, cùm ligna quoq; & lapides pro Diis adorare, ad imperium diuinum vult; tamen res per ſe abſurdiſſima eſt, Deum, falſum cultum imperare. Nam vti falſum credi, ita & falſum coli, Deus mandare minimè poteſt: vtrumque enim ab eius veritate, & ſinceritate eſt alienum. Et ſanè

Vrgetur Socinus.

Et ſanè cùm ex imperio Dei, cultum diuinum alicui tribui vult Socinus: quæro, quidnàm ſit in eo cultu adorandum? num diuinitas aliqua? at ea ſi vera ſit abſq; alio diuino imperio cultum merebitur. num imperium diuinum? at hoc eſt Deum imperantem adorare, non aliquid à Deo diſtinctum. Imperium enim Dei, eſt Deus imperans. An nihil? at hoc eſt falſum colere. Hoc enim genere cultûs, idola coluntur, quum in eis id quod non eſt, pro Deo adoratur. Stolida igitur & impia eſt illa Socini obedientia, qua ſe paratum ait, ligna & lapides pro Diis colere ad Dei mandatum. Deo enim ipſi notam grauem inurit, cùm eum tam abſurda, & ſapientiâ eius indigna poſſe imperare decernit. Multò verò melior, & Deo gratior illa obedientia eſſet, ſolum Deum verum adorare, & diuinum honorem nulli alij ſecundùm ſcripturas deferre, qui Deus verus non ſit; atq; adeò Chriſtum, verum illũ Deum & vnicum credere, cùm ei diuinus honor debeatur.

Sanctificatio Chriſti indicat ipſum eſſe verum Deum.

Verùm vt ad duplicem illam nominis Dei à Socino allatam acceptionem redeam; duo in illa notanda, & refellenda ſunt. Alterum eſt quod ait, Chriſtũ poſteriori modo, hoc eſt, cũ dependentia ſe Deum eſſe affirmare, eiuſq; denominationis ſanctificationem, & miſſionem in mundum eſſe cauſam. Quaſi verò ſanctificatio, & miſſio, Chriſtum eſſe Deum verum non demonſtret. Nam quod ad ſanctificationem attinet, illa intelligenda eſt, quæ ipſius in mundum aduentum anteceſſit, quæq; illi non vt homo eſt conueniebat, ſed antequam eſſet homo, & antequam in hunc mundum veniret. Priùs enim ſe dixit ſanctificatum à Patre, tum miſſum in mundum. Miſſus autem in mundum eſt, cùm factus eſt homo. Priùs ergo quàm eſſet homo, erat ſanctificatus à Patre, non in humanâ, ſed diuina natura; illa nimirùm ſanctitate, qua Pater ipſe ſanctus eſt, quamq; Filio ſuo per generationem vnà cum natura diuina communicauit. Quapropter ſanctificatio indicat, illum eſſe Filium Dei naturalem, diuinæ ſanctitatis, & naturæ conſortem. Quod ad miſſionem verò attinet: ea quoq; indicat, Chriſti originem non de hoc mundo eſſe, ſed aliunde, vnde miſſus eſt in hunc mundum. Nam ita dicitur eſſe miſſus in hunc mundum, vt antequam mitteretur, eſſet ibi vnde miſſus eſt; hoc eſt, in cœlo, in ſinu, & dextera Patris. Dicitur enim de cœlo miſſus, de cœlo deſcendiſſe, de cœlo eſſe. Quod ſanè indicat ipſum ſupra hominem eſſe, & antequam eſſet homo factus, ſeu antequam in hunc mundum veniſſet, fuiſſe Filium Dei. Non enim in cælo homo fuit; ſed in hoc mundo primùm factus eſt homo.

Alterum

Digitized by Google

Alterum eſt; quòd ea ratione putat ſe Socinus diſſoluere commune illud Catholicorum argumentum, quòd cùm vnus in ſcriptura Deus aſſeratur, Chriſto verò Dei nomen æquè ac Patri tribuatur, conſequens eſſe vt Chriſtus ſit ille vnus Deus. Ait enim Socinus, Chriſtum dici quidem Deum, ſed non illum vnum Deum; id quod ille multis deinceps rationibus oſtendere conatur, quas nos in ſequentibus accuratè refellemus. At nunc ſatis eſt Socino opponere: Chriſtum non quacunq; ratione Deum dici, ſed talem Deum, cui diuinus cultus debeatur. Atqui non alteri quàm illi vni Deo ſcriptura diuinum cultum deberi aſſerit, quem ſolum adorandum, & ei ſoli ſeruiendum Chriſtus ipſe confirmauit, Matth: 4. 10. Chriſtus igitur non alius quiſpiam, ſed ille vnus, qui in ſcriptura prædicatur, Deus erit. *Chriſtus eſt ille vnus Deus, quem ſcriptura prædicat.*

CAPVT XXVII.

Tria Socini argumenta ſoluuntur.

AFfert deinde Socinus aliquot argumenta, quibus probare nititur, Deum illum vnum, non eſſe alium, quàm Patrem; Chriſtumq; non eſſe illum vnum Deum. Ex eo, inquit, quòd Deus vnus eſt, concludi poteſt & debet, Deum non eſſe trinum, nec binum. Cumq; conſtet inter omnes, Patrem eſſe illum vnum Deum, ſequitur neceſſariò, nullum alium præter Patrem eſſe illum vnum Deum. *Primum argumentum Socini.*

Soluitur. Ex eo quòd Deus eſt vnus, concludi poteſt & debet, non eſſe binum, aut trinum illa ratione qua vnus eſt. Vnum enim quà vnum, binum non eſt, nec binum quà binum, vnum. At malè aſſumitur: ſi Chriſtus ſit idem Deus cum Patre, fore binum Deum, hoc eſt, duos Deos. Veriſſimum enim eſt quod Chriſtus dixit: *Ego & Pater vnum ſumus*; vt *vnum*, ad naturam, *ſumus*, ad perſonas referatur. Cùm enim vnus Deus dicitur; vnus quoad diuinitatis eſſentiam, & naturam intelligitur, qua ratione nec binus, nec trinus eſt. Cùm verò Pater & Filius plures dicuntur, perſonæ plures aſſeruntur, non naturæ. Deuſq; trinus dicitur in perſonis, vnus in eſſentia. Non igitur ſecundùm idem Deus vnus, & trinus aſſeritur; ſed vnus naturà, trinus in perſonis. *Deus vnus & trinus diuerſa ratione.*

Et quidem perſonas multiplicatis ſubſiſtentiis multiplicari credimus, natura diuinitatis vna permanente. Etenim in Deo nihil aliud eſt, niſi natura diuinitatis, & eius ſubſiſtentia. Cùm igitur diuinitatis natura multiplicari non poſſit, ſcriptura Deum vnum aſſerente; con-

te; conſequens eſt, ſolas ſubſiſtentias multiplicari, cùm perſonæ diuinæ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, plures in ſcriptura dicuntur. Quocirca multò potentius eſt noſtrum cõtra Socinum argumentum. Cùm Deus ſecundùm ſcripturam vnus ſit, hic verò Deus dicitur eſſe Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; conſequens eſt, Deum vnum, eſſe trinum quoque, ſed in natura quidem vnum, in perſonis autem trinum. Nam etſi Socinus Filium & Spiritum S. eſſe illum vnum Deũ negat: tamen id vel ex eo manifeſtum eſt, quòd vti paulò ante dicebamus, Deus ille vnus, ſolus pro Deo colendus eſt. Cùm igitur ſcriptura non Patrem ſolùm, ſed & Filium & Spiritum ſanctum, pro Deo colendum prædicet, eo ipſo tres perſonas eſſe illum vnum Deum decernit.

Argumentum Catholicum pro Trinitate.

Alterum Socini argumentum eſt. Chriſtus Ioan: 17. Patrem dicit eſſe illum vnum ſolum verum Deum, etiam reſpectu ſui; ſeipſum namq; ibidem nominat, atq; à Patre diſtinguit, & quidem ita, vt non poſſit dici illum loqui de ſe ſecundùm humanam naturam tantùm. Nam eatenus ſe nominat, quatenus ipſo cognoſcẽdo vita æterna continetur, quod ad totum Chriſtum quantusquantus eſt, referendum omnino eſſe nemo non videt.

Secundum Socini argumentum.

Reſpondetur, nullo modo locum Ioannis Socino ſuffragari. Etenim inprimis non dicit hoc in loco Chriſtus, quod vult Socinus, ſolum Patrem eſſe verum Deum, ſed Patrem eſſe illum ſolum verum Deum, ſeu eſſe illum Deum, qui ſolus eſt verus Deus. Patet id manifeſtè ex Græco textu, in quo duæ illæ voces, *Solum & Verum* vno articulo connexæ ad prædicatum referũtur, non ad ſubiectum; ad Deum, non ad Patrem, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν. Multum verò refert vocem (*Solum*) ad ſubiectum non ad prædicatum referre. Nam ad ſubiectum ſi referatur, ſenſus eſt, Patrem, & nullum alium eſſe verum Deum. Si verò ad prædicatum; tunc ſenſus erit, Patrem eſſe quidem illum Deum, qui ſolus eſt verus Deus: ſed non excludi quo minus Filius quoque ſit ille Deus, qui ſolus eſt verus Deus. Statorius reſpondet, exponi debere: Te ſolum verum Deum, hoc eſt, te qui ſolus es verus Deus. non verò, Te eſſe illum qui ſolus eſt verus Deus. Sed Statorius non aduertit vtramque particulam *ſolum & verum*, cum Deo coniungi per vnum articulum, non cum Patre: quocirca non ad Patrem ſed ad Deum referendam eſſe.

Non ſolus Pater verus Deus.

Verùm etiamſi admitteremus, ſolum Patrem dici hoc loco verum Deum, id tamen cauſam Socini minimè iuuaret. Neq; enim ſolus Pater di-

Vox ſolus excludit a-

lios Deos ad Chriſtum.

Pater dicitur Deus verus, ad excludendum Chriſtum qui eſt Dei Filius, & eiuſdem naturæ cum Patre; ſed ad excludendum idola, & falſos Deos, qui ſunt alterius naturæ à Deo. Hoc enim eſt quòd vult dicere Chriſtus; in hoc eſſe poſitum vitam æternam, vt homines deteſtentur omnes alios gentium Deos, & idola, & conuertantur ad te, qui ſolus ex omnibus Dijs, es verus Deus. Vnde vox illa, *Solus*, excludit alios Deos diuerſos, non verò Chriſtum, qui non eſt diuerſus Deus à Patre. Senſuſq; eſt, *vt cognoſcant te ſolum verum Deum*; hoc eſt ſolum inter omnes Deos. Quo etiam ſenſu Paulus 1. Theſal: 1. 9. ait: *Conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris, ſeruire Deo viuo & vero*, Deum verum ſimulachris opponit. Poteſt verò id totum illuſtrari exemplo. Si enim plurimi aſpirent illegitimè ad regnum, ſanguinem Regium mentientes, vnus verò ſit legitimus ex regio ſanguine oriundus, de eo rectè affirmari poteſt; Tu ſolus es legitimus hæres regni, etiamſi is filium quoque eiuſdem regni futurum hæredem habeat. Solus enim dicitur reſpectu illegitimorum, non reſpectu filij, ad quem ab ipſo eadem hæreditas ſpectat. Pari ergo ratione, cùm ſolus Pater dicitur verus Deus, reſpectu falſorum Deorum dicitur, non reſpectu Filij, ad quem naturali iure à Patre diuinitas pertinet, & qui in Patre continetur, tanquam is, qui eſt idem cum Patre Deus. Quare ſine vllo Filij præiudicio dici poteſt ſolus Pater verus Deus, quia Filius non eſt alius Deus à Patre, ſed idem cum Patre Deus.

Exemplo id illuſtratur.

Huc ſpectat & illa alia ratio; quòd ſicut Domini nomen datur Filio, cùm vnus Dominus dicitur, non ad excludendum Patrem, qui vtique Dominus eſt; & nomen Spiritus datur ſoli Spiritui ſancto, non ad excludendum Patrem & Filium, qui etiam Spiritus eſt; ſed per attributionem & accommodationem quandam: ita & veri Dei nomen per attributionē quandam ſoli Patri datur, non ad excludendum Filiū.

Æquè Chriſtus dicitur Deus verus ac Pater.

At excludi putat Socinus Chriſtum, ex eo quòd ſe diſtinguit ab illo ſolo vero Deo, cùm addit: *Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Noſtri porrò Catholici oppoſitum ex eo cōcludunt. Nam cùm addit: *Et quem miſiſti*, coniungit ſe potiùs cum illo vero Deo, vt ſenſus ſit, cognoſcant & te, & quem miſiſti eſſe ſolum verum Deum. Nam & ſermo Latinus talem conſtructionem patitur (cui ſimilis eſt illa 1. Cor: 9. *Nunquid ego ſolus & Barnabas non habemus hanc poteſtatem*) & res ipſa videtur exigere. Cùm enim æquè vita æterna in cognitione Patris ac Chriſti poſita dicatur; vterq; æquè verus Deus dicitur. Quod ſi Chriſtus noluiſſet

ſeipſum intelligi Deum; addidiſſet: Et quem miſiſti hominem Ieſum Chriſtum: cùm autem non addidit, Deum intelligi voluit: quod argumentum eſt Tertulliani de Trinitate cap: 24.

Quomodo Chriſtus diſtinguatur à Deo.

Porrò ſi hæc conſtructio Socino non placet, per quam Chriſtus coniungatur cum illo ſolo vero Deo: dicemus diſtingui Chriſtum, quà homo eſt, ab illo vero Deo. Licet alia ratione, quà Deus eſt, includatur in illo Deo vero. Neque enim vita æterna poſita eſt in cognitione ſolius veri Dei, ſed etiam in cognitione Chriſti hominis, & redemptoris: ita vt idcirco præter verum Deum nominatus ſit Chriſtus, quia non ſolùm in cognitione Dei, quà Deus eſt, ſed in cognitione hominis illius vita æterna eſt poſita: quæ procul dubio in eo non poneretur, niſi homo ille Deus eſſet.

Chriſtus eſt verus Deus. 1.

Nullius enim rei creatæ cognitio, vita æterna eſt. Quapropter licet Chriſtus, quà homo, diſtinguat ſe à Patre, aliis tamẽ modis oſtendit ſe ad illum Deum verum pertinere: tum quòd in eius cognitione æquè ac in cognitione Dei Patris, ait, eſſe conſtitutam vitam æternam: tum quia ſe vocat Ieſum, id eſt Saluatorem; ſaluare autem non

2\. poteſt niſi Deus verus. Denique in Patre includitur Filius, qui ſecundùm ſcripturas eſt æqualis Patri; quare ſicut Pater eſt verus Deus: ita & eius Filius ipſi per omnia æqualis eſt verus Deus.

3\. Facile verò eſt reſpondere Socino interroganti; Cur in hac ſententia prætermiſſus ſit Spiritus ſanctus? De Patris enim & Filii tum authoritate potiſſimùm agebatur: quocirca ij tantùm commemorati ſunt. Spiritus ſancti verò authoritas, aliis deinceps documentis, & effectibus demõſtrata eſt: quanquam in Patre & Filio, tanquam Spiritus vtriuſq; communis, ipſe quoq; Spiritus ſanctus intelligendus eſt.

Tertium Socini argumentum.

Tertium argumentum. Locus 1. Cor: 8. 6. apertè docet; vnum Deum eſſe Patrem, ex quo omnia, qui etiam à Chriſto diſtinguitur, quatenus Chriſtus eſt vnus Dominus per quem omnia. Non igitur Chriſtus eſt ille vnus Deus qui eſt Pater.

Reſpondetur. Miram eſſe aduerſariorum vel ignorantiam, vel temeritatem, vt non aduertant, hoc in loco Paulum neque vnum Deum ſeiungere à Chriſto, neq; vnum Dominum à Patre. Hoc enim demonſtrare conſtituit, *Nobis*, id eſt Chriſtianis, non eſſe plures Deos & Dominos, ſed *vnum Deum, & vnum Dominum*. Quod ſi alius Deus & Dominus eſſet Pater, alius Chriſtus, iam eſſent duo Dij, & duo Domini; quod totum inſtitutum Pauli euertit: ita vt neceſſe ſit dicere, Patrem

& Chri-

Digitized by Google

& Chriſtum eſſe vnum Deum, & vnum Dominum. Deinde idem eſt eſſe Deum ac Dominum.

Nam & Deum eſſe Dominum, non eſt dubium, & Dominum qui diuina ratione ſit Dominus, & idolis oppoſitus (quomodo hoc in loco accipitur) certum eſt eſſe quoque Deum, quod & aduerſarij concedunt. Cùm igitur Paulus dicit, vnum illum Deum eſſe Patrem, etiam vnum Dominum eundem agnoſcit; & cùm vnum Dominum dicit eſſe Chriſtum, cognoſcit eundem eſſe vnum Deum; & quemadmodum à Deo Dominũ non excludit; ita nec à Domino Deum. *Quomodo Pater vnus Deus, Chriſtus vnus Dominus dicatur.*

Frigida verò coniectura Socini eſt, fundata in illis particulis, *Ex quo omnia*, Et, *per quem omnia*: Iſtæ enim particulæ eidem Deo aliàs in ſcriptura tribuuntur, vt Rom: 11. *ex quo omnia; per quem omnia, in quo omnia.* nullam igitur habent vim excludendi Chriſtum à vera deitate. Porrò per attributionem, & accõmodationem quandam, *Ex quo omnia*, dicitur de Patre; *Per quem omnia*, de Chriſto; non quòd vtrumq; vtriq; non competat; ſed quòd vnum præcipuè vni attribuatur, alterum præcipuè alteri. Quare fallitur Socinus, illam particulam, *Per quem omnia*, cauſam ſecundam ſeu mediam denotare, cùm eadem particula Deo quoq; ipſi alias tribuatur: quo etiam modo hoc in loco Chriſto tribui credendum eſt: Maxime cùm is ſcopus ſit ſancti Pauli, oſtendere non eſſe niſi vnum Deum, & vnum Dominum. Socini verò expoſitione admiſſa, duo eſſent Dij & Domini. vnus, *Ex quo omnia*; alter, *Per quem omnia*. Quanquam idem Paulus Epheſ: 4. 5. ſine talibus particulis abſolutè affirmat, eſſe *vnum Dominum*, & *vnum Deum & Patrem*, ita vt nihil myſterii in talibus particulis ad diſtinguendum Deum à Domino ineſſe exiſtimandum ſit.

CAPVT XXVIII.

Reliqua Socini argumenta diluuntur.

QVartum argumentum producit Socinus, quòd eſſe inexpugnabile affirmat. Dei nomen quoties in ſcriptura ſubiecti loco ponitur, ſemper Deum Patrem deſignare; Chriſto verò ſolum per modum prædicati attribui. Ex quo fit vt Patri ſubſtantiuè, Chriſto quodam modo adiectiuè tribuatur; & in Patre denotet ſubſiſtentiam ipſam Deitatis, in Chriſto autem attributum quoddam & perfectionem diuinitatis, vt eſſe Deum, Chriſto, ſit eſſe diuinum. Ita enim & cum ho- *Socini argumentum (vt ille putat) inexpugnabile.*

 minibus

Digitized by Google

ſeipſum intelligi Deum; addidiſſet: Et quem miſiſti hominem Ieſum Chriſtum: cùm autem non addidit, Deum intelligi voluit: quod argumentum eſt Tertulliani de Trinitate cap: 24.

Quomodo Chriſtus diſtinguatur à Deo.

Porrò ſi hæc conſtructio Socino non placet, per quam Chriſtus coniungatur cum illo ſolo vero Deo: dicemus diſtingui Chriſtum, quà homo eſt, ab illo vero Deo. Licet alia ratione, quà Deus eſt, includatur in illo Deo vero. Neque enim vita æterna poſita eſt in cognitione ſolius veri Dei, ſed etiam in cognitione Chriſti hominis, & redemptoris: ita vt idcirco præter verum Deum nominatus ſit Chriſtus, quia non ſolùm in cognitione Dei, quà Deus eſt, ſed in cognitione hominis illius vita æterna eſt poſita: quæ procul dubio in eo non poneretur, niſi homo ille Deus eſſet.

Chriſtus eſt verus Deus. 1.

Nullius enim rei creatæ cognitio, vita æterna eſt. Quapropter licet Chriſtus, quà homo, diſtinguat ſe à Patre, aliis tamē modis oſtendit ſe ad illum Deum verum pertinere: tum quòd in eius cognitione æquè ac in cognitione Dei Patris, ait, eſſe conſtitutam vitam æternam: tum quia ſe vocat Ieſum, id eſt Saluatorem; ſaluare autem non

2\. poteſt niſi Deus verus. Denique in Patre includitur Filius, qui ſecundùm ſcripturas eſt æqualis Patri: quare ſicut Pater eſt verus Deus: ita & eius Filius ipſi per omnia æqualis eſt verus Deus.

3\. Facile verò eſt reſpondere Socino interroganti; Cur in hac ſententia prætermiſſus ſit Spiritus ſanctus? De Patris enim & Filii nunc authoritate potiſſimùm agebatur: quocirca ij tantùm commemorati ſunt. Spiritus ſancti verò authoritas, aliis deinceps documentis, & effectibus demōſtrata eſt: quanquam in Patre & Filio, tanquam Spiritus vtriuſq; communis, ipſe quoq; Spiritus ſanctus intelligendus eſt.

Tertium Socini argumentum.

Tertium argumentum. Locus 1. Cor: 8. 6. apertè docet; vnum Deum eſſe Patrem, ex quo omnia, qui etiam à Chriſto diſtinguitur, quatenus Chriſtus eſt vnus Dominus per quem omnia. Non igitur Chriſtus eſt ille vnus Deus qui eſt Pater.

Reſpondetur. Miram eſſe aduerſariorum vel ignorantiam, vel temeritatem, vt non aduertant, hoc in loco Paulum neque vnum Deum ſeiungere à Chriſto, neq; vnum Dominum à Patre. Hoc enim demonſtrare conſtituit, *Nobis*, id eſt Chriſtianis, non eſſe plures Deos & Dominos, ſed *vnum Deum, & vnum Dominum.* Quod ſi alius Deus & Dominus eſſet Pater, alius Chriſtus, iam eſſent duo Dij, & duo Domini; quod totum inſtitutum Pauli euertit: ita vt neceſſe ſit dicere, Patrem

& Chri-

Digitized by Google

& Chriſtum eſſe vnum Deum, & vnum Dominum. Deinde idem eſt eſſe Deum ac Dominum.

Nam & Deum eſſe Dominum, non eſt dubium, & Dominum qui diuina ratione ſit Dominus, & idolis oppoſitus (quomodo hoc in loco accipitur) certum eſt eſſe quoque Deum, quod & aduerſarij concedunt. Cùm igitur Paulus dicit, vnum illum Deum eſſe Patrem, etiam vnum Dominum eundem agnoſcit; & cùm vnum Dominum dicit eſſe Chriſtum, cognoſcit eundem eſſe vnum Deum; & quemadmodum à Deo Dominũ non excludit; ita nec à Domino Deum. *Quomodo Pater vnus Deus, Chriſtus vnus Dominus dicatur.*

Frigida verò coniectura Socini eſt, fundata in illis particulis, *Ex quo omnia*, Et, *per quem omnia*: Iſtæ enim particulæ eidem Deo aliàs in ſcriptura tribuuntur, vt Rom: 11. *ex quo omnia; per quem omnia, in quo omnia*. nullam igitur habent vim excludendi Chriſtum à vera deitate. Porrò per attributionem, & accõmodationem quandam, *Ex quo omnia*, dicitur de Patre; *Per quem omnia*, de Chriſto; non quòd vtrumq; vtriq; non competat; ſed quòd vnum præcipuè vni attribuatur, alterum præcipuè alteri. Quare fallitur Socinus, illam particulam, *Per quem omnia*, cauſam ſecundam ſeu mediam denotare, cùm eadem particula Deo quoq; ipſi aliàs tribuatur: quo etiam modo hoc in loco Chriſto tribui credendum eſt: Maxime cùm is ſcopus ſit ſancti Pauli, oſtendere non eſſe niſi vnum Deum, & vnum Dominum. Socini verò expoſitione admiſſa, duo eſſent Dij & Domini: vnus, *Ex quo omnia*; alter, *Per quem omnia*. Quanquam idem Paulus Epheſ: 4. 5. ſine talibus particulis abſolutè affirmat, eſſe *vnum Dominum*, & *vnum Deum & Patrem*, ita vt nihil myſterii in talibus particulis ad diſtinguendum Deum à Domino ineſſe exiſtimandum ſit.

CAPVT XXVIII.

Reliqua Socini argumenta diluuntur.

QVartum argumentum producit Socinus, quòd eſſe inexpugnabile affirmat. Dei nomen quoties in ſcriptura ſubiecti loco ponitur, ſemper Deum Patrem deſignare; Chriſto verò ſolum per modum prædicati attribui. Ex quo fit vt Patri ſubſtantiuè, Chriſto quodam modo adiectiuè tribuatur; & in Patre denotet ſubſiſtentiam ipſam Deitatis, in Chriſto autem attributum quoddam & perfectionem diuinitatis, vt eſſe Deum, Chriſto, ſit eſſe diuinum. Ita enim & cum ho- *Socini argumentum (vt ille putat) inexpugnabile.*

Digitized by Google

minibus tribuitur, ſemper per modum prædicati tribuitur, & adiecti-uam, non ſubſtantiuam ſignificationem habet.

Reſpondetur. Si hoc Socini argumētum eſſet inexpugnabile, duobus firmamentis niti deberet. Alterum eſt; Dei nomine cùm ſubiecti loco ponitur, nunquam Chriſtum intelligi. Alterum; quoties prædicati rationem habet Dei nomen, nunquam ſubſtantiuè ſed tantùm adiectiuè accipi. vtrumq; autem cùm falſiſſimum ſit; fit vt argumentum non inexpugnabile, ſed ſtramineum ſit, & nihil in ſe roboris ac firmamenti habeat. Et quidem Dei nomen, etiam cùm prædicati rationem habet, ſubſtantiuè accipi poſſe, nemo eſt qui inficiari poſſit; niſi forte exiſtimemus, ſubſtantiuum nomen nunquam prædicati vicem ſubire, aut cùm ſubit, ſubſtantiuam ſignificationem amittere: quo fieret, vt nunquam ſubſtantia propriè prædicari de aliquo poſſet, neq; genera & ſpecies de ſuis inferioribus. Quodſi non fuerit tam ſtolidus Socinus, vt iſta ſentiat: quid obſtat, quominus de Chriſto quoque Dei nomen ſubſtantiuè prædicetur? Nam ſi dicat non eſſe neceſſe ſubſtantiuè prædicari: dicam ego, neq; neceſſe eſſe adiectiuè prædicari; atque adeò vanum eſſe argumentum, quod ex prædicatione vocis Deus ſumitur. Prædicatur enim nomen Deus de ipſo quoq; vero Deo; de quo tamen non eſt dubium ſubſtantiuè prædicari. 3. Reg: 18. 21. *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum,* & aliis in locis. Neque enim cùm nomen Dei de Chriſto dicitur in ſcriptura, præcipuè vocem ipſam ſpectamus, ſed magis id quod ſignificat, nempe Deum ſuper omnia benedictum, diuina ratione colendum; quo verus, & eſſentia Deus indicatur, etiamſi per modum prædicati ſumatur.

Verè ſtramineum.

Deus cùm prædicatur, ſubſtantiuè ſumitur.

At non minus illud falſum eſt, quod aſſumit Socinus, Dei nomen cùm ſubiecti loco ponitur, nunquam Chriſtum deſignare. Poſſumus plurima eius rei exempla producere Ac vt ea non commemorem quæ ſupra tractauimus, *Deum acquiſiuiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo.* Act: 20. *Deum apparuiſſe in carne.* 1. Tim: 3. *Deum confixum eſſe.* Zach: 12. quæ loca nullo modo de Deo Patre, ſed de Chriſto exponi debere ſatis demonſtrauimus: ſuppetunt alia ex veteri teſtamento. Primus eſt Zach: 2. cùm *Dominus exercituum dicit, ſe miſſum à Domino exercituum.* Dicit quidem Socinus, Angelum ibi de ſeipſo id aſſerere, quòd à Domino exercituum ſit miſſus: ſed ea expoſitio multis modis falſa eſſe conuincitur. Nam inprimis quoties in ſcriptura dicitur: *Hæc dicit Dominus,* verba, quæ Deus locutus eſt, referuntur. Quare & hoc loco verba Domini exercituum refe-

Deus nomen ſubiecti loco poſitum Chriſtum deſignat.

Digitized by Google

um referuntur ab Angelo: *Poſt gloriam miſit me ad gentes.* Quod ſi ea verba ſunt Domini exercituum; manifeſtum eſt, Dominum exercituum dicere, ſe miſſum eſſe ad gentes, poſt ſuam in cælo glorificationem, vti copioſiùs in libello noſtro de hoc ipſo Zachariæ teſtimonio contra Socinum edito demonſtrauimus. Accedit quod idem qui dicit ſe eſſe miſſum, mox ſubiungit: *Ecce venio & habitabo in medio tui, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me.* Certum eſt autem, non Angelum aliquem veniſſe cum eo ſigno, quòd gentes applicatæ ſint ad Dominum, & factæ populus eius; hoc enim eſt ſignum Meſſiæ proprium; qui idcirco appellatus eſt, Expectatio gentium, deſideratus cunctis gentibus: & ſolius Meſſiæ temporibus gentes ad fidem per Apoſtolos vocatæ ſunt, & adductæ ad vnum ouile vnius paſtoris Chriſti. Ioan: 10. 16.

Alter locus eſt Iſa: 53. 4. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt*; quod teſtimonium de ſeipſo expoſuit Chriſtus, Matth: 11. cùm diſcipulis Ioannis interrogantibus: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* non aliud reſpondit, niſi vt ea ſigna quæ fieri ab illo viderent, quæq; hîc Iſaias commemorat, renunciarent Ioanni: eo ipſo dicens, ſe eſſe illum Deum, quem Iſaias cum eiuſmodi ſignis venturum multo ante prædixit. Neq; enim ſigna illa ex ſe verum Meſſiam indicabant, vti opinatur Socinus; poterant enim etiam ab alio qui Meſſias non eſſet, fieri, ſed ſecundùm prædictionem Prophetarum, ea erant Meſſiæ ſoli reſeruata, neq; ea quiſquam alius facturus erat, niſi Meſſias. Quocirca cùm ea Chriſtus Ioanni renũciari iubet; vtiq; ad vaticinium Prophetarum reſpexit, quibus talia ſigna ſoli Meſſiæ reſeruabantur. *Signa ſoli Meſſiæ reſeruata.*

Quare quum ea verba, *Deus ipſe veniet*, ad Patrem refert Socinus, dupliciter errat: primùm; quia nuſquam legimus Deum Patrem veniſſe in mundum ad nos ſaluandos, ſed miſiſſe Filium ſuum. Nam qui loco ſuo mittit alium, non dicitur venire ipſe, ſed alium mittere, ita vt idcirco Chriſtus Deum Patrem in cœlis eſſe paſſim doceret: nec de cœlo deſcendiſſe, ſed Filium miſiſſe. Deinde Emphaſim habet illa particula, *Ipſe*; eaq; non alium loco Dei, ſed Deum ipſum per ſeipſum venturum ſignificat. Quamuis autem Deus venire tunc dicatur, quum effectu aliquo, & gratia facta, ſuam potentiam demonſtrat; tamen cùm dicitur alium mittere, non dicitur illo modo venire, vti in re præſenti accidit. *Deus Pater non venit in mundum.*

Cùm

Digitized by Google

Cùm verò ait Socinus, Chriſtum vocari hoc loco Deum, nō quòd tum actu Deus fuerit, ſed quia deſignatus erat & futurus Deus; refelli poteſt, tum quia dicitur ibi Deus Iſraëlis. *Deus*, inquit, *veſter*, hoc eſt, quem vos Iſraëlitæ reipſa colitis: tum quia ſecundùm regulam Socini, Deus ſubiecti loco poſitus, ſubſtantiuè accipitur, quod cùm hoc loco fiat, Chriſtum ſubſtantiuè eſſe Deum ſequitur, atq; adeo æternum, & eſſentialem Deum.

Tertius locus eſt apud Malachiam 3. 1. vbi Deus Iehoua ait: *Ecce ego mitto Angelum meum; & præparabit viam ante faciem meam.* Quis porrò ille Deus fuerit, ante cuius faciem præparabat viam Ioannes, ſatis conſtat. Vtiq; Chriſtum, non Deum Patrem ſcriptura indicat. Chriſtum enim Ioannes non Deum Patrem, poſt ſe venturum dicebat Ioan: 1. 27. ante faciem eius prædicabat. Act: 13. 24. eiq; ſoli parabat viam per prædicationem: quod verò maius eſt, locū Malachiæ de ſeipſo Chriſtus expoſuit. Nam Luc: 7. 27. cùm hunc locum adducit, non *faciem meam* ſed *faciem tuam* vertit, oſtendens faciem illam Dei ante quam Ioannes eo loco dicitur paraturus viam, eſſe faciē Chriſti; citatq; Chriſtus verba Malachiæ ſecundùm ſenſum, non verba. Deniq; ratio manifeſta eſt; ei paraſſe viam Ioannem, qui poſt ipſum venturus erat in mundum, & conuerſaturus cum hominibus. Porrò non Deus Pater venit poſt Ioannem, ſed Chriſtus. Ipſe igitur eſt ille Deus, qui apud Malachiam mittit Angelum ad parandam viam ante faciem ſuam.

Deus Pater non venit in Chriſto.

Nam quod ait Socinus, & Statorius, Ioannem paraſſe viam vtriq; & Chriſto, & Patri in Chriſto venienti; *Deus enim erat in Chriſto*: id inquam ex ſcripturis probari non poteſt; quæ nuſquam oſtendunt Deum Patrem in mundum veniſſe, ſed miſiſſe Filium ſuum, ipſum verò in
1. cœlo ſemper eſſe. Qui enim mittit alium ſuo loco, ipſe non dicitur venire: neq; hæc phraſis & modus loquendi, Patrem veniſſe in Chriſto, vſpiam in ſcriptura inuenitur. Nam etſi legamus Patrem eſſe, & manere in Chriſto, non tamen venire in Chriſto: cùm Chriſtum ſuo nomine ad nos miſerit. Quod ſi in Chriſto ad nos veniſſet, non eſſet
2. verum, ad nos miſiſſe Chriſtum. Si enim Dominus cum legato ſuo veniret, non diceretur mittere legatum. Quocirca & Chriſtus cùm legationem ſuam obiens diceret, ſe miſſum à Patre, & venire in nomine Patris; Patrem non in ſeipſo, ſed in cœlo indicabat, à quo de cœlo
3. miſſus eſſet in mundum. Certè & Ioannes miſſus ad parandam viam Domino, ne vno quidem verbo Patris mentionem fecit, ſed ſolum

Chriſtum

Chriſtum nominabat, qui poſt ipſum venturus erat, ipſius diuinam dignitatem, & ſuam, illius reſpectu, prædicabat indignitatem: ab ipſo Spiritûs diuini plenitudinem pollicebatur.

Quod ſi quærat quiſpiam: Si Pater erat in Chriſto, cur in Chriſto veniſſe dici non poteſt? Reſpondeo: Deus dicitur venire, cùm ſuum aduentum ſignis, & effectibus demonſtrat. (alioqui non venit, cùm vbiq; ſit præſens) quia igitur nullo ſigno ſuum aduentum demonſtrabat, ſed ſolùm Chriſti à ſe miſſi; idcirco non dicitur ipſe veniſſe, ſed miſiſſe Chriſtum. Porrò aliud eſt in Chriſto ſuam præſentiam manifeſtare ad opera, quæ in Chriſto fiebant, efficienda; aliud eſt ſuum aduentum in mundum manifeſtare.

Ex his igitur quæ adduximus ſcripturæ locis, manifeſtum eſt, Dei nomen ſubiecti loco poſitum, & ex conſequenti ſubſtantiuè acceptũ, Chriſto conuenire, quod Socinus negabat. Verùm non poſſunt tam illuſtria ſcripturæ teſtimonia induci, quæ hominibus iſtis ad ſcripturas peruertendas natis, ſint ſatis; vti vel ex horum locorum tractatione perſpicuum eſt.

Quintum argumentũ tale inſtruit Socinus. Chriſtus eſt illius vnius Dei Filius. non igitur ipſe eſt vnus Deus; alioqui ſuiipſius Filius eſſet. Idem argumentum de Spiritu ſancto fieri poteſt, qui cùm ſit illius vnius Dei, Spiritus; ipſe non eſt ille vnus Deus. Soluitur. Filium diſtingui ab vno Deo perſonâ, non naturâ. Naturâ enim diſtingui non poteſt, cùm non partem naturæ, ſed totam Patris naturam per generationem acceperit. Perſonâ verò diſtingui debet: non enim ſuiipſius ſed alterius eſt Filius. Quocirca ex eo ſequitur, Filium eſſe illum vnum Deum quoad naturam, non verò illum vnum Deum quoad perſonam, cùm & in natura conuenire, & in perſona diſtingui debeat. *Quintum Socini argumentum.*

Sextum argumentum. Si Chriſtus eſt vnius illius Dei Filius, ille vnus Deus non eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſed Pater tantùm: alioqui Chriſtus vnius illius Dei Filius, eſſet Patris, Filij & Spiritus ſancti Filius. Ergo ille vnus Deus, non eſt trinus in perſonis. Soluitur. Cùm Chriſtus dicitur vnius Dei Filius: vnus Deus ſumitur pro perſona Patris; ſeu quatenus eſt ſubſiſtens in perſona Patris. Solius enim Dei Patris, Chriſtus eſt Filius; cùm verò Pater, Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur vnus Deus, ſumitur vnus Deus eſſentialiter, quomodo vnus Deus eſt quid commune Patri, Filio, & Spiritui ſancto. *Sextum Socini argumentum.*

Septimum argumentum. Quæcunq; diuina Chriſto in ſcripturis *Septimum*

 tribuun-

Digitized by Google

Argumentum Socini. tribuuntur, ea omnia Chriſto quatenus homo eſt competunt: non igitur propterea neceſſe eſt aliam in Chriſto naturam diuinam fingere. Nihil enim ſublimius, ac diuinius Chriſto tribuitur, illo cultu diuino, qui ei ab omnibus debetur. atqui hic cultus Chriſto homini debetur, vt patet ex Ioan: 5. 22. & Phil: 2. Nam apud Ioannem, dicit Chriſtus: *Patrem non iudicare quenquam, ſed omne iudicium dediſſe Filio, vt omnes honorificent Filium ſicut honorificant & Patrem.* Vnde apparet ex iudicio à Patre Filio dato, conſequi cultum diuinum illi ab omnibus debitum. Atqui hoc iudicium Patrem Filio vt homini dediſſe, teſtatur ipſe Chriſtus. Paulo poſt enim ver: 27. ait: *Patrem dediſſe Filio poteſtatem iudicium faciendi, quia Filius hominis eſt.* Ad Phil: verò Paulus ait: Propter obedientiam Chriſtum exaltatum ad eam gloriam, *vt in nomine eius omne genu flectatur.* Sicut ergo obedientia ad mortem Crucis in ſolum hominem cadit: ita & exaltatio ad gloriam.

Diuinus cultus Chriſto homini debetur, quia homo ille Deus eſt. Soluitur. Non negare nos diuina, quæ in ſcriptura Chriſto tribuuntur, homini illi tribui. nam & Deum eſſe, homini illi tribuitur: ſed hoc aſſerimus, tanta & talia ea eſſe, vt niſi ille homo diuinam quoq; naturam haberet, & Deus verus eſſet; nullo modo illi tribui poſſet. Talis eſt inter cætera diuinus cultus, qui ſecundùm ſcripturam ſoli Deo vero, & ratione ipſius diuinæ eſſentiæ debetur. quocirca aut homo ille diuinam eſſentiam habere credendus eſt, aut ei diuinus cultus denegandus; cùm nec propter vlla dona creata, diuino cultu quis affici poſſit (ea enim cùm infra Deum ſint, diuinum cultum non merentur) nec Deus ipſe præcipere poſſit, vt quis diuino cultu colatur, qui eo cultu indignus eſt.

Iam quod ad locum ex Ioan: 5. attinet, verum eſt, Deum dediſſe illi homini vt diuino cultu colatur, propter diuinam illam & ſupremam iudicandi poteſtatem, quam per humanam naturam exercere debet: verùm ratio huius cultûs non eſt poteſtas creata, ſed poteſtas Dei increata. Nam ſola poteſtas creata, diuinum cultum non meretur, cùm ſit infra Deum, & infinitè Deo inferior. Porrò hæc poteſtas increata dicitur data illi homini; quia hoc datum eſt, vt illa increata Dei poteſtas per humanam Chriſti naturam exerceatur. Hoc verò ſibi vult illud: *Quia Filius hominis eſt*: nempe, quòd licet Deus potuerit nullius naturæ creatæ interuentu iudicare mundum; quia tamen homines æquum eſt per homines ſpectabili ratione iudicari, cùm id ſit naturæ ipſorum conueniens: idcirco Deus hanc ſuam diuinam iudican-

Iudicandi ſuprema poteſtas Chriſto homini data, & humana ratione exercetur.

di pote-

di poteſtatem, per humanam Chriſti naturam exercebit, & humanâ Chriſti natura vt inſtrumento vtetur, penes ipſum Deum ſuprema iudicandi poteſtate remanente. Quare concedimus Socino hoc in loco agi de diuino Chriſti cultu, qui vti Patri, ita & Filio debetur; ſed iſtius cultûs ratio tam in Patre, quàm in Filio eſt ſuprema illa, & increata Dei poteſtas, & ius ſummum viuificandi, & condemnandi. quæ quidem poteſtas Filio, quà Filius eſt, ab æterno naturaliter competit; quâ verò homo, eſt in tempore eſt data per vnionem hypoſtaticam: hoc ſenſu; vt per hominem illum, ſuam vim exerat, & humana ratione exerceatur; ita vt niſi ille homo Deus verus eſſet, & præter humanam naturam, diuinam quoque haberet; nullo modo illam Dei poteſtatem ad iudicandum haberet.

Chriſto homini donatũ non fuiſſet nomen ſuper omne nomen. niſi Deus eſſet.

Eodem modo ad locum Philip: reſpondendum eſt. Exaltatio enim illa homini, qui ſe humiliauerat factus obediens vſque ad mortem, donata eſt, vt in nomine eius omne genu flectatur: qui quidem cultus procul dubio diuinus eſt. At nunquam tantus cultus illi homini donatus fuiſſet, imò neque donari potuiſſet; niſi ille homo & Deus eſſet, & diuinam naturam, ac cultu diuino dignam in ſe haberet. Quia enim diuinam naturam per carnis humilitatem ita occultauerat, vt nec agnitus pro Deo, nec cultus fuerit; Deus in prẽmiũ tantæ demiſſionis effecit, vt ei publicus honor à toto mũdo in cœlo, & in terra deferretur. Notandũ porrò eſt hanc exaltationẽ eſſe nõ ad diuinitatẽ, quam ſemper habuit, ſemper enim in Forma Dei erat æqualis Deo; ſed ad externũ cultum diuinæ eius maieſtati duplici ratione debitum; tum propter diuinam eius dignitatem, tum propter paſſionem, & mortem pro nobis ſponte ſuſceptam Qui quidem externus cultus illis verbis explicatur: *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur. &c.*

Exaltatio Chriſti qualis.

Octauum argumentum.

Octauum argumentum. Idiomatum communicatio, eſt res non ſolùm abſque ſcripturarum authoritate excogitata, ſed & impoſſibilis. Duæ enim naturæ quantumuis vniantur, ſuas proprietates ſibi non communicant. Nemo enim, exempli cauſa, dixerit: Anima mea eſt procera, aut anima mea induitur talari veſte, etiamſi corpori, cui hæc ſunt propria, ita in homine anima ſit coniuncta, vt ex vtroque vnus homo conſtet. Soluitur. Idiomatum communicatio ex illis ſcripturis accepta eſt, in quibus diuina idiomata homini, humana Deo tribuuntur; vt cùm Chriſtus homo, dicitur creator cœli & terræ, ante Abraham fuiſſe à diebus æternitatis, eſſe ſimul in cœlo, & in terra. Si-

Communicatio idiomatum.

Digitized by Google

mili ratione cùm Deus dicitur apparuiſſe in carne, transfixus, acquiſiuiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo, Deus gloriæ crucifixus, Deus animam pro nobis poſuiſſe.

Verùm Socinus malè hanc idiomatum communicationem intellexiſſe videtur: putat enim hanc communicationem eſſe in naturis, vt vna natura alteri naturæ ſuas proprietates communicet, quod & falſum eſt, vt ex allatis ab ipſo exemplis patet, & à nobis non aſſeritur. Nos enim idiomatum communicationem à naturis quidem oriri dicimus, ſed non in naturas redundare; verùm in communem vtriq; naturæ perſonam; ita vt eidem perſonæ in duplici natura exiſtenti, vtriuſque naturæ idiomata competant, diuina homini, humana Deo. Non enim dicimus diuinæ naturæ humanas proprietates competere, neque humanæ diuinas, ſed diuinas homini, humanas Deo, quòd vna ſit Dei & hominis perſona. Quo etiam modo in homine etſi animæ, proprietates corporis non competant, neque corpori, animæ proprietates; vtræq; tamen competunt eidem homini duarum naturarum reſpectu. Cùm verò Socinus ait, diuina Chriſto tribui abſq; vllo ad alteram naturam reſpectu: dicimus id falſum eſſe, vt ſatis ex ſingulorum locorum examinatione conſtat. Aut enim vis facienda eſt ſcripturis, & ad duros atq; abſurdos ſenſus detorquendæ ſcripturæ, (quod Ariani faciunt) aut ſi verborum ſinceritas atq; veritas ſaluari debet, admittenda eſt altera in Chriſto natura; vt cùm Chriſto rerum omnium creatio, æterna ante mundum exiſtentia, in cœlo æquè ac in terra præſentia, ſumma in res omnes poteſtas ac dominium, vis & efficacitas ad nos redimendos, & à peccatis liberandos, diuinus honor, & cultus, & his ſimilia tribuuntur.

Aliud Socini argumentum.

Tandem conatur vltimo loco Socinus probare, non poſſe nos diuinam in Chriſto naturam ex eo concludere, quòd Filius Dei dicatur; nuſquam enim in ſcriptura eam ob cauſam Filius Dei dicitur, quòd ſit ex Dei ſubſtantia generatus; quum hoc ſit impoſſibile (nam diuina ſubſtantia nec partibilis eſt, nec multiplicabilis) ſed vel propter modum conceptionis de Spiritu ſancto. Luc: 1. vel propter reſurrectionem. Act: 13. 33. Rom. 1. 3. & cap: 8. ver: 29. Pſal: 2. 6. 7. vel propter æternum ſacerdotium ac regnum. Hebr: 5. 5.

Cur Chriſtus dicatur Dei Filius.

Verùm quia hæc omnia copioſe à nobis confutata ſunt, in monſtris Arianiſmi, in parte 3. hoc loco ſuperſedendum eſt. Quis enim neſciat, verum Filium ex ſubſtantia Patris generari oportere, vt ſit caro

de carne,

Digitized by Google

de carne, & ſanguis de ſanguine, ſubſtantia de ſubſtantia Patris? neq; abſq; hoc Filius verus ſed adoptatus, & in Filium admiſſus dicendus eſt. Quocirca qui dicit verum Filium alicuius, eo ipſo de ſubſtantia eius generatum aſſerit: hoc enim eſt, verum Filium eſſe. Cùm igitur Chriſtum ſcriptura verum Dei Filium aſſerat; quis dubitare audeat, eſſe ex Dei ſubſtantia generatum?

Porrò cùm Socinus affert varias cauſas, propter quas in ſcriptura Chriſtus dicitur Filius Dei, vehementer fallitur: non enim eæ ſunt cauſæ propriæ, ſed argumenta, & indicia, & documenta, quibus conſtat Chriſtum eſſe Dei Filium. Chriſtus enim vna eademq; ſemper ratione, fuit Filius Dei, nec mutabatur indies in aliam & aliam formam Filij Dei. Quapropter illæ tot rationes quas Socinus affert, non faciebant, ſed indicabant tantummodo Chriſtum eſſe Filium Dei.

Conſimili ratione Socinus errat, cùm ait Chriſtum eo modo ex Deo generatum eſſe, quo Deus dici ſolet in ſcriptura generare filios. Manifeſtè enim ſcriptura docet, Chriſtum ea ratione eſſe Filium, & ex Deo generatum, qua ratione nulli alteri competit eſſe filium. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Si de communi modo generandi agatur: omnibus non ſolùm Angelis, ſed & hominibus ſanctis dixit Deus, eos *filios eſſe, qui non ex ſanguinibus ſed ex Deo nati ſunt.* At verò Chriſtus tali modo eſt Filius, quo eſſe Filiū nulli alteri conuenire poteſt; nempe, quia vt verus, & naturalis Dei Filius, eſt ex Dei ſubſtantia genitus; quod nulli alteri conuenit aut conuenire poteſt.

Nam quod ait Socinus Chriſtum peculiarem eſſe Dei Filium, quia Dei virtute in vtero Virginis eſt conceptus; id in loco citato à nobis ex ſcripturis refutatum eſt; cùm Chriſtus quemadmodum ſecundùm carnem non eſt Deus, ita neq; ſecundùm carnem eſt Dei Filius, ſed ſecundùm Spiritum; & modus ille quo in vtero Virginis virtute Dei conceptus eſt, non eſt modus veræ generationis ex Dei ſubſtantia, ſed ſuppletio quædam generationis humanæ.

Poſtremum Socini argumentum.

Quomodo Chriſtus factus Dominus.

Poſtremò inſtat Socinus, Chriſtum ſecundùm ſcripturas eſſe factum Dominum. Act: 2. & donatum eſſe illi nomen ſuper omne nomen. Phil: 2. Verùm id quoq; in loco citato fuſè declarauimus: nempè non dici Chriſtum factum Dominum, quòd antè Dominus non fuerit, ſed quòd re ipſa & quoad executionem cæperit eſſe Dominus, vt

Digitized by Google

actu & re ipſa omnia illi ſubiicerentur in cœlo, in terra, & ab omnibus pro Domino agnoſceretur, haberetur, coleretur.

Chriſto datum nomen ſuper omne nomen.

Simili ratione exponitur, donatum Chriſto nomen ſuper omne nomen. Nam nomen quod ſemper Chriſtus habuit, ſuper omne nomen, datum eſt Chriſto non abſolutè, ſed vt eſſet celebre ſuper omne nomen. Antè enim erat, infra omne nomē contemptum & abiectum; donatum verò eſt, vt hoc nomen eſſet ita celebre, vt in eo omne genu flecteretur, & illud omnis lingua confiteretur. hoc autem eſt celebritatem nominis donatam eſſe. Quanquam non negamus hanc exaltationem etiam nouo quaſi titulo paſſionis & mortis, Chriſto donari potuiſſe, imò & donatam eſſe, vt in monſtris Arianiſmi à nobis declaratum eſt.

Ad Arianos.

EN habetis, ô Ariani, quæ D. Ioannes de Verbi Incarnati natura docuit, quàm à veſtris ſenſis, & opinionibus aliena, iudicate. Vt autē integritatem iudicij habeatis, nō limis oculis, neque liuore offuſis aſpicite. Aderit Verbum ſua luce, qua etiam in tenebris lucet, & à tenebris vult comprehendi. Cùm autem res veſtræ eo loco ſint, vt non cum carne, & ſanguine, ſed cum Deo ipſo bellum ſuſceperitis; eiuſq; vnigenitum Filium diuinitatis maieſtate, & æternitatis honore exuere conemini; per Deum immortalem perſpicite obſecro, in quanto ſalutis diſcrimine verſemini, & lucem cælitus oblatam, dum adhuc dies eſt, ſalubri conſilio amplectimini. Verbumq; illud Diuinum, in quod tot, tamq; contumelioſis modis huc vſque iniurij extitiſtis, tandem agnoſcite, atq; illud cum Eccleſia Catholica, veſtra, & omnium Chriſtianorum matre, vnanimi ſpiritu diuinis laudibus celebrate, ne fortè cùm diuinæ Chriſti bonitatis, & potentiæ theſauros contemnitis, iudicij illius & poteſtatis ſeueritatem infinitam, veſtro æterno malo experiamini.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATORIA
[illegible] SALVAREZZA
Via Val Sassina, 5[illegible]
Tel. 899.223

Digitized by Google